



S. PUFENDORFII
DE
OFFICIO
HOMINIS & CIVIS
JUXTA
Legem Naturalem
LIBRI DUO.

Selectis VARIORUM Notis, maximeq; propriis illustravit, celeberrimi BUDDEI Historiam Juris Naturalis Notis adauctam præmisit, Indicemq; rerum subjunxit

Buddeus Johann Franz.


THO. JOHNSON, A. M.
COLL. MAGD. CANT. SOC.

Editio Tertia longe auctior & emendatior.



LONDINI:
Impensis GUL. THURLBOURN, Bibliopolæ Cantab.
Prostant apud I. BEECROFT P. VAILLANT & I. NOURSE, Londini; & FLETCHER, & CLEMENTS, Oxonii, 1748.




BIBLIOTHÈQUE CANTONALE
LAUSANNE
ET UNIVERSITAIRE

PRÆFATIO EDITORIS.

NOlumus multa præfando, ut moris eſt, lectorem diutius in limine morari; cum ne patientia ejus & otio abutamur, tum ne liber, qui jam ſatis pingueſcit, in majorem quam par eſt molem excreſcat. Nolumus vel in laudibus auctoris longe celeberrimi enarrandis, vel in diſciplinæ quam tradit præſtantia & utilitate prædicandis tempus conterere. Notiſſima hæc omnia, & fere quotidianæ operæ. Attamen pauca ſunt, quæ de ratione & inſtituto noſ-

tro in libro hoc edendo forſan ſcire avebit lector, & noſtrâ intererit dicere; ne miretur aliquis qua fiducia & ſpe, quo conſilio & mente poſt toties iteratas editiones à viris celeberrimis TITIO, BARBEYRACCIO, OTTONE, WEBERO, TREVERO, CARMICHAELE, LEHMANNO aliiſq; adornatas & commentationibus ſatis ſuperque illuſtratas, ipſe alteram paraverim. Non eſt noſtri alienos labores ſiniſtris ſermonibus carpere & lacerare, etſi votis & deſideriis noſtris haud prorſus ſatisfaciant. Nemo inficias ibit viros illos doctiſſimos in PUFENDORFIO adordando utiliſſimas operas præſtitiſſe: plane injuſtus eſſem, ſi illos præclare (proculdubio longe ſupra meas vires & moduli rationem) in hac palæſtra ſe exercuiſſe haud lubenter

ter agnoſcerem, ex quibus uberrimos ipſe fructus percepi. Sed plus vident oculi quam oculus; & ſi priorum hominum laboribus adjutus ipſe his longe inferior opuſculum *Pufendorfianum* meliori forma & habitu è prelo exire juſſero, minus tametſi laudis & gloriolæ (quam ex hac re nequaquam capto) mihi exinde accreverit, non minus tamen commodi & fructus percipiet lector novitius, & in hiſce rebus parum exercitatus. Etenim non eſt noſtri inſtituti aut exſpectationis, ut doctis & harum rerum peritis proſim; hoc ſolum in votis eſt, ut tyronibus quiddam adjumenti afferre poſſim; & Juventuti, Academicæ præſertim, quæ *Juri Naturali* operam dat, notitiam ejus faciliorem reddam.

FATEOR equidem affatim ſcriptorum reperiri poſſe, qui hanc materiam cum laude tractarunt: inter quos primas partes tenere GROTIUM & PUFENDORFIUM nemo eſt in hiſce literis mediocriter verſatus, qui non ultro agnoſcit. Ille vero eruditis ſcribens, tyronibus ſe minus utilem præbuit, quippe quod ſtylus brevis & terminis ſcholaſticis impeditus haud facile intelligatur, & teſtimoniis veterum perpetuo refertus non niſi adultis & his literis imbutis tentandus ſit. Præterea tota ejus hypotheſis falſo fundamento nititur: in his præcipue claudicans, primum quod *Jus Naturale* ab abſtractis rerum naturis, ſepoſita Dei voluntate, derivet; deinde quod *Jus Gentium* à Jure Naturæ prorſus diſtinctum & diverſum, idque

que

que ex moribus gentium Proteo mutabilioribus quodammodo exsculptum, sibi in mente fingat: ob quas causas multis ambagibus & difficultatibus sæpe sæpius implicatur. Noster vero PUFENDORFIUS, in gratiam tyronum "brevi & perspicuo compendio "(verbis ipsius utor) præcipua "juris naturalis capita exposuit; "ne si citra cognitionem velut "elementarem in diffusa ejus dis-"ciplinæ spatia sese immiserint, "copia & difficultate rerum pro-"telentur.[1]" Certis & firmissimis principiis Systema adstruxit; legis naturalis originem & auctoritatem ab ipso naturæ auctore deduxit; officia hominis ab ipsius indole & natura sociali profluere docuit;

---

[1] Vid. Præfat. Auctoris, § 1.

omnia denique (paucissimis minoris momenti exceptis) subacto ingenio & acri judicio construxit, & si minus copiose & ornate, vere tamen apteque dixit.

Cum igitur Juventutem, quæ in nostro Collegio bonarum literarum satagit, erudiendi instituendique mihi demandatum sit munus; id vero maxime necessarium habui, ut Jurisprudentia & Philosophia Moralis, in quarum studio omnium artium, quæ ad rectam vivendi viam pertinent, ratio & disciplina continetur, in Pupillorum gratiam illustrentur: hunc ad finem Pufendorfium mihi ducem selegi, & ex eo quæ ad *Jus Naturale* & *Mores* spectant, docere & exponere suscepi; Juventutem nostram bonum exinde fructum percepturam esse

esse sperans: nec ut opinor spes me fefellit. Sed cum plurima in hoc libello præclara & bonæ frugis invenerim, facile tamen sensi eum non omnibus numeris absolutum esse; multa perquam necessaria extremis tantum labiis attingere; nonnulla prorsus omittere; pauca denique (quod humanum est) perperam tradere. Omnia hæc in libro exponendo auditorum gratia mihi notanda esse duxi: ideoque memoriæ causa animadversiones, quæ vel legendo vel cogitando mihi occurrebant, chartis commisi, quas singulis libelli foliis interposui. Ex hoc fonte & origine PUFENDORFIUS jam hac nova facie & ornatu in publicum prodit. Nihil tale meditabar, cum notas exscripsi, quæ nostris omnino & *Pupillorum* paucorum usibus des-

tinatæ ſuerunt: ſed cum privatis meis commodis eas inſervire expertus ſim, aliis etiam haud prorſus inutiles eſſe poſſe ſperavi; ideoque animus utilitatis publicæ, præſertim academicæ, ſtudioſus in propriis ſcriniis eas diutius deliteſcere haud paſſus eſt. Neque cauſam vidi, quare me ab hoc inſtituto deterrerent aliorum in eadem palæſtrâ labores; cum facile perceperim tantam eſſe hujuſce doctrinæ ubertatem, ut locus ſit pluribus idem argumentum tractare, & plurima bonæ frugis addi poſſe iis, quæ ab aliis in commentariis ſuis ediſſeruntur; præſertim cùm nemo inter noſtrates reperiatur qui ullam hujuſce libri editionem emiſit; iiſque editionibus, quæ in *Germania* evulgatæ fuerint, haud tam facilis in Bibliopolarum noſtrorum officinas

officinas pateat aditus. Quænam verò in hâc noſtrâ editione adornandâ præſtitimus, & in quibus præcipuè utilis eſſe poſſit, paucis accipiat lector.

Cum plurima ab ipſo auctore penitus omittantur, alia vero nimis conciſe tradantur (ut ſupra monuimus) id præcipue laboravi, ut ea ſupplerentur, quorum acceſſione ipſe liber una cum notis juſtum ſyſtema tum Jurisprudentiæ naturalis, tum Philoſophiæ moralis conficere poſſet. Hæc autem vel ex proprio penu, vel ex aliorum Editorum, præcipuè verò cl. Barbeyraccii Gallicanis commentariis, vel ex probatiſſimis auctoribus, quales ſunt Grotius, Sandersonus, Buddeus, &c. ſubminiſtravi. Nolui ſane illa unquam

unquam dicere, quæ magis apte & ornate alius quiſquam prius dixerat. Spero itaque me lectoris veniam impetrare poſſe, quod cum deficit auctor, ex aliis ſcriptoribus ea, quæ ad rem propoſitam pertinere maxime videbantur, identidem allegavi: nequit illi fraus eſſe, cum ipſorum nomina ſemper ſubjeci. Sæpe etiam exemplis ſingularibus generalia auctoris præcepta illuſtravi; modo ex jure *Romano*, modo ex veterum Philoſophorum, ARISTOTELIS, CICERONIS, SENECÆ, &c. ſcriptis, iis, quæ magis recondita & obſcura ſunt, lucem affundere conatus fui. Errores item, in quos nonnunquam labitur auctor (ecquis autem non aliquando dormitat?) diligenter notandos eſſe duxi. Deinde in gratiam illorum, qui eandem materiam fuſius

fusius & prolixius tractatam videre velint; parallela loca GROTII & PUFENDORFII in opere majori semper adamussim indicavi *: adeo ut duos istos auctores, si quis velit, pro perpetuo commentario ad hoc opusculum sibi comites habeat.

IN secunda hac editione ut nihil deficiat, quod Juventutis commodis inservire possit, non tantum notas auctiores feci, sed & *Historiam Juris Naturalis* à viro doctissimo J. FR. BUDDEO conscriptam, lectu dignissimam præmisi, quam notis adauxi eo fine ut perfectior evaderet & ad hanc usque ætatem perduceretur.

---

* Numeri, quos a principio ad finem libri in margine adscriptos videbit Lector, parallela PUFENDORFII loca indicant.

DENI-

DENIQUE *Indicem rerum*, tam quæ in textu, quam quæ in notis occurrunt, ſubjunxi. Nil aliud reſtat, quod lectorem monendum eſſe volui, niſi quod conatibus noſtris faveat, & ſi quæ maculæ irrepſerint,

——Quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura——

nobis eas humaniter condonet.



TABULA

TABULA

CONTENTORUM.

De Officio Hominis & Civis.

LIBER PRIMUS.

VI. *De*

LIBER

LIBER SECUNDUS.

XIII. *De*





VIRI CL.

Joan. Francisci Buddei

Theol. D. et P. P. O.

Apud JENENSES

HISTORIA JURIS NATURALIS.

Notis EDITORIS adaucta.





HISTORIA[1] JURIS NATURALIS.

I.



QUI eam philosophiæ partem, quæ de *officiis hominum* ad omnem honestatem componendis præcipit, quam plerique recentiorum *jus naturæ* appellitant, cum ipsis hominibus natam esse asserunt[2];

Jus Naturæ cum hominibus natum.

[1] Hæc literaria Historia *Juris Naturæ* primâ vice prodiit *Lugd. Bat.* 1692. PHIL. REINH. VITRIARII *Institutionibus Naturæ & Gentium* adjecta. Postea auctor ipse eam longe auctiorem reddens & ad suam usque ætatem perducens in lucem emisit inter *selecta quædam Juris Naturæ & Gentium*. Halæ. 1704.

Si quis Historiam *Juris Naturalis* plenius cognoscere voluerit, plurimi sunt libri huic usui inservientes, quos hic recensebimus.

JOAN. BALTH. WERNHERI Dissertatio de præcipuis nonnullis Juris Naturæ scriptoribus. *Lipsiæ*. 1699. 4to.

JOAN.

runt [1]; ita ut par est, utque doctrinæ hujus & ratio & antiquitas exigit, sentiunt. Quod enim nonnulli,

---

Joan. Groeningii Præfatio ad *Pufendorfium de Officio Hominis & Civis*. *Holmiæ*. 1701. 12mo. *Ejusdem* Bibliotheca Juris Gentium Exotica. *Hamb*. 1703. 8vo.

Jac. Frid. Ludovici Delineatio Historiæ Juris divini naturalis & positivi universalis. *Halæ*. 1701. 4to. Recusa auctius, 1714, 8vo.

Joan. Nic. Hertii Commentatio de Jurisprudentia universali, quæ *Opusculis* inserta legitur. *Franc*. 1700.

Chr. Thomasii Historia Juris Naturæ paulo plenior. *Halæ*. 1709. 4to.

Gottl. Stollii Introductio in Historiam literariam latinè versa à *Langio*. P. 3. c. 2. *Jenæ*, 1728. 4to.

Jo. Fr. Buddei Compendium Historiæ Philosophicæ, à *Walchio*. cap. 6. *Halæ*. 1731. 12mo.

Reimmanni Historia literaria. Vol. 6. 1718.

Ephr. Gerhardi Prolegomena ad delineationem Juris Naturæ. *Jenæ*. 1712. 8vo.

Burc. Gott. Struvii Bibliotheca Juris selecta. Cap. 7. *Jenæ*. 1725. *Ejusdem* Bibliotheca Philosophica. cap. 8. *Jenæ*. 1721.

Dan. Georg. Morhofii Polyhistor Literarius. Tom. 3. L. 6. *Lubecæ*. 1732. 4to.

Denique qui instar omnium est, Joan. Barbeyracii Historica Præfatio ad versionem Gallicam *Pufendorfii de Jure Naturæ & Gentium*. *Amstel*. 1706. 4to. & sæpius posthac recusa.

[1] In quo sensu vult auctor *Jus naturæ cum ipsis hominibus natum esse*, haud certe perspectum habeo: sed vehementer suspicor eum notitiam quandam à naturâ insitam & ingenitam innuere: quippe qui in alio opere [sc. *Philos. Moral*. P. 2. c. 2. p. 398.] *innata* quædam esse *Principia Practica* ex professo docet, eaque contra Lockium acerrimè propugnat. Hanc autem Hypothesin esse ab omni verâ Philosophiâ longè alienam, vix quisquam inveniri potest, si modo Philosophiam vel summis labris attigerit, qui ignoret. Jus naturæ

nonnulli, interque eos C. CORN. TACITUS [3] rerum ſuarum longe conſultiſſimus ſcriptor, tradidere, *vetuſtiſſimos mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna, aut coercitionibus egiſſe*, & ſponte ſua, ſine lege, fidem rectumque coluiſſe; id ejuſmodi eſt, ut aut a fide abhorreat penitus, aut principum juſſis, tabuliſque legum, ſcriptiſque eos ſaltem caruiſſe monumentis, evincat condoceatque.

A Parentibus inculcatum liberis;

II. Parentes vero ſuos erudiviſſe liberos, rectique & honeſti non minus imbuiſſe elementis, quam vero de Numine ſenſu, id ſi quis in dubium vocaverit, næ! is ſimplicium proborumque, & ſanctiorum, quibus præditi erant cordatiſſimi mortalium, morum, haud ſane æquus eſt æſtimator. Aſt, cum aut alienæ potentiæ metus, aut alia quævis ratio jungeret homines, & in majores coetus, quos *civitates* deinceps appellarunt, coire juberet; priſtinis moribus eouſque vixerint, ut a parentibus, quid jus faſque & nefas eſſet, acciperent liberi; rectores autem civitatum rerumque domini, ſaltem quæ e re civitatis eſſent, ſancirent ſtatuerentque. Erumpere inde in ævum omne nefas, hominum pravitas

naturæ eo ſenſu naturale & innatum eſſe profitemur, quo ipſa Ratio vel Lingua à naturâ inſita dici poteſt: ſed non alio. Natura facultatem, Uſus & Inſtitutio rem ipſam ſive habitum conceſſit. Vid. Tractatum anonym. *De morali Obligatione.*

[3] *Annal.* III. 26. add. OVID. *Metam.* I. 1. & LUCRETIUS, Lib. V.

magis magisque se prodere, fraudibus, dolis se invicem convenire, sceleribus injuriisque nec modum nec finem statuere.. Qui itaque rerum summam tenebant, ruere præcipiti casu & collabascere civitates, intelligebant, ni vitia hominum suis circumscriberentur limitibus, pœnisque coercerentur.

Deinde ab imperantibus, civibus.

III. Nimirum & spernere rationis imperium, & domesticam disciplinam negligere, ut rebus deperditis ac profligatis non aliud quid remedio esset, quam publica auctoritate sanctionibusque, ad observanda ea, quæ honesta sunt, turpia fugienda, homines rationis rectæ contemptores compellere. Sed vero & tunc ut credo patuit, quod nunquam fere non experientia est comprobatum, clarissimum illud fulgentissimumque lumen, infusum a sapientissimo Numine, insitumque mortalium pectoribus, velut nubibus quibusdam obductis abscondi, nec cuivis quid pulchrum honestumque sit, quid turpe fœdumve, semper perspici. Quæ ergo præeunte ac prælucente ratione quilibet facere debebat, ad ea civilibus sanctionibus adigi cœpere. Cumprimis sequæ ut homo homini exhiberet, fas erat, sedulo erant inculcanda, cum proclives valde pronique sint mortales ad se invicem lædendos; unde lites contentionesque & infinita quibuscum civitatibus conflictandum est, mala enascuntur.

Leges civiles præcipua ejus capita continent.

IV. Sic itaque arbitror, quod gentium aut omnium, aut plerarumque leges, quæ *civiles* vocantur, præstantiora simul juris naturalis capita complectantur, id non aliunde magis esse

esse arcessendum. Faciet pretium operæ, qui gentium tum veterum, tum recentiorum, & inter illas earum quam maxime, quæ nostram incoluere *Germaniam*, leges, quæ ceu servatæ ex naufragio tabulæ magnorum virorum ope ad nos pervenere, excusserit; & hujus, quod ratio omnes docet, juris vestigia luculentissima subinde deprehendet. *Romanas* enim leges lubens prætereo, quippe in quibus *naturales* illæ tanto manifestius quandoque se conspiciendas præbent, quanto ceterarum gentium institutis & sanctionibus, eruditissimorum virorum confessione atque judicio præstant [4]. *Attici* quoque *juris*, quod secundum a *Romano*, suo merito occupat locum, non minor est præstantia, nec obscuriora hujus sententiæ nostræ suppeditat documenta, id quod ne quenquam fugeret, JOANNIS MEURSII atque SAMUELIS PETITI e tenebris illud strenue eruentium opera, æternis laudibus digna effecit.

V. Hunc proinde in modum naturæ leges *positivarum*, ut vocari solent, involucris vestitæ & circumseptæ, quandoque & per legumlatorum inscientiam obscuratæ aut eversæ, longe quidem lateque, per civitatum omnium jura dispersæ sunt atque diffusæ; simul tamen civiles & naturales inter se confusæ ita

Nec facile ab iis discernuntur.

[4] Conf. de Jure Naturæ & Gentium, Romanorum speciatim Jureconsultorum, JOANNES GROENINGIUS in *Bibliotheca Juris Gentium juxta disciplinam Europæorum.* Lib. II. c. 1. seqq. qui & cap. 6. de Jure universali secundum doctrinam Germanorum & Borealium agit.

atque commixtæ, ut has ab illis secernere, res summi & desperati fere laboris, doctissimis quoque viris visa fuerit [5]. Intellexit hoc probe, si quis alius, JOANNES SELDENUS, *Britanniæ* illud immortale decus. Namque perplexa rite extricare, confusa invicem distinguere, veri ac falsi confinia, horumque sinuosos anfractus satis habere exploratos, & demum ex eis quæ superstruuntur, de fundamentis seu principiis recte conjicere (qui illis utique subeundus est labor, qui naturales civilesque leges inter se permixtas secernere rite ac sejungere volunt) rem perquam arduam, pene inaccessam, & mortalium paucissimorum esse, diserte profitetur [6]. Jam ergo mirari desino tot effluxisse secula, feracia quidem doctissimorum virorum legumque civilium interpretum sapientissimorum, quibus ingenium æque ac industria adeo non defuit, ut commentationum, quas seduli assiduique homines in lucem protulere, mole jam pridem orbis eruditus laboret; sed recentiori demum ætate extitisse, qui præclarum istud pulcherrimumque opus, ex involucris suis, tegumentisque evolvendi naturæ effata, ingenti animo, labore incredibili, sed successu felicissimo, aggrederentur.

Item Theologiæ immixtum; VI. Ceterum ut civilibus legibus (id quod commonstratum hactenus comprobatumque est)

5 Vid. SAMUEL RACHELIUS in Prolegom. ad *Officia* CICERONIS. § XXIV.

6 De Jure Naturæ & Gentium secundum disciplinam Ebræorum, Lib. 1. c. 3.

eſt) ita & ſanctiori illi reconditæque diſciplinæ, quam *Theologiam* nuncupant, non minus interſperſa fuerunt, & intermixta rationis dictata, tanto majori inde induſtria eruenda & colligenda, quanto acrius ſacri antiſtites in campo, in quo illis nec meti nec ſeri videbatur, ingenii exercuere vires. Utique ita eſt, non ultimam in hac arte ſedem occupant officia, quibus ſanctum & immortale Numen ex luminis naturalis præſcripto colunt mortales. Dum igitur nondum in civitates coaluiſſent homines, unumquemque patrem familias ſacra rite faciendo, & exemplum præiviſſe ſuis, & quid de Numine ſentire, quo pacto iſtud venerari fas eſſet, eos edocuiſſe arbitror. Conditis autem rebuſpublicis, ut viris morum integritate, & puritate, & ſanctitate præditis illud munus demandaretur, publica auctoritate, bonorum omnium principum maxime, & ipſarum civitatum intererat. Si enim forte quoſdam parentes negligentius ſuo munere fungi contingeret (contingere autem facile poterat) feroces homines legumque contemptores inde prodire neceſſe erat, qui exemplo alios, ut ad quævis ſcelera ita ad impietatem invitant, civitateſque non raro in maxima ſalutis diſcrimina adducunt. Venenum iſtud ſi ſimul quorundam mentes afflavit, longe lateque ſerpit, vireſque eundo ſumit, & incrementa inopinata. Sanctioris itaque diſciplinæ antiſtites, præter ea, quæ de ratione Deum ſacrificiis placandi, aut crimina expiandi, & quæ de Numine quemque ſentire oporteret, exponebant ſolerter; & cum

cum probe ſcirent, mente pura ſcelerumqu experti Deum coli quam rectiſſime, ſubinde & de morum ſanctitate pariter ac juſtitia, multa præcepere. Laudo hoc proboque, idque eo magis, quod juris naturalis ſcientia, quam ita ſibi vindicaverunt ſacrorum præfecti, iſtorum cura & vigilantia immunis ab labe ac errore, ad poſteros & ultima ſecula transferri, & propagari potuiſſet; niſi infernalis genii fraude abrepti, non tam rationis rectæ dictamina, aut doctrinam a majoribus acceptam, quam inepta ingenii commenta, hominibus propinare maluiſſent.

Et Mythologiæ Gentilium.

VII. Ex quo enim cœleſtem divinamque veritatem erroribus polluere, & commaculare cœperunt gentiles, in ipſo quoque naturæ jure nihil ſanum, nihil integrum fuit, cuncta corrupta, depravata, tenebriſque plus quam Cimmeriis involuta [7]. Hoc vero nomine neſcio an doctas iſtas, eruditaſque veterum theologorum ac poetarum fabulas redarguere debeam. Fuere quippe & tum, ſi quibuſdam credimus, qui rectius ſaperent, quibus ne non deſipere fraudi eſſet, aut involucris imaginibuſque occultarunt veritatem, aut certe in ipſis figmentis veſtigia ejus quæſiverunt. Nec vero naturalis ſaltem ſcientiæ myſteria,

7 Culpam hanc veterum Gentilium hoc modo reprehendit LACTANTIUS. " Nihil ibi differitur, quod proficiat ad mores excolendos, vitamque formandam: nec habet inquiſitionem aliquam veritatis, ſed tantummodo ritum colendi, quod non officio mentis, ſed miniſterio corporis conſtat ". *Inſtit. Divin.* Lib. IV. c. 3.

ſed

ſed moralis civiliſque philoſophiæ cumprimis, juriſque adeo naturalis capita longe præſtantiſſima, hiſce ſub tegumentis lattiare putant, quod cum ab aliis doctiſſimis in hoc literarum genere viris, GERHARDO JOANNE VOSSIO [8], FABIO PLANCIADE FULGENTIO [9], JOANNE BOCATIO [10], NATALI COMITE [11], PICTORIO VILL [12], tum maxime a FRANCISCO BACONE *de Verulamio* [13], quam luculentiſſime evictum eſt & commonſtratum.

A Theologia christiana restitutum.

VIII. Diſpulſa autem quæ orbi univerſo incumbebat caligine, ortaque denuo poſt *natum* CHRISTUM ſervatorem cœleſti veritate, redditus eſt & naturali juri priſtinus ſplendor, reſtituta puritas, ſuperſtitio denique æque ac impietas ſubinde proſcripta ac profligata. Sublimiora fateor longeque ſanctiora ſunt, quæ a viris divino afflatu perculſis proficiſcebantur, quæ tamen & recta quoque ratio honeſta eſſe dictabat; tantum abeſt, ut ab illis rejecta ſint, ut potius egregie ſtabilita & confirmata, ſervatore ipſo ſubinde ad rationis dictamen provocante. Ea utique chriſtianæ doctrinæ eſt indoles, ut præter fidem, vitam quoque ad omnem honeſtatem compoſitam, ab hominibus exigat, modo quidem & ratione longe excellentiori, quam ut ad mores chriſtianos formandos ſola ſufficiat ratio; in-

---

[8] De Idololatria Gentilium. [9] In libris III de Mythologia. [10] In Libris XV, de Genealog. Deorum. [11] Mythologiarum libro X. [12] In Theologia Mytholog. [13] De ſapientia veterum. Add. *Buddei* Diſſertatio de uſu Fabularum in Philoſophia.

terim

terim tali profecto, ut, quæ ex rationis præscripto honesta sunt, neutiquam habeat pro turpibus, quin ut ceteras virtutes proprias Christianis, ita & illas, quæ omnibus communes sunt, commendet.

A patribus ecclesiæ cultum; IX. Sæpius igitur antiquissimis etiam ecclesiæ doctoribus, de juris naturalis capitibus haud perfunctorie sermo instituitur [14]. Basilium Magnum, Gregorium Nazianzenum, ipsumque Chrysostomum non tantum græcæ, sed universæ quacunque patet ecclesiæ, summum decus, evolvat, legat, scrutetur, cui dubium forte ambiguumque, id quod a me asseritur, videtur. Hos, ingenio acri, judicio singulari, juris hujus quæstiones, quoties eas attingerent, (attigerunt autem sæpius) expedivisse constat, ut ipse Hugo Grotius, restaurator hujus philosophiæ felicissimus, tum demum & pondus & robur, & lucem insignem, se assertis suis conciliare posse, si præsulum horum auctoritate, sententiam suam muniret, fuerit opinatus [15]. Ambrosius, qui plane ad Tullii exemplum tres *de officiis* libros

---

[14] Ad. Michaelis Foertschii dissertatio de philosophia morali & jurisprudentia naturali christiana veterum ecclesiæ doctorum, subjuncta Ambrosio de officiis, ab illo edito, in qua jurisprudentiam naturalem Clementis Alexandrini, Georgii Nysseni, Lactantii, & Augustini exhibet.

[15] Longe ab hac sententia recedit cl. Barbeyraccius, qui in Historicâ Præfatione, quam operi Pufendorfiano *de Jure Nat. & Gent.* præmisit, de morali *Patrum* Theologiä copiosè verba fecit, eorumque errores,

libros composuit [16], quanta solertia in hac doctrinæ parte fuerit versatus, nemo puto ignorat; aut si quis ignorat, JOANNEM HENRICUM BOECLERUM adeat velim, qui in Præfatione ad hosce AMBROSII libros, quanti istius viri labor sit faciendus, omnes edocuit.

Sed cum Theologia morali immixtum.

X. Hi ipsi autem ecclesiæ doctores, officia *hominis* & *christiani*, (id quod non est dissimulandum)

errores, quotquot reperiri possunt, acriter perstrinxit. Adversarium nactus est REMIGIUM CEILLIER, qui patrum causam egit in Libro cui titulus; *Apologie de la Morale des Peres de l'Eglise, contre les injustes Accusations du Sieur Jean Barbeyrac.* Paris. 1718. 4to. Cui respondit *Barbeyraccius in, Traité de la Morale des Peres.* 1728. Noster BUDDEUS hujusce controversiæ merita summatim tradidit in *Isagoge Historico-Theologica.* L. 2. c. 4. Lipsiæ. 1727. Quædam nuper contra BARBEYRACCIUM in *Anglia* strictim dicuntur a viro doctissimo DAN. WATERLAND, S. T. P. in libro cui titulus: *The Importance of the H. Trinity asserted,* Cap. 7. Lond. 1734. Quæ BARBEYRACCIO stomachum moverunt in Præfatione ad quintam editionem Gallicæ versionis libelli Pufendorfiani *de officio hominis & civis.* Amst. 1735. Sunt & alii duo libelli in linguâ Anglicanâ conscripti, ad hunc locum spectantes. 1. *The Spirit of Ecclesiasticks, of all Sects and Ages, detected.* Lond. 1722. Auctor hic nihil aliud egit, quam ea, quæ a BARBEYRACCIO contra Ethicam Patrum dicuntur, anglicè transtulit. 2. *The Spirit of Infidelity detected.* Lond. 1722. Auctore ZACH. GREY, L. L. D. qui iterum longe auctior prodiit. Lond. 1735. De meritis hujusce controversiæ nil dicemus; *non nostri est tantas componere lites.*

[16] Recusi sunt A. MDCXCIX. Stuttgardiæ, opera & studio MICHAELIS FOERTSCHII, qui & dissertationes quasdam subjunxit.

ſimulandum) multo minus principia, diverſa utique & admodum inter ſe differentia, non ita ut par eſt, ſecernendo, quæ tamen ſecernenda eſſe ipſi ſine dubio quidem perſpectum habuere & exploratum; aliis ut in eundem errorem inciderent, ac, quod & hodie non adeo infrequens eſt, *theologiam moralem* cum *jure naturæ* confunderent, ſuppeditavere occaſionem. Quod ut excuſemus quam lubentiſſime, admiremur autem, ſi imitari non licet, quæ recte ſapienterque ab optimis viris dicta factaque ſunt, noſtrarum quidem erit partium.

A Scholaſticis obſcuratum;

XI. Et utinam non duriora fata, & theologiam & jus inſimul naturæ, excepiſſent! Ecquis ignorat, fuiſſe tempus, cum fæda & triſtis ignorantia orbi univerſo incumberet, & ſuperſtitionis regnum magnis undique viribus ſtabiliretur [17]? Deplorent alii cladem puriori doctrinæ cœleſti illatam. Id ego nunc non ago. Philoſophiam moralem quoque cum ceteris artibus incultam, ſqualore & rubigine obſitam jacuiſſe, ut proſcriptam velut profugamque avolaſſe, & mortalium deſeruiſſe ſedes, cenſere ejus artis homines potuiſſent, neminem fugit. Non quidem defuerunt, cum *ſcholaſticorum*, ut vocant, barbaris vocibus literarum ſedes & ſapientiæ ſacraria perſonarent; ex ipſis etiam theologis, qui hanc doctrinæ partem ſub incudem revocarent, aſt adeo infeliciter, ut nullus dubitem,

[17] Conf. Buddei inſt. Phil. eclect. T. I. Part. I. Cap. V. §. IV. ſeqq.

multos

multos in eam ituros sententiam, satius hosce homines & sibi, & optimæ arti consulturos fuisse, si hæc sacra non contrectassent [18].

XII. Qui vero in horum successerunt locum, ejusdem disciplinæ alumni aliquanto recentiores, industriam profecto & ingenium [19], ad scientiam hanc excolendam, quod non diffiteor, attulerunt, & subtili ac spinoso dicendi genere, quæ fere propria illorum hominum laus est, multa juris naturalis excusserunt capita; sine ordine tamen cuncta tradunt, infirmo aut lubrico fundamento, quæ docent, superstruunt, divina humanaque jura miscent, rationum momenta aut plane non, aut jejuna quandoque & ridicula afferunt, sæpissime contra ad patrum auctoritatem, ad conciliorum canones, ad Romanorum præsulum decreta, intempestive provocant. Sunt tamen, quæ indefesso horum hominum studio, id quod æquus rerum existimator non abnuet, atque labori incredibili debentur. Nec tamen ab erroribus variis, iisque gravissimis fuerunt immunes, quos tantum abest, ut Romanæ ecclesiæ theologi, qui horum ceu majorum suorum se premere vestigia gloriantur, emendaverint correxerintque, ut auxerint etiam, hereditatem novis commentis locupletatam ad posteros transmissuri. *eorumque discipulis*

18 Pleniorem Philosophiæ Scholasticæ Historiam videre erit, si cui voluptas esse possit, apud BUDDEI *Histor. Philos.* cap. 5. vel ejusdem *Isagog. Theolog.* P. 2. c. 4. §. 6.

19 Conf. GROTIUS in Prolegom. operis de J. B. & P. §. 52. add. BOECLER. *ad loc.* p. 22.

XIII.

Exemplum ex probabilis opinionis usu.

XIII. Certe veteres illos minus desipuisse, contendere ausim, adeo aut ignorantia, aut, quod credere malim, malitia, quosdam eorum in transvorsum agit. Fidem faciunt illepida ista de *probabilis opinionis usu*, unde, judice LUDOVICO MONTALTIO, vel potius BLASIO PASCHALI, (hunc enim MONTALTII nomine tegi accepimus) ceu ex vitiato fonte, cetera doctrinæ flagitia fluxerunt, ut & de *peccato*, ut vocant, *philosophico*, commenta. Hujusmodi figmentorum, utut jam in antiquioribus illis THOMA, BONAVENTURA, VASQUESIO, SANCHEZIO, CARENA, NAVARRO, CORDUBA, AZORIO, RAMIREZIO, CASTANNEGIO, ESCOBARIO, LEDESMA, VALENTIA, CASTRO PALAO, MEDINA, SANCTIO, ARRAGONIO, LOPEZIO, MARTINEZIO, ZARANDO, VILLABOLOSIO, aliisque, cumprimis vero DIANA, vestigia quædam deprehendantur: recentiores tamen, HONORATUM FABRI [20], ANTONIUM TERILIUM [21], AMADEUM GUIMEDIUM [22], & plures, audacia eousque provexit, ut non tantum assererent, sed & scriptis publicis contenderent fas esse, eligere sententiam, vel unius viri doctrina inclyti auctoritate munitam, utut ceteroquin legi plane repugnantem.

Quod confitentur quidam Romanenses.

XIV. Cui quidem temeritati an addi aliquid possit, vehementer dubito. Idque intellexerunt cordatiores, sanioresque ex ipsis

[20] In Apol. doctrinæ moral. Jesuit. [21] In regula morum contra *Elicaldum*. [22] In sing. theolog. moral. &c.

ecclesiæ

ecclesiæ Romanensis propugnatoribus, VINCENTIUS BARONIUS [23], GONETUS [24], ESCLAPEZIUS [25], ANTONIUS MERENDA [26], STEPHANUS GRADIUS [27], JOANNES SINNICHIUS [28], ANTONIUS CELLADEUS [29], aliique. Quin *Jesuitici* ordinis viri ægerrime jam ferre incipiunt, tam lepidi fœtus parentes inter suos quæri. Certe THYRSUS GONZALEZ, in *Salmanticensi* quondam *Academia* Theologiæ Professor, deinde Præpositus generalis *societatis Jesu*, commenti hujus primum excogitati gloriam adeo non suo ordini vindicat, ut ceu crimen ab illo amoliri, quin hanc ipsam sententiam a societati huic addictis, FERDINANDO REBELLO videlicet & PAULO COMITOLO, primum impugnatam fuisse, contendere non ita pridem ausus fuerit [30]. Ipse vero, etsi probabilium opinionum non plane rejiciat usum, ita tamen eundem temperat, ut longe honestiorem sententia ista induisse faciem videatur. Quæ tamen affert, sintne veritati consentanea, ab aliis discussum iri, nullus fere dubito.

XV. Mea quidem parum refert, sintne *Jesuitæ* an alii figmenti hujus auctores: nunquam tamen a me quisquam impetrabit, ut non cladem, quam aliis erroribus suis, & *A Jesuitis corruptum.*

---

[23] In theolog. moral. advers. probabil. [24] In dissert. de probabilismo. [25] Contra probabil. [26] In disput. de consil. [27] De opinione probabili. [28] In tractat. de probabil. [29] Contra probabil. Jesuit. [30] In fundament. theologiæ moralis, h. e. tractatu theolog. de recto usu opin. probab.

 theologiæ

theologiæ & philoſophiæ morali, quidam ex *ſocietatis Jeſu* ſacerdotibus (omnes enim eodem loco habere nefas eſſet) intulerunt, tantam eſſe cenſeam, ut dubitem, an ullis, quantumvis præclaris iſtorum in literas bonaſque artes meritis, poſſit penſari. Sed acceperint hunc errorem ab aliis: fortiſſimos tamen, pertinaciſſimoſque ejus defenſores, hæc ipſa ſocietas ſubminiſtravit. Ab ea vero periculoſiſſimas opiniones ſubinde in moralem doctrinam invectas fuiſſe evictum, ut alios taceam, jam pridem eſt a CASSIANO a S. ELIA [31]. Theologis *Nemauſenſibus* [32], atque ARNALDO [33]. Et nonne profanum iſtud de *peccato philoſophico* commentum annitentibus ſocietatis hujus doctoribus in ſcenam prodiit? Aut, ſi antiquus error eſt, quod non plane abnuo, a STEPHANO BAUNIO [34] tamen eundem maxime ab orco revocatum, exceptum ab ESTRIXIO [35], defenſum & propugnatum ab ANTONIO BURGUNDO [36], JACOBO PLATELLO [37], TERILLO [38], præſertim *Divionenſibus Jeſuitis* fuiſſe, palam eſt; ſi quis vero inficiari auſit, eum rectiora ANTONIUS ARNALDUS [39] docebit.

---

31 In theologia morali a corruptelis Jeſuitarum repurgata. 32 *Kemnitio, Boquino, Gotuiſio* in doctrinæ Jeſuitarum capitibus retextis. 33 *Dans la morale practique des Jeſuites.* add. auctor libri: *Religion des Jeſuites*; item, quæ de utriuſque libri hiſtoria diximus, in diſſertatione, de ſuperſtitioſo mortuorum apud Chinenſes cultu. 34 In ſum. peccat. 35 In theſibus A. 1688. die 23. Jul. prop. 36 In theſibus A. 1670 editis. 37 In Synopſi theol. 38 In regula morum.

39 In nova hæreſi epiſcopis & principibus denunciata. add. ejus denunciatio ſecunda, & tertia.

XVI.

XVI. Ita moralis doctrina, optima nobilissimaque philosophiæ pars, profuga velut & extorris, modo per jureconsultorum, modo theologorum castra oberrans, mitius profecto ab illis, quam his habita est, quippe quibus parum fuit, non ita ut decebat illi litare, sed corrumpere insuper & depravare, pulchrum visum fuit. Nec alia eam temere excipere fata potuerunt, ex quo a philosophis neglecta, quin ejecta in exilium, & penitus proscripta fuit. Rem omnem a primis, quod aiunt, arcessere fontibus juvat. *A Philosophis neglectum,*

XVII. Fuerunt, res nota est, olim homines, qui rerum omnium scrutabantur & investigabant causas. Hos sapientes ab initio, deinde post PYTHAGORAM philosophos appellabant. Cum vero in naturalium maxime rerum contemplatione ætatem agerent, SOCRATES tandem [40] eam veram sapientiam esse intellexit, quæ homines non tantum doctiores, sed & meliores redderet; adeoque de formandis ad omnem honestatem hominum moribus fuit sollicitus. Permulti ejus fuerunt disci- *Philosophiæ moralis origo a SOCRATE repetitur.*

---

[40] Nec tamen reliqui philosophi, qui *Socratem* antecesserunt, hujus doctrinæ fuere expertes. conf. de jure naturali ad mentem Græciæ Poetarum, itemque septem sapientum ac *Pythagoræ*, JOANNES GRONINGIUS in Bibliotheca Juris gentium Europæa, lib. I. cap. 2, 3, 4. De septem Græciæ sapientibus, & horum philosophia, & nos egimus in peculiari commentatione, cui titulus: Sapientia veterum. De *Socratis*, *Cynicorum*, *Democriti*, ceterorumque philosophorum jurisprudentia naturali idem agit l. c. cap. 5, 6. BUDDEUS.

puli, qui varias iterum condiderunt ſectas, quarum illæ demum quam proxime ad ſapientiſſimi viri diſciplinam accedere videbantur, quæ in moribus emendandis, in vitæ integritate & puritate tuenda, plurimum ſtudii atque operæ collocabant.

Deinde a Platonicis colitur.

XVIII. *Platonicorum* cumprimis, & *Ariſtotelicorum* celebre olim fuit nomen. Et PLATO quidem de *morali* philoſophia, ipſoque adeo *jure naturæ* ſubinde præcepit [41], præſertim vero in *apologia Socratis*, in *Critone*, *Philebo*, *Menone*, *Alcibiade primo* & *ſecundo*, *Charmide*; hi enim ſunt dialogorum tituli. Sunt qui fundamento certo ubique non inniti, quæ differit, contendunt, nonnulla etiam diſſimulaſſe aiunt; unde multæ ejus de graviſſimis quæſtionibus ſententiæ nemini ſint perſpectæ. Quicquid vero hujus ſit, præclara admodum ejus extare effata conſtat, quibus jus naturæ exornari haud mediocriter poſſit. *Platonici*, quorum ad nos pervenere ſcripta, ſunt PHILO JUDÆUS, (modo recte *Platonicis* annumeretur) PLOTINUS, APULEIUS, MAXIMUS TYRIUS, CHALCIDIUS, JAMBLICHUS, PROCLUS, ALCINOUS, qui cum de officiis præcipiunt, ejuſmodi ea ſunt, ut de plurimis

---

41 Conf. Jo. JOACHIMI ZENTGRVAII ſpecimen juris naturalis ſecundum *doctrinam Platonicam*, 1679. editum. add. de philoſophia juris Platonica præter alios etiam *Jo. Nicolaus* HERTIUS de juriſprudentia univerſali ſect. I. § XXXI. T. 1. opuſcul. Sed & FLEURII legi meretur diſſertatio de *Platone*, libro ejus de ſelectu & methodo ſtudiorum ſubnexa.

juris naturæ capitibus recte eos sensisse inde edoceamur, doctrinæque adeo morali lucem haud contemnendam affundunt.

Et ab Aristotelicis.

XIX. ARISTOTELES itidem in hac philosophiæ parte ingenium exercuit [42]: nec contemnenda sunt *Peripateticorum*, THEOPHRASTI ERESII, ANDRONICI RHODII, ALEXANDRI APHRODISÆI, ceterorumque opera. Ego tamen ita arbitror, *Stoicos Socraticæ* disciplinæ alumnos in hoc literarum genere ita excelluisse, ut *Peripateticis* pariter ac *Epicuræis* [43] dubiam reddiderint palmam, licet & ipsi subinde a recto abberrarint tramite [44]. Extat Epistola NAZIANZENI ad *Eudoxium Rhetorem* [45], in qua cum ceteris philosophis ita contendit Stoicos, ut his principem tribuat inter omnes locum; cujus judicio eous-

[42] Conf. de philosophia juris *Aristotelica*, HERTIUS l. c. & reliqui ejusdem generis scriptores, quibus addenda SAMUELIS RACHELII ad Philosophiam moralem *Aristotelis* introductio, itemque JOANNIS EISENHARTI institutionum Juris Naturalis in Moralis Philosophiæ Doctrina repræsentatio.

[43] Horum doctrinam moralem exhibet GASSENDUS in systemate *philosophiæ Epicureæ*, & alibi: item BERNIER *Abregé de la Philosophie de Gassendi:* add. GATAKERUS præloquio in *M. Aurelii Antonini* librum de se ipso ad se ipsum.

[44] Hoc ipse ostendi in quatuor dissertationibus *de erroribus Stoicorum* in philosophia morali. Ipsam illorum doctrinam moralem ex recentioribus JUSTUS LIPSIUS, & CASPAR SCIOPPIUS, dederunt, & DU VAIR, *dans la philosophie des Stoiques.* Add. GATAKERUS in præloquio ad *Antoninum*, & de Jurisprudentia illorum naturali; HERTIUS, &c. BUDDEUS.

[45] Apud *Basil.* 1618.

que subscribo, quod in morum doctrina non temere occurrant inter veteres, qui *Stoicos* superaverint. Non spernenda, fateor, sunt *Pythagoræorum* effata, quæ præter SCHALLERUM, vel potius MARCUM MAPPUM [46], aliosque, e tenebris produxit *Magnus* DANIEL OMEISIUS [47]. *Stoicorum* tamen in quibusdam, si non pluris, certe non minoris ego fecerim decreta. Utinam veræ multo præstantissimorum virorum, qui strenue in porticu militarunt, pulcherrimæque de officiis hominum, quæ periere, commentationes ad nos pervenissent! Sane tum demum posset intelligi, quantum jus naturæ deberet *Stoicis*. Præclara quidem sunt, quæ SENECA, *Stoicis* utique, non *Epicuræis*, ut SCALIGER censet, aut *Cynicis* annumerandus [48], EPICTETUS, & qui, judice DACERIO [49], utrumque superat, M. AURELIUS ANTONINUS *Imperator* & *Philosophus* præcepere; iis tamen, quæ æternis tenebris obruta sunt, Stoicorum operibus hæc cedere puto.

Itemque a Stoicis.

XX. Non leviter autem *Stoicos* jus naturæ attigisse, nec intra *parænefes* substitisse, vel CICERONIS *de officiis libri* testantur. Utut enim *Academicorum* subinde illi probentur placita; in *morali* tamen *philosophia* ex *Stoi-*

---

46 In Differt. de Ethica Pythagor.

47 In Ethica *Pythagoræa*. add. auctores hactenus laudati.

48 Vid. JONSIUS de scriptoribus *Histor. Philos.* lib. iii. cap. xx.

49 In Præfat. ad *M. Aurelii Antonini* versionem Gallicam.

corum

corum fontibus ſua utplurimum irrigavit arva [50]. Hæc vero quoties mecum reputo, mirari ſubit, qui factum, ut non chriſtiani veteres manibus pedibuſque in Stoicorum philoſophiam iverint. Errores enim illorum haud difficulter potuiſſent reſecari. HIERONYMUS quidem a chriſtianorum de moribus placitis quam proxime abeſſe Stoicos profitetur diſerte [51]: Nihiloſecius plerique veterum *Platonicorum* ſectati ſunt dogmata, ſæpius etiam incautius cum chriſtiana religione ea conjungendo in graviſſimos errores præcipitati. Si conjiciendo hic proficeretur ad rei ſummam, quæ tamen ceteroquin lubrica admodum via eſt, præterquam quod ipſa *Platonicæ* quoque & *Chriſtianæ* doctrinæ convenientia multos inducere ad hoc potuerit; haud adeo diſpliceret mihi eorum ſententia, qui multitudine ſua chriſtianis quam maxime nocuiſſe Stoicos, præſertim cum moribus integris vitaque honeſtiſſime acta magnam ſibi paraſſent auctoritatem, indeque adeo odio illis fuiſſe opinantur. Sane Stoicos ſua ætate omnes ceterarum *hæreſium* philoſophos numero ſuperaſſe, SEXTUS EMPIRICUS [52] locuples mihi teſtis eſt. Prior tamen apud me potior eſt ratio, cum exiſtimem, in quibuſdam ſanctiorem adhuc eſſe PLATONIS & PYTHAGORÆ philoſophiam, quam *Stoicorum*, & huic multis nominibus præferendam; cujus

---

50 Vid. HENRICUS JULIUS SCHEURLIUS in *Bibliographia morali*, § xxix.

51 In cap. viii. *Eſaiæ*.

52 Lib. 1. de Philoſ.

causam facile perspiciat, qui secum expenderit longe plura utrumque a barbaris gentibus, forte & ab ipsis Ebræis per traditionem accepta, retinuisse, quam reliquos philosophos. Quiquid hujus sit, neglexerunt *Stoicam* philosophiam; & *Platonicam* initio, deinceps vero *Aristotelicam* inito quasi certamine amplexi sunt, eo quidem eventu ut parum abfuerit, quin moralis doctrinæ jacturam fecerint.

Peripateticorum commentationes jejunæ.

XXI. Enimvero ut illorum, qui se *Peripateticos* aut *Aristotelicos* esse gloriantur, de undecim virtutibus commentationes quandoque satis jejunas, dignas esse quæ hoc titulo superbiant, credam, vix a me impetrare queo. Non is sum, qui de gloria & existimatione istius Philosophi aliquid detractum cupiam. Scio multos tum demum sapientiæ se litasse credere, si in *Stagiritam* acriter insurgant: inter quos Franciscus ille PATRITIUS primum obtinet locum [53]; sed nec illud me fugit hominem fuisse ARISTOTELEM, & eum excellenti quidem ingenio præditum, multis tamen iisque gravissimis & vitiis & erroribus fuisse obnoxium: quæ vero de *morali philosophia* scripsit, ad *civilem* rectius referri [54],

53 In discussionibus *Peripateticis*: add. PETRUS GASSENDUS in exercitationibus paradoxicis contra *Aristoteleos*.

54 Genuinum Ethicæ *Aristotelicæ* systema, civilem potius quam moralem doctrinam exhibens paucis delineavi T. I. *Instit. Philos. Eclect.* part. I. c. IV. § XXXIII. De nævis etiam *Ethicæ Aristotelicæ* meo ductu dissertationem juvenis quidam scripsit. Defectum agnoscunt, qui ceteroquin communem sententiam sequuntur. vid. OMEISII theatrum virtutum ab *Aristotele* omissarum. BUDDEUS.

&

& cum iis, quæ aut PLATO, aut *Stoici* de ea præceperunt, neutiquam esse comparanda; saltem veris & genuinis doctrinæ moralis fontibus recludendis non sufficere: tantum abest, ut omnem ejus ambitum exhauriant. Et nihilosecius per aliquot secula, ex quo scholas occupavit *Stagirita*, intra hosce terminos morum doctrina substitit. Quin aliud adhuc malum græci sermonis imperitia accedebat, unde hi ipsi, qui peripateticæ philosophiæ præclari audiebant interpretes, ne mentem quidem *Stagiritæ* satis assequebantur, ludicraque adeo commenta suis propinavere discipulis. Sed huic quidem malo præter alios PETRUS VICTORIUS eruditissimus vir obviam ivit.

Jus Naturæ a GROTIO *restauratum.*

XXII. Atque de ARISTOTELE quidem multi præclare meriti sunt, moralis tamen doctrina non alia inde incrementa sumsit, quam ut nunc demum, quid ARISTOTELES senserit, neminem facile latere posset [55]. Fata tandem

---

[55] De NICHOLAO MACHIAVELLO, qui in hoc argumento multa præclara, licet non omnia calculo nostro notanda, scripsit, nihil hic dixit auctor. Igitur quæ ad hanc rem necessaria videntur, ex ipsius BUDDEI *Historiâ Philosophicâ*, p. 502, Edit. *Walchii* hic supplebimus. " Inter scripta hujus loci sunt *Princeps* ejus cum animadversionibus politicis *Herm. Conringii* editus Helmstad. 1686. 4to. Et *Disputationes de Republica*, 1620. 8vo. In hisce, præsertim in priori, sive *Principe*, talia docuit, quæ non omnibus placuerunt: cum primis id vitio datum, quod Principem suum ita instruxerit, ut quacumque ratione dominatum aut consequi aut tueri minimè nefas consendum sit; imo " eundem

tandem dedere HUGONEM GROTIUM, illum *juris naturæ* reſtauratorem feliciſſimum, qui

---

" eundem non tantum cuncta ad ſuum commodum in-
" ſuper habitâ populi ſalute, referre docuerit; ſed ei-
" dem pro virtute ſolida ſimulationem virtutis commen-
" daverit, imo à virtutis regiâ viâ deflectendum iſti
" ſuaſerit, ſi ſua ſalva eſſe velit. Sunt & alii, qui alia
" in MACHIAVELLO culpant; quemadmodum nec de-
" ſunt, qui eum aut defendunt aut excuſant. Sed ob
" ea, quæ recitavimus, dogmata, *Florentinum* huncce
" Politicum non ſine ratione male audire, *Herm. Conrin-*
" *gius* æquiſſimus MACHIAVELLI cenſor pronunciat, in
" præfatione ejuſdem *Principi* præmiſſa. Interim cer-
" tum, MACHIAVELLUM revera nihil novi docuiſſe.
" Ipſum *Ariſtotelem*, ne quid de aliis tum Philoſophis
" tum Hiſtoricis, & inter hos de *C. Cornelio Tacito* dicam,
" jampridem eadem docuiſſe, MACHIAVELLUMQUE
" ſua ex *Ariſtotele* deſumſiſſe idem, quem jam laudavi-
" mus, *Herm. Conringius* pronuntiat. [Introd. in Polit.
" *Ariſtot*. c. 3. p. 683.] Multos MACHIAVELLUM de-
" teſtari qui revera nihil aliud agunt, quàm quod MA-
" CHIAVELLUS docuit, imo hunc nihil aliud docuiſſe,
" quam quod plerique Principes rerumq; Domini agunt,
" experientia docuit ——— Inter cenſores, quos MA-
" CHIAVELLUS nactus eſt, eminent *Innoc. Gentiletus*,
" *Antonius Poſſevinus*, *Tho. Bozius*, *Petrus Ribadeneira*,
" *Hieron. Oſorius*, *Joan. Laur. Lucchesinius*: uti autem
" omnibus, qui contra MACHIAVELLUM ſcripſerunt,
" citra controverſiam præferendus eſt HERM. CONRIN-
" GIUS in *animadverſionibus politicis* in ejuſdem *Principem*;
" ita idem vir doctiſſimus in *Præfatione* obſervat non-
" nullos ex MACHIAVELLI cenſoribus ſcripta ejus non
" legiſſe, aut ſi legerunt non intellexiſſe; ſpeciatim ab
" *Antonio Poſſevino* Jeſuitâ haud incelebri, cujus in-
" ſtinctu maximè à Romanâ inquiſitione MACHIA-
" VELLI *Princeps* damnatus fuit, huncce librum ne
" quidem lectum fuiſſe luculenter oſtendit. Inter illos,
" qui MACHIAVELLUM defenderunt, præcipuus eſt
" CASP. SCIOPPIUS *in pædia Politices*.

reſtitutæ

restitutæ suo nitori hujus philosophiæ moralis partis gloriam apud literatum, quacunque patet, orbem jam pridem retulit. Reprehenduntur, fateor, in ejus *de belli & pacis jure* libris singulares quædam sententiæ, quas tamen facile declinabit peritus lector, neque, propter aliquem nævum, totius corporis pulchritudinem despiciet. Hic signum aliquod ad bene de jure naturali sperandum sustulit, viamque primum ingressus est, quam clarissimi deinceps solertissimique viri suis signarunt vestigiis.

XXIII. Non speranda equidem jam ante GROTIUM in medium attulere PHILIPPUS MELANCHTHON [56], atque BENEDICTUS WINCKLERUS [57]; ille quidem in sua *philosophiæ moralis epitome*, hic autem in *commentatione* de *principiis juris*. Sed dispellendis tam crassis, quæ orbi incumbebant tenebris, lux tenuis non sufficiebat: cum post MELANCHTHONIS ætatem omnes, præeunte Theologorum ordine, in scholasticorum commentis postliminio reducendis, immo augendis atque stabiliendis, certatim elaborarent. GROTIO demum ingenium, & tanta inter eruditos

In eodem laborarunt Melanchthon & Wincklerus.

---

[56] Omisit Auctor, qui inter *Melanchthonem* & *Wincklerum* inseri debet, NIC. HEMMINGIUM; cujus Methodus apodictica *de lege naturæ* prodiit, *Wittemberg*. 1562.

[57] WINCKLERI PRINCIPIA JURIS in lucem prodierunt, A. D. 1615. Constat hoc opus ex quinque libris, quorum I, agit de lege omnia primo movente ac gubernante. II, De Jure primo ac proprie dicto. III, De Jure Naturali. IV, De Jure Gentium. V, De Jure positivo ac civili.

eruditos obtigerat auctoritas, ut vel hoc nomine, si quisquam alius, ille sane par esse tam arduo operi merito crederetur. Nec tamen constitutum illi quicquam aliud fuit, quam gentium integrarum controversiis hanc juris accommodare tractationem; ut *juris gentium* quoque nomine appellare illos libros voluerit, quos de *belli pacisque jure* deinceps inscripsit. Hoc ipsum vero cum ita exequeretur, ut certis ex gentium, immo ex humani generis natura, constitutis principiis reliqua ordine inde derivaret, exemplum præivit reliquis præclarum utique & omnino imitandum, quod in universo naturæ jure, qua singulorum etiam officia spectat, hunc in modum adornando sequerentur.

Grotius ab Inquisitione Romæ damnatus.

XXIV. Prodiisse hos HUGONIS GROTII libros primum *Parisiis* A. M. DC. XXV. constat, quos suasu summi viri PEIRESCII composuit, cujus singulari in litteras earumque cultores favori, egregios quos orbis eruditus inde percepit fructus, merito haud ingrata imputat posteritas. Nec quisquam, quam diu ipse vixit GROTIUS, contra eos quicquam movere ausus est: nisi quod tertio, ab eo tempore quo prodierunt, anno, M.DC. XXVII. *die quarto Februarii*, ab *inquisitionis*, quod *Romæ* est, officio nota *Hæroseos* illis inureretur. Quam severitatem forte non expectasset GROTIUS, qui multa Romanæ ecclesiæ placita etiam hoc ipso in opere, non sine aliorum indignatione, comprobavit. Ceteros ut auctoritate forte famaque a censura, quam diu vixit, deterruit; ita erumpente liberius

berius post mortem invidia celebrari contra magis hi libri cœperunt, passimque eruditorum commentariis illustrari, ut tum demum, quid GROTIUS sibi voluisset, intelligi videretur.

XXV. Sed JOANNES tamen SELDENUS actus gloriæ cupiditate in transvorsum videtur, si standum illorum judicio est, qui GROTII æmulatione incensum putant virum doctissimum, eruditum illud *de jure naturæ & gentium, juxta disciplinam Ebræorum* opus [58], in lucem emisisse. Certe hoc sua industria effecit, ut quæ *Ebræorum* de gravissimis juris naturæ capitibus sententia sit, neminem fugere possit. Extitisse autem in hac gente, qui & ingenio, & doctrina cum quibusvis certare queant, vel MOSIS MAIMONIDIS, doctissimi utique viri & juris peritissimi, exemplo constat. Accedit, quod quæ a majoribus suis acceperunt, diligentia qua possunt maxima referant *Ebræi* doctores, ut vel hoc nomine, de hac moralis doctrinæ parte, non male meriti videantur. Et SELDENUS quidem, *Noachidarum* decantatis *præceptis* fundamenti loco substratis, longe lateque per varia non juris modo sed antiquitatis capita procurrit, in *Ebræis*, *Græcis*, *Latinis*, *Arabicis*, scriptoribus, immo ipsis *Scholasticis*; nihil intactum

Hunc excepit Seldenus.

58 Primâ vice prodiit *Lond.* 1640. Fol. Postea vero *Argentorati* 1665. 4to. Natus est ipse Auctor *Dec.* 26. 1584. Mortuus *Nov.* 30. 1654. Conf. Vitam ejus erudite conscriptam a Viro Cl. JOAN. WILKINS, S.T.P. quam præmisit SELDENI operibus ab ipso editis 6 Vol. Fol. *Lond.* 1726.

intactum relinquens, quod suo quodammodo instituto inservire putavit. Hoc ipsum vero est, quod nonnulli in eo reprehendunt, qui suo eum comprobasse exemplo aiunt, quam facile nimia eruditionis consectatione judicii vim obtundant viri docti. JOANNEM SELDENUM hac ratione sua ita perturbasse studia, ut eodem tempore de rebus toto genere diversis cogitaret. Digressiones, enim, inquiunt, captat adeo remotas & interdum tam longas, ut nisi ita studia instituisset, (hæc enim mali istius, quod eruditos vexat origo) non potuisset tantam ordinis & rerum perturbationem ferre. Ac sane dum ordinem & perspicuitatem negligit, non parum tædii lectoribus creat; quæ vera ac utilia habet, longe plurima minus facile intelliguntur, & sicubi in errorem delabitur, vix origo erroris deprehendi potest [59].

Proxime sequebatur Hobbesius, *quem refutarunt* Cumberlandius, Bramhallus, Cocquius, Sharrockius, Filmerus, Schaftus, Strimesius, *aliiq;*

XXVI. Mortuo HUGONE GROTIO, in illorum numero, qui lucem juri naturæ affundere annitebantur, comparuit THOMAS HOBBESIUS, *Malmesburiensis*, vir omnium

---

59 Isthæc de SELDENO scripsit JOAN. CLERICUS in *Arte Criticâ*, P. 1. c. 5. § 5. Quæ prolixius a SELDENO scripta fuerunt, operæ pretium sibi duxit noster *Buddeus* in compendium mittere; ut in eo citra ambages, sine cultu, sine ornatu (verbis ipsius utor) moralem Hebræorum Doctrinam eruditorum oculis subjiceret, & ipsius ut plurimum SELDENI verbis exponeret. Aliorum etiam scriptorum præsertim accuratius jus naturæ interpretantium subinde indicavit loca, usui futura illis qui revocare ad Examen Ebraicæ gentis placita cupiunt. Prodiit ad calcem VITRIARII *Institut.* Lug. Bat. 1734.

judicio ingenii ſubtiliſſimi. Is ſi tantam ad litterarum ſtudia attuliſſet probitatem, quantum attulit ingenium, ingens ab eo emolumentum cum omnes litteræ tum maxime juris naturalis diſciplina capere potuiſſet. Jam vero ſuam quam excogitavit de ſtatu naturali fabulam, ceteraque quæ eidem ſuperſtruxit, eo comparatam voluit, CAROLO *ſecundo* ut placeret *Angliæ Regi*: Plane ac ſi imperantium in tuto collocari majeſtas nequeat, niſi advocatis in ſubſidium figmentis. Is vero etiam dum pius in regem videri voluit, parum abeſt, quin impius in Deum ipſam religionem imperantium arbitrio ſubjiciendo, injuriuſque in cives ſervili prorſus conditioni eos addicendo, extiterit. Videre vero & hic licuit, quam difficile ſit mediam tenere viam, quoties civium libertas auctoritaſque Principum inter ſe committuntur. HOBBESIUS vero ſuæ audaciæ pœnas abunde dedit RICHARDO CUMBERLANDIO [60], JO. BRAMHALLO [61], GISBERTO COCQUIO [62], ROBERTO SHARROCKIO [63], ROBERTO FILMER [64], JO. SCHAFTO, SAMUELI STRIMESIO, aliiſque [65], qui ingenium calamoſque contra

---

60 Diſquiſitio *de Leg. Naturæ*, 1672. 4to.

61 Vindicatio veræ *Libertatis*. 1675.

62 In Vindiciis *pro Lege & Imperio*, & Anatome *Hobbeſianiſmi*.

63 *De Officiis ſecundum Jus Naturæ*. 1660. 8vo.

64 *Obſervat.* ad HOBBESII *Leviathan*. 1679.

65 Scil. CLARENDON. contra *Hobbeſii Leviath*. PARKERO in *Diſputationibus de Deo*. 1678. Et *De Legibus Naturæ*

contra eum acuerunt: quorum ut idem scopus, ita nescio, an idem fuerit successus: ne quid nunc de iis dicam, qui non quidem ex instituto, sed data occasione, & ὡς ἐν παρόδῳ illum aggressi sunt. Nec tamen defuerunt qui patrocinium ejus susciperent, ejusque philosophiam defenderent, quos inter LAMBERTUS VELTHUYSIUS eminet [66], ingenio profecto & acumine ipsi HOBBESIO comparandus [67]. DANIELIS SCARGILI enim conatus, cujus auctor vitæ Hobbesianæ meminit, in ipsa, quod ajunt, herba suppressi sunt [68]. Et

Naturæ. 1681. SETH WARD *Exercitatio Epistolica,* 1656. Et qui instar omnium est, RAD. CUDWORTHO in *System. Intellect.* & de *æterna & immutabili Moralitate*; qui nuper prodierunt latinè versi à Doctiss. MOSHEMIO. 2 Vol. Fol. *Ienæ* 1733.

66 In disquisitione epistolica *de principiis justi & decori,* primo seorsim, deinde cum reliquis ejus operibus edita. 2 Vol. 4to. *Roterod.* 1680.

67 Non tamen ita defendebat HOBBESIUM, ut *in verba magistri* juraret, vel eum per fas & nefas vindicaret. Studium seipsum conservandi pro fundamento moralis obligationis, omnisq; istius quod justum & decorum haberi solet, cum multis viris cordatissimis posuit; sed principiis istis nefandis *de Statu Naturæ Statu Belli, de Jure omnium in omnia, de pactis fonte Obligationis,* & ejusmodi, neutiquam patrocinatus est.

68 Paucos alios nactus est HOBBESIUS defensores. NIC. HIERON. GUNDLINGIUS eum ab Atheismi crimine vindicare annititur. *Observat. Sel.* Tom. I. p. 37. Item *de Statu Naturali* HOBBESII *defenso & defendendo.* Easdem partes suscepit RAD. BATHURST *in Vita Hobbesii* ejusq; auctario. 1681. Quædam HOBBESII placita JO. CHR. BECMANNUS calculo suo comprobavit in *Meditationibus politicis,* itemq; in *politica parallela.* Sed & PETRUS

Et HOBBESII quidem *de cive elementa* A. M. DC. XLVI. lucem primum adſpexerunt, quæ aliquot poſt annos videlicet M. DC. LI. alter ejus fœtus, cui *Leviathan* titulum fecit, excepit [69].

XXVII. Sed GROTII tamen nondum ita obliterata memoria erat, ut non quosdam ejus *de belli & pacis jure* libri occuparent. Et hoc ipſo ſane tempore JOANNES A FELDEN vir juris pariter ac matheſeos callentiſſimus, pro eo quem erga *Ariſtotelem* animo conceperat favore inſurgere in Grotium, ejuſque dicta, in quibus a tanto ſapientiæ magiſtro diſſenſerat, atro notare lapillo in animum induxit. Cujus conatus non diſplicebant illis, qui famam & gloriam GROTII ægris intuebantur oculis. Quos inter & CLAUDIUS SALMASIUS

Grotio *adverſatur* Feldenus, *tuetur* Graſwinkelius.

PETRUS GASSENDUS, dum Juris & Juſtitiæ originem ex pactis derivat, aliaq; *Epicuri* dogmata tuetur, ne latum unguem ab Hobbeſio diſcedit. Vid. *Syntagma Philoſ. Epicur.* P. 3. c. 26. PUFENDORFIUS noſter HOBBESII veſtigia in quibuſdam premit, in iis Scil. quæ ſana ſunt & Philoſopho digna; nonnulla tamen impia ejus dogmata ſolidè et præclarè refellit.

69) Pauca hujus libri exemplaria prius evulgata ſunt *Pariſiis* 1642. Deinde auctior prodiit *Amſt.* 1647. De hoc HOBBESII Opuſculo hanc ſententiam profert PUFENDORFIUS. *Etſi quid profani ſapiat, pleraque tamen cætera ſatis arguta ac ſana.* Præfat. ad Elem. Juriſprud. Ineunte anno 1650 publicatum eſt HOBBESII opus, linguâ vernaculâ conſcriptum, de naturâ humanâ; ſicut etiam anno vertente liber *de corpore Politico Londini* impreſſus eſt. A. D. 1655 prodiit latinè liber *de corpore*, et proximo anno vernaculè. A. D. 1658 in lucem emiſſus eſt Liber *de Homine*. Qui plura vult de HOBBESIO, adeat BAELII *Diction. Hiſtor. et Crit.* vel *vitam Hobbeſii* à RAD. BATHURST. 1681.

fuit, qui suæ invidiæ præclarum hoc extare voluit monumentum in quadam epistola, quam e tenebris produxit vir clarissimus THOMAS CRENIUS [70]: "in philosophicis, "si disputandi solertia spectetur, vix me-"diocribus par est: nec unquam vidi, qui "minori cum vi ratiocinetur: id quod testan-"tur scripta ejus, quibus RIVETUS & MA-"RESIUS rescripserunt: in studio literarum "multos habet pares, & plurimos superiores. "In jure quantum excelluerit, ostendit spar-"sio florum ad *jus Justinianeum*. Librum "ejus *de jure belli ac pacis* refutandum suscepit "quidam Professor *almæ Juliæ*, qui amicis "aliquot, quos vidi, adfirmavit se ostensu-"rum esse, nullam paginam vacare insigni-"bus erratis". Nullus dubito quin FELDE-NUM designet SALMASIUS, qui quo animo ad hanc censuram accesserit, vel ex hoc ipso intelligere licet, quod nullam paginam erratis vacare se ostensurum pollicitus sit. Prodierunt vero tandem annotata ista M. DC. LIII. quibus THEODORUS GRASWINKELIUS, vir doctus & civilium rerum haud imperitus, anno sequenti stricturas suas opposuit, quas duobus HUGONIS GROTII filiis sacras esse voluit. Non equidem sibi defuit FELDENUS, sed responsionem ad istas stricturas edidit, tacente quidem GRASWINKELIO, forte quod perspexisset optimam hanc esse vincendi litigiosos homines rationem, si res suas sibi habere jubeantur.

[70] T. I. Animadverf. *Philolog.* & *Histor.* p. 22.

XXVII.

Schookii & Boecleri merita in jus naturæ.

XXVIII. Sed juvabit, obſervata quantum fieri poteſt annorum ſerie, quæ naturalis juris doctrina ſubierit fata, porro pertexere. Anno itaque M.DC. LIX. MARTINI SCHOOKII, viri in quo alia omnia potius quam diligentiam deſideraveris, prodiit *de jure naturæ* liber in quo tamen nihil eximii admodum & non quotidianum attuliſſe viſus eſt: quanquam idem & aliis ſcriptis ad civilem moralemque doctrinam ſpectantibus ingenii periclitatus ſit vires. Quæ inter de *imperio maritimo* eminet commentatio. Qui vero illum in hoc ordine excepit JO. HENRICUS BOECLERUS, majorem doctrinæ copiam vimque ingenii exquiſitiorem ad hoc attuliſſe opus traditur. Anno namque M. DC. LXIII. commentarius ejus in librum primum, & ſeptem priora capita libri ſecundi lucem adſpexit, cui ſelectæ aliquot, *de inſignibus juris naturalis capitibus*, diſſertationes adjunctæ ſunt. Multis utique præſidiis inſtructus hunc adgreſſus eſt laborem BOECLERUS: civilis doctrinæ peritia in eo haud vulgaris, veteris recentioriſque hiſtoriæ cognitio, fonteſque, ex quibus ſua hauſerat GROTIUS, perſpecti penitus. Anfractus tamen neſcio quos, & ambages in eo vituperant nonnulli, & impeditum dicendi genus, quo plura ubique polliceri videtur, quam præſtare: cui doctrinæ ad illorum, quos offendere nolebat accommodatio, in pleriſque viri doctiſſimi ſcriptis manifeſto ſe prodens accedit. Morte autem præpeditus perducere ad finem cœpta non poterat non ſine inſigni, ut creditur, litterati orbis damno.

Compendia Grotii *à* Mullero *&* Klenkio.

XXIX. JOANNES PHILIPPUS MULLERUS sequenti anno M. DC. LXIV. in tabulas redegit GROTII *de belli & pacis jure* libros. Etenim ut studiis atque moribus, ita ingeniis maxime differunt homines; videasque alios fastidire libros, quos non contextus rationum succulenta & plena oratione ornatus commendat, alios contra sceletis illis, ut nunc cum medicorum filiis mihi loqui liceat, maximopere delectari. Mercatores itaque si imitentur eruditi, quid mirum? quos tum demum a sapientia commendari novimus, si merces gustui & indoli emptorum diversimode attemperatas exponant. Hinc tam diversus etiam in jure naturæ ad ingenium mortalium aptando & instruendo labor. Hinc præter tabulas compendia, quorum ni fallor primum a JANO KLENKIO concinnatum est, quod sub titulo *institutiones juris naturæ, gentium, & publici*, A. M. DC. LXV. lucem adspexit.

Zieglerus *in* Grotium *commentator.* Gul. Grotius *cum suis commentatoribus.*

XXX. Crescere tum indies existimatio cœpit de utilitate librorum GROTII, ut passim, in academiis viri docti juvenibus eosdem prælegere & interpretari consultum ducerent. In his summus quoque vir, isque non minus juris quam omnium literarum consultissimus fuit, CASPAR ZIEGLERUS, cujus in istos *Hugonis Grotii* libros animadversiones M. DC. LXVI. prodierunt. Libertatem modestia temperatam in eo laudant omnes. Nec eruditionem in iis, nec judicium desideraveris; meliora tamen & exactiora ab isto viro proficisci potuisse, si ingenii sui vires intendere aut voluisset

iſſet, aut per temporis rationes potuiſſet, omnes judicant, quibus res ejus cognitæ fuere ac exploratæ. Utilem tamen illis operam præſtitit, qui a ſingularibus in religione opinionibus, quas more ſuo & huic operi paſſim inſperſit GROTIUS, ſibi cavere cupiunt. Has enim non temere prætermiſit, quin notaret eas & pro re nata refelleret. ZIEGLERO jungamus jureconſultum, & doctrina, & modeſtia eo non inferiorem, eumque ipſius *Hugonis* fratrem, GULIELMUM GROTIUM, qui *de principiis juris naturalis enchiridion*, quod vocat, edidit. Is in compendio tradere, quæ prolixiori ambitu complexus eſt frater, inſtituit; nec tamen, quæ ſibi conſtituerat, ſtadia prorſus emenſus eſt. Agnoſcas facile virum elegantioribus literis innutritum & civilis juris peritia imbutum, a ſcholaſticis minutiis abhorrentem minuſque adeo placentem illis, quibus pulchrum nihil eſt, niſi quod ineptis vocibus conditum, ineptiori methodo adſtrictum, ſub neſcio cujus ἀκριβείας ſpecie illis adblanditur. Academicis tamen ſtudiis eum inſervire voluit GEORGIUS GOEZIUS, diſertiſſimus quondam *Jenenſium* antiſtes; cujus exemplum ſecuti ſunt, qui deinceps ſuis hoc enchiridium commentationibus illuſtrarunt JO. GEORGIUS SIMON, & JO. JACOBUS MULLERUS.

XXXI. Eodem circiter tempore nova ad hanc doctrinam facta eſt acceſſio, per *prodromum juriſprudentiæ communis*, DAVIDIS MEVII, *in tribunali Suecico*, quod *Wiſmariæ* eſt *vice-præſidis*, qui in altera editione, *nu-* Mevii *Prodromus Juriſprudentiæ.*

clei juris naturalis & gentium, titulum gerit. Vel ex fronte libri constat, alterius longe majoris operis hunc velut esse præcursorem: id quod & ex ipsa tractatione ea, quæ generatim de naturali jurisprudentia disceptari solent, exhibente perspicitur. Et fama, & ingenium auctoris, & eruditio singularis, nihil nisi eximium de ipso opere sperare omnes jubebant, desideriumque vehemens illud videndi & usurpandi in multorum excitarunt animis; irrita tamen hactenus eruditorum fuere vota. Id quod quo fato contigerit nescio, cum maximam saltem libri partem jam tum perfectam a se testaretur auctor, cum prodromum emitteret in lucem. Est tamen non diffitendum, & in ipso hocce prodromo non omnium promeruisse calculum Mevium. Parumque abfuit, quin ad agendas causas quam profundiorem juris naturæ inquisitionem, aptiorem eum nonnulli censerent. Id tamen, quod maxime in illo reprehenditur, quod ex statu integritatis principium ac normam juris naturæ repetierit, cum multis ei commune est: diceturque ea de re suo loco. De mutabilitate autem juris naturæ quæ dixit, censuram non admodum benignam Samuelis Rachelii [70] provocarunt. Nec difficile foret & alia in eo reprehendere, si quis erroribus aliorum in lucem producendis se natum crederet.

Osiandri *commentarius ad* Grotium.

XXXII. Mevium excepit *Tubingensium Theologus* Joannes Adamus Osiander,

[70] De jure naturæ thes. LVI.

cujus

cujus obſervationes maximam partem theologicas in *Hugonem Grotium*, M. DC. LXXI. orbis eruditus primum vidit; *Tubingæ* quippe eodem anno impreſſas. Exemplo ZIEGLERI incitatum virum dicas ad ea & notanda & conſignanda, quæ offendere aliquem eccleſiæ *Lutheranæ* ſcitis innutritum poterant. Nec negaverit feciſſe utrumque quod operæ pretium ſit, qui cogitaverit ſubinde aſſerere Grotium talia, quæ caſtigantur reprehendunturque merito. Nimium rigorem facile condonabunt OSIANDRO, qui theologum fuiſſe recordantur, qui, cum ardua ſemper tractant, nec minutias, quæ periculum afferre poſſunt, prætermittere ſolent. De fatis autem GROTII, quod ſuo quædam operi præmiſit, id magis hiſtoriæ cauſa, quam ut ullam inde illi conflaret invidiam, eum feciſſe arbitror. Scholaſticorum vero quod ſubinde placita advocavit, id ejuſmodi quidem eſt, ut elegantioribus multum diſpliceat, qui vellent tandem ab hiſce quiſquiliis moralem doctrinam repurgatam penitus: ſed a viro, qui omnem his in ſtudiis ætatem egit, expectandum aliud nihil fuit. Prætermittenda itaque hæc ſunt, & in ceteris, quæ recte dicta & obſervata ſunt, ſua non defraudandus laude. Idemque exiſtimare omnes velim de altero ejus opere, qui *typus legis naturalis* inſcribitur, quodve itidem ad ejus juris, quod ex natura omnibus conſtat, ſtudium promovendum comparatum eſſe voluit.

XXXIII. Longe aliam viam ingreſſus eſt SAMUEL PUFENDORFIUS, ad quem nunc

Pufendorfius, alter restaurator juris naturæ.

temporis nos deducit ordo. Facile vidit vir perspicacissimus, commentariis, annotationibus, stricturis, censurisque in *Hugonem Grotium*, parum in naturalis juris doctrina profici; eo namque tandem rem redire, ut quid GROTIUS senserit, intelligatur; modo intelligatur, cum commentariis facilius obscurentur auctores, quam illustrentur. Comprobatum nimirum & *Grotii* exemplo est perpetuis velut circulis literarum studia circumagi, ut quandoque existant, qui ex ipsa rerum natura, non ex solis libris sapere gestientes, eo usque provehantur in rerum perscrutatione, ut supra communem hominum sortem positi penetrasse in istos recessus videantur, ad quos ceteris aditus sit interclusus. Hos mirari, quæ mortalium est ignavia, quam imitari plerique malunt: remque prorsus egregiam se suscepisse putant, si & ipsi dicant, quod heros ejusmodi dixit, & novitatis specie se commendent. Hinc novorum systematum, compendiorum, tabularum, uberrimus proventus: hinc commentationum & adnotationum florentissima seges, in quibus ex obsoletis denuo conferunt & convectant, quæ auctor spreverat, ostensuri, & alios ea dixisse, quæ ipse asseruit, aut dubiola movent, aut simile quid quisque pro ingenii sui modulo agunt. Hæc *Aristoteles*, hæc *Plato*, hæc *Thomas de Aquino*, hæc *Cartesius*, hæc *Grotius*, expertus est fata. Hæc quotidie luditur fabula. Postquam ejusmodi librorum pertæsum, surgit iterum aliquis, qui magno impetu prostratis & rejectis quotidianis istis nova consectatur, eandem commenta-

torum

torum & adnotatorum turbam post se tractu-rus. PUFENDORFIUS itaque *Grotii* vestigia premens facile vidit hoc in illo laudandum, quod ex ipsa hominum natura accuratioreque ejus consideratione novum aliquod juris naturæ ædificium exstruxerit. Hoc unicum esse, quo reliquis *Grotius* præstet, hoc ergo & sibi faciendum: præsertim cum exquisita illa humani ingenii meditatio nunquam sine fructu instituatur, ut non detegat aliquid, quod perspectum cognitumque neutiquam fuit aliis. Hæc magnorum virorum vestigia feliciter premens PUFENDORFIUS, parum abfuit quin superaret ipsum *Grotium*, exemplum saltem longe clarius una cum *Hobbesio* præiret ceteris, quæ vera ratio esset perficiendi perpoliendique juris naturalis. Hujus sui instituti specimen equidem jam dederat in *elementis jurisprudentiæ universalis:* sed illud demum opus, quod plenam doctrinæ ejus faciem exhibet, omniumque oculos animosque in se convertit, M. DC. LXXII. prodiit [72]. Quod deinceps ipse in compendium misit, ti-

[72] Scil. *De Jure Naturæ & Gentium*, quod prodiit *Lundini Scanorum*, 4to, 1672, & sæpius deinde recusum; tandem vero cum adnotationibus JOAN. NIC. HERTII, *Francf.* 1704. Versiones ejus *Germanicam, Gallicam, Anglicanam* commemorat auctor *Bibliothecæ Juris Imper.* c. 1. p. 31. Sed Gallica JOAN. BARBEYRACCII cum primis commendanda, summo quippe studio confecta, & doctissima Præfatione, & notis exquisitissimis exornata & locupletata, quibus præcipua Juris naturalis capita copiosius illustrantur. PUFENDORFIUM cum cl. BARBEYRACCII notis anglicana versione donavit BASIL KENNET. Lond. 1729. Fol. Ed. 4ta.

tulo

tulo *de officiis hominis & civis* indito [73]: sed ita, ut & compendia confici, quæ a scholasticorum barbarie aliena essent, posse ipso hocce exemplo comprobaret.

---

[73] In gratiam eorum, qui PUFENDORFII Historiam desiderant, brevem vitæ ejus narratiunculam, quam nobis suppeditat STOLLIUS in *Histor. Liter.* p. 764, *hic* subjungemus. SAMUEL PUFENDORFIUS *Lipsiæ* commilitonem habuit *Valentinum Alberti*, & postea *Jenæ* cum celeberrimo *Weigelio* amicitiam contraxerat, qui suam *Ethicen Euclideam* liberæ ejus voluntati tradidit, quâ & in *Elem. Jurisprud. Univ.* Hag. 1660. editis nonnullis in locis usus est. Eruditus ille Palatinatûs Princeps Elector *Carolus Ludovicus*, cujus nomine illa præscripserat, Professorem eum *Juris Naturæ & Gentium Heidelbergæ* constituit. A. D. 1668 *Lundini* in *Scandia* Professor factus est, ibidemque 1672 opus suum *de Jure Naturæ & Gentium* in 4to edidit. Quod verò in eo ulterius quidem ac *Grotius* progressus fuerat, scholasticorumque nugas penitus rejecerat, multos equidem experiebatur adversarios, in quorum aere tamen non diu fuerat. Interea Consiliarius Regius, & Historiographus *Holmiensis* factus, nobilitatisque insignibus ornatus est. Conscripsit hinc opera illa *de Rebus Suecicis sub Gustavo Adolpho usque ad abdicationem Christinæ*, & *de Rebus a Carolo Gustavo gestis.* Ita hæc suscipiebantur benignè, ut non multum post res *Friderici Gulielmi* Principis Electoris *Brandenburgensis* describere juberetur. Ornabatur simul officio Consiliarii intimi *Electoris Brandenburgici*. Rex *Sueciæ* CAROLUS XI. *liberum Baronem* eum pronunciabat, juraque ipsi ea concedebat; immo ipsemet Imperator *Leopoldus* magnis eum pollicitationibus conatus est ad vitam suam describendam persuadere, quod nunquam tamen in se suscepit. Mortuus est Oct. 26. 1694, ætatis 63; postquam & alia publicârat scripta, *jusque suum feciale divinum* reliquerat in MSto; quod postea typis exaratum erat, & tum latine tum anglice in lucem emissum.

XXXIV. Per

Acriter à multis impugnatus.

XXXIV. Per istam autem, quam tenuit, philosophandi rationem, PUFENDORFIUS non potuit non a receptis scholasticorum decretis, in quibusdam dissentire. Ægre istud tulerunt quidam ex theologorum ordine viri, qui introducta semel ista sentiendi libertate, nihil tam sanctum, tam inviolabile fore autumabant, quod non convellere auderet hominum nova consectantium profana libido. *Lutheri* namque jam pridem relicta simplicitate, scholasticorum postliminio reduxerant commenta, his ecclesiæ purioris dogmata ita involverant, ut his salvis, profligari illa posse, non crederent. Integra itaque ad *Pufendorfium* impugnandum coorta est cohors, in qua principes *Josua Swartzius*, *Nicolaus Bekmannus*, *Jo. Adamus Scherzerus*, *Valentinus Velthemius*, *Valentinus Alberti*, *Jo. Joachimus Zentgravius*, *Samuel Strimesius*, *Fridericus Gesenius*, notissima nomina, totam fere *Germaniam* nobilissimasque in ea academias suo strepitu complevere. Nec rationibus magis quam convitiis certatum strenue, ut tanto præclariorem quisque retulisse victoriam sibi videretur, quanto acrius ingenium in convitiis excogitandis probasset. Omnibus vero, quod mireris, unus sufficiebat PUFENDORFIUS, si ab infelici ejus hyperaspiste *Klingero* discedas, qui sub nomine *Rolleti* latitare dicitur, & læsæ majestatis scholasticæ pœnas in academia *Jenensi* dedit. Nemini namque, quicunque is esset, aut ingenio aut eruditione aut promptitudine aut mordaci & aculeato scribendi genere se inferiorem demonstrabat. *Eris Scan-*

dica

dica PUFENDORFII, & alia ejusdem generis scripta utrinque eo tempore, haud exiguo numero edita, docere & hæc quæ diximus, & totam belli istius umbratici seriem possunt, si quis accuratius hæc nosse sua interesse putat.

De Controversiis istis judicium.

XXXV. Ejusmodi utique erant, supra quibus magnis tum animorum motibus concertabatur, ut aut tuto ignorari aut facile, si mens non læva fuisset, componi potuissent. De statu enim naturali, quem ab *Hobbesio*, sed sacris literis magis attemperatum, acceperat PUFENDORFIUS, de *fundamentali propositione legis naturalis*, de *origine moralitatis*, & *indifferentia motus physici in actione humana*, similibusque disceptabatur acerrime. Eoque effectum, ut magno equidem strepitu passim in academiis jus naturæ doceretur, cum non temere litis materiam dimittant, qui in scholis & academiis vivunt, & infiniti libelli, & dissertationes innumeræ hac de re conscriberentur: sed ut omnis labor in speculationes inutiles *de principio juris naturæ*, similibusque doctrinæ scholasticæ capitibus abiret. Et qui de hisce verba facere didicerant, pulchre sibi sapere, jurisque naturæ consultissimi videbantur, cum ejus essent ignarissimi. Ita infelici ista concertatione evenit, ut nobilissima ista philosophiæ pars a viris cordatis & ad majora natis, quippe quos scholasticarum ejusmodi quisquiliarum pudebat, neglecta; occupata contra ab hominibus, a quibus multum obscuritatis parum lucis aut dignitatis accipere poterat, suo pretio excideret, & succo nervoque spoliata jejunisque quæstionibus obruta

nita eodem apud ſapientiores loco, quo iſtud ineptiarum chaos, quod *metaphyſicam* vocant, haberetur. Sed juvat tamen, ne quid deſit, languentis & tantum non agentis animam fata porro perſequi.

Alberti, Mevius, Seckendorfius *ejus adverſarii.*

XXXVI. Inter præcipuos PUFENDORFII adverſarios VALENTINUS ALBERTI fuit, vir nec elegantioris doctrinæ rudis, & ceteris multum ingenio præſtans. Is non tantum variis ſcriptis controverſa PUFENDORFII placita impugnavit: ſed novum quoque juris naturæ ſyſtema, ſuæ quam elegit hypotheſi, ſuperſtructum condidit. Vocavit illud *compendium orthodoxæ theologiæ conformatum*, inque eo illud potiſſimum egit, ut ex ſtatu integritatis, in quo conditus homo initio fuerat, regulam normamque officiorum omnium, quæ lex naturæ ab omnibus exigit, derivaret accerſeretque. Qua in re non ſacri modo ordinis viros pleroſque, ſed ex jureconſultis quoque DAVIDEM MEVIUM, quem ſupra laudavimus, & VITUM LUDOVICUM SECKENDORFIUM ſibi adſtipulantes habuit. Et hujus quidem cum haud obſcure niteretur auctoritate, aliterque ſentientibus ea objiceretur, oportuit SECKENDORFIUM PUFENDORFII quoque experiri aculeos, liberrimumque judicium, non adſtrictum ullius exiſtimatione, ſed unice rationibus ſuffultum. Ego vero maximopere miror, potuiſſe inter viros doctiſſimos ullam hac ſuper re exiſtere diſſenſionem. *Pufendorfius* illorum exponebat officia, qui chriſtianæ religionis ſunt expertes: horum contra inſtruunt vitam & theologi, aut quotquot

naturæ

naturæ aut integræ aut restitutæ conditionem considerant. Alio itaque fundamento illum, alio hos niti oportet. Recte utique hæc a se invicem discernuntur, cum multa sint, quæ rationis captum superant, & quæ frustra illis obtruseris, qui religionis christianæ scitis non sunt imbuti. Cum ejusmodi vero hominibus cum raro nobis commercium intercedat, rursus dissimulandum non est, si a principum negotiis discedas, in privatæ vitæ institutione longe ampliorem, imo unicum illius juris usum esse, quod ad christianam disciplinam hominum mores exigit. Ut ergo errant, qui jus naturæ non aliud agnoscunt, quam quod ex scitis christianæ religionis aut statu naturæ vel integræ vel restitutæ derivatur, nec satis, quæ ratio dictitat, discernunt ab iis, quæ ex revelatione constant: ita rursus decipiuntur, qui ubique jus naturæ crepant, & christianorum etiam ad illud componi actiones volunt, qui tamen longe excellentiori jure, quod naturæ scilicet restitutæ est, utuntur; id quod plerisque PUFENDORFII sectatoribus contigit.

Hunc laudant et sectantur plurimi.

XXXVII. Superiorem ex hoc certamine discessisse PUFENDORFIUM multa evincunt. Namque ut alia taceam, in iis ipsis academiis, in quibus tam acriter impugnata fuit ejus philosophia, eadem recepta & propagata sola fere regnat; explosis & consepultis adversariorum ejus decretis. Cum dignitatibus etiam, quibus a magnis principibus ornatus fuit, auctoritas ejus crevit, ut ad eam passim provocetur, multisque pro ratione sit. Nec quidquam

quidquam defuit, quo minus *Grotio* tandem æquaretur, quam ut commentarii & adnotationes ad illius opus conscriberentur. Compendium ex eo fecit quidam, sub titulo *jurisprudentiæ universalis*, tironibus non prorsus spernendum. Placita ejus cumprimis sectatur ADAMUS RECHENBERGIUS in *Lipsiensi* academia Theologus longe clarissimus, qui mira brevitate & exquisito judicio in lineamentis philosophiæ suæ civilis cuncta complexus est, additis ex suo fundo quæ ad integrum civilis doctrinæ complexum deesse videbantur. Ad libellum etiam *de officiis hominis ac civis*, observationes scripsit GOTTLIEB GERHARD TITIUS[74].

XXXVIII.

[74] Fuerunt & plurimi alii inter eruditos, qui Opusculum hoc *Pufendorfianum* dignum judicarunt, in quo edendo & commentando operam suam rectè collocare possent: inter quos ultimum ordine, non meritis, locum occupat TREVERUS; quid id adnotationibus illustratum in lucem emisit, *Lipsiæ*, 1734. cujus Historiam horum editorum & commentatorum, qui ei præcesserunt, haud inutilem operam agam, si in medium proferam. "Licet "(inquit, *in Præfat. adnotationum*) varii in eundem li-"brum sunt commentati, illorum tamen intentio, me-"thodus & tractationis materia ita inter se differunt, "ut nemo alterius limites attigisse dicendus sit. TI-"TIUS definitiones, divisiones & terminos maximam "partem examinavit, minutias nonnunquam sectatus, "methodi *Pufendorfianæ* acerrimus ubique censor. "HOCHSTETTERUS in *Collegio Pufendorfiano* non tam "librum hunc respexit, quàm locos communes Juris "Naturæ condidit, Theologiam moralem admiscuit, "& Theologiæ revelatæ principiis in Juris Naturæ "placitis firmandis usus est. WEBERUS textum fere tantùm

Quid in Jure naturæ præstiterunt Henninges, Simon, Rachelius, Velthemius.

XXXVIII. Ut redeam, unde digressus sum, cum *Pufendorfius* suum luci exponeret opus

" tantùm brevissime declarat, & omnia ad usum præ-
" cipue juridicum dirigit. Kemmerichius in Aphorismos librum hunc commodissime resolvit, interspersis iis, quæ à *Pufendorfio* omissa fuerunt. Jaster duabus plagulis in tabellas redegit. Waldkirch exemplis Juridicis, nonnunquam Historicis illustravit, vix in ullius sententiæ veritatem inquisivit. Barbeyraccius in Gallicam linguam elegantissimè transtulit, notis paucissimis adjectis quum omnia vastissimo suo commentario ad majus *Pufendorfii* opus complexus esset. Prœleus omnia Juris Naturæ Dogmata ex conservatione sui immediate deducens hunc librum principio isti, majori quidem ordine & ratiociniorum nexu, accommodavit, limateque Judicio proposuit: sed principia justi & honesti non satis distinxit. Pagenstecher edidit quidem denuo libellum *Pufendorfii*, sed promissas in eum observationes, quantum mihi constat, nondum in lucem protraxit. His accesserunt Lehmanni adnotationes, qui variorum sententias ex diversâ sæpe hypothesi exortas congessit, placitaque sua interjecta collustrare magis voluit, quam demonstrare. Jo. Balth. Wernheri *Analecta* ad hunc librum valde extemporalia sunt & jejuna, soliditatem hujus doctrinæ parum juvantia". Hisce addendi sunt Carmichael Philosophiæ Professor in academia *Glasgoviensi*, cujus præcipuus est scopus (teste *Ottone*) ut Philosophiam moralem ex ipsis naturæ principiis deductam legisque naturalis obligationem atque præcepta ex perfectione supremi numinis demonstraret, totamque moralem disciplinam ordine naturali delinearet; & Everardus Otto JCtus & Antecessor, cui illud adhuc superesse videbatur, ut Juris naturalis doctrina magis ad usum & intellectum Legum Civilium v. gr. Hebræarum & Græcarum sed maxime Romanarum applicaretur, quo plenius tandem apparere posset eas non vana hominum

opus, alii adhuc in ornando explicandoque *Grotio* elaborarunt. Etenim M. DC. LXXII. obſervationes ſuas prodire juſſit HENRICUS HENNINGES, in quibus id operam dedit, ut defenderet *Grotium*, & contra cenſores ejus tueretur. Eodemque fere tempore JO. GEORGIUS SIMON, qui initio in *Jenenſi*, poſtea in *Hallenſi* academia docuit, recudi *Grotii* opus fecit, additis itidem notis, eruditis iis quidem, aſt non ſemper ad rem facientibus, nec naturali juri inſignem affundentibus lucem. In hoc laudandus, quod ſubinde ad *publicum*, quod vocant, *jus*, naturalis juris decreta accommodaverit. *Grotium*, ad rem ipſam quod attinet, quandoque ſequitur, quandoque deſerit, interdum & cum *Feldeno* contra *Grotium* facit. Qui his M. DC. LXXVI. acceſſit, SAMUEL RACHELIUS, *juris in academia Kilonienſi Profeſſor*, in diſſertationibus *de jure naturæ & gentium*, *Ariſtotelis* legit veſtigia, nec facile quicquam, quod alibi obvium non

---

num exiſtimatione, ſed ratione arteque conſtare. Hunc ad finem tendunt propriæ ipſius adnotationes, quibus accedunt *Titii* ad hunc librum *Obſervationes*. Prodiit *Trajecti ad Rhen.* 1728. Sic alii alios in hoc libro edendo ſibi propoſuerunt fines; ipſius vero TREVERI inſtitutum eſt, ſicut ipſe profitetur, Juris naturalis dogmata exponere, præjudicia quæ circa eadem oriri ſolent removere, juſtum ab honeſto & decoro ſecernere, in recentiorum ſententias & theſium veritatem inquirere, rationibus pro virili omnia fulcire, & explicatiora auditoribus ſuis exhibere. Poſt tot eruditorum labores in hâc palæſtrâ, ſi quis mirabitur, quo fine et inſtituto ipſe eundem librum iterum prodire juſſerim, hunc ad Præfationem meam remitto.

sit, affert: idem tamen jam antea sua *in Ciceronis officia* commentatione, eidemque de natura honesti præmissa dissertatione, suæ doctrinæ specimen dederat. VALENTINI VELTHEMII autem, quæ eodem anno comparuit, ad *Hugonis Grotii* sæpius laudatos libros introductio, cujusmodi sit, ex dictis facile conjectura quis assequatur. Laudaveris diligentiam viri, conatusque rem literariam juvandi; scholasticis tamen nimis eum indulsisse tricis res ipsa docet. Ista vero tractandi jus naturæ ratione, si alio seculo vixisset, ingentem promereri potuisset laudem: sed hac ætate, qua multi jam scholasticam istam fuliginem animo detergere instituebant, placere paucis poterat.

Gronovii & Kulpisii *Commentarii in* Grotium.

XXXIX. Jureconsultis hucusque & theologis negotium facessiverat *Grotius*: nunc vero & criticorum diligentiam provocavit. GRONOVIUM innuo, qui M. DC. LXXX. cum notis suis *Grotii* opus recudi curavit. Sunt istæ, uti constat, diversi prorsus generis, quam quibus vexatus laceratusque a ceteris fuerat *Grotius*. Non de rebus ipsis, sed sensu *Grotii* sollicitus est, quem ut recte percipiat lector, anniti debet; hinc obscurius dictis lucem affundit, quod nemo rectius facere poterat GRONOVIO [75]. Nec interea defuerunt, qui

[75] Elegantem hujusce operis editionem, omniumque quæ hactenus prodierunt, emendatissimam, cum *annotatis* auctoris, ejusdemque dissertatione de *mari libero*, ac libello singulari de *æquitate*, *indulgentia* & *facilitate*, necnon *Joan. Fr. Gronovii* Notis, suas quoque notulas addens,

qui consuetam viam tererent, licet non eodem omnes successu. Jo. GEORGIUS KULPISIUS M. DC. LXXXII. his annumerari voluit, edito *collegio* isto *Grotiano*, quod maximum eruditi orbis adplausum promeruit. Brevitate enim & judicio, & moderatione omnibus se commendat [76]. Optima ex omnibus seligit, ut multis commentariis carere facile queat, qui eo uti voluerit, cum, quod eximium in omnibus est, hic unico fasce comprehensum videas. Est, ubi receptas scholæ sententias non prorsus exuere potuit: ast hosce qualescunque nævos magnis virtutibus compensat.

Curtini *Versio Gallica Operis* Grotiani.

XL. Ceterum *Grotii* nomine cum orbis ita personaret; & in aulis, in scholis, in circo, in trivio, *Grotius* aut celebraretur aut damnaretur, quid mirum, si & homines latinæ linguæ imperitos cupido legendi tam præclarum opus incenderet? Horum inservire desideriis CURTINUS voluit gallica versione, eleganti & perspicua, ut eadem & commentarii vicem sustinere posse credatur [77]. In indice accurato

addens, summâ curâ ornavit cl. JOAN. BARBEYRAC, & in lucem emisit, *Amstel.* 1728, iterumque 1736. 2 Vol. 8vo. Ejusdem quoque viri doctissimi & Jurisprudentiæ Professoris celeberrimi versio gallica cum commentariis copiosissimis pariter ac præstantissimis lucem aspexit, *Amst.* 1724. 2 Vol. 4to.

76 Post KULPISIUM prodiit JOAN. SCHEFFERI *Grotius Enucleatus.* Helmstad. 1712. 8vo.

77 Longe aliter sentit BARBEYRACCIUS, qui CURTINI versionem acriter reprehendit, eum Grotii mentem haud recte tenuisse innumeris in locis asserens, & stilum

rato, quem addidit, cuncta velut in compendium misit, novamque lucem, additis observatiunculis, locis Grotii difficilioribus conciliavit. Prodiit ista versio M. DC. LXXXVIII. & hoc ipso anno, quo hæc scribo, M. DCC. III. recusa est. Ex quo facile documentum capias, eruditis eam haud prorsus ingratam fuisse.

Pufendorfium *vindicat* Thomasius.

XLI. Interim in academiis præcipuis *Germaniæ* controversiæ *Pufendorfianæ* adhuc fervebant, & magnis animorum motibus agitabantur. Præsertim in *Lipsiensi* causam *Pufendorfii* contra acerrimos ejus censores tuendam susceperat CHRISTIANUS THOMASIUS, vir ingenii acutissimi, ipsique *Pufendorfio*, ut paucis omnia dicam, comparandus. Is animadvertit, recte equidem, *Pufendorfium Grotii* vestigiis insistentem, ex societatis custodia officia hominum secundum naturæ legem derivare, & hanc viam premendo multa ceteris neglecta detexisse, aut accuratius & clarius explicasse, sed nondum omnia eum exhausisse. Multa etenim adhuc superesse in jure naturali, cum illo, quod *Pufendorfius* ponebat, principio, clariori & evidentiori ratione connectenda. Hoc ergo sibi datum credidit. Hinc

---

stilum ejus barbarum, horridum & obscurum, notasque falsas, imperfectas, & confusas appellitans, adeo ut quæ illustrari debent, obscuriora fiant. Vid. *Præfat. Histor.* Sect. 31. Neque, ut opinor, BUDDEUS ipse tam magnificè de *Curtino* sensit, postquam Versionem & Notas BARBEYRACCII viderat, quippe quas pro meritis suis laudat in *Hist. Philos.* p. 517; eumque reliquis omnibus, qui hosce GROTII libros illustrare aggressi sunt, dubiam reddidisse palmam disertè asserit.

istud

iſtud *Puſendorſii de ſocietatis cuſtodia* principium ſuis limitibus circumſcripſit, & quæ inde derivari poſſent, accurate oſtendit, quæ vero non poſſent, ea juris naturæ eſſe, intrepide negavit. Simul tamen ut illis, qui quæ juris naturæ non ſunt, ſtatim licita eſſe, inferre poſſent, occurreret, non tantum commonſtrat, ex alio fonte officia hominis erga Deum & ſeipſum fluere, ſed de legibus etiam *poſitivis univerſalibus* accuratiorem quam huc uſque factum inquiſitionem inſtituit, & in *matrimonialibus* rebus præcipue, ubi naturæ leges non ſufficerent, ad divinas poſitivas recurrendum ſtatuit.

XLII. Apertius itaque cum multa theologorum & jureconſultorum ſcita, quam ab ullo ante eum factum, impugnaret, non potuit non multorum in ſe concitare odia. Hinc acriter ſubinde *de cultu Dei externo*, quem juris naturalis eſſe ille negabat, *de gradibus affinitatis & conſanguinitatis*, impuriſque & illicitis commixtionum generibus, diſputatum fuit. Maxime autem cum oppoſita hæc philoſophia illorum ſententiæ eſſet, qui in rationis locum revelationem ſubſtituentes, ex *ſtatu*, quem vocant *integritatis*, & diſciplina chriſtianorum jus naturæ derivabant, non poterat non, tum ab aliis tum a clariſſimo jureconſulto eodemque elegantiorum quoque literarum pertiſſimo JO. LUDOVICO PRASCHIO diſſentire, qui in ſua *de lege charitatis* commentatione, itemque in deſignatione juris naturalis ſecundum diſciplinam chriſtianorum, in eadem ſe verſari opinione demonſtrabat.

Hinc novalis de Puſendorfii *Doctrina.*

Recruduit ergo inter illos hoc certamen, PRASCHIO quidem cum ſuis, imperfectionem hujus juris, quod ex ſocialitate, prælucente ratione derivatur, urgente: THOMASIO contrà naturalis juris a theologia, quam *moralem* vocant, obſervandum diſcrimen, nec rationis revelationiſque confundendos limites, contendente. Et hæc quidem aliaque diſputata acriter ſunt, eo tempore, cum hic prima vice *jurisprudentiam* ſuam *divinam* in lucem emitteret, id quod M. DC. LXXXVIII. factum. Recuſa vero eadem fuit, non ſine acceſſione, M. DC. XCIV [78].

Controverſia de legibus Dei poſitivis univerſalibus.

XLIII. Legum divinarum, quas poſitivas univerſales nonnulli vocant, quia antea injecimus mentionem, quid viros doctos, ut eas in ſcenam producerent, impulerit, paulo explicatius hic tradere operæ pretium fuerit. Ipſe, ut rem a prima origine repetam, *Hugo Grotius* præter naturæ leges alias adhuc eſſe, quæ univerſo hominum generi a Deo latæ

[78] Sed deinceps prodiit Editio 4ta præcedentibus auctior, *Halæ* 1718. 4to. in qua vir doctiſſimus ſuam non tantum de *legibus poſitivis univerſalibus*, ſed generatim quoque de *Jure Naturæ* mutavit ſententiam, & ejuſmodi excogitavit ſyſtema, quod illi ſoli proprium eſſet, & ex quo nemo quidquam ſibi vindicare poſſet. In eam nimirum ingreſſus eſt ſententiam, Leges Naturæ propriè dictas *leges* non eſſe, ſed tantum *conſilia*, quæ obligatione quidem, ſed internâ tantùm, id eſt, improprie ſic dictâ, gaudeant; quemadmodum nec pœnæ proprie ſic dictæ, ſeu *poſitivæ* dentur, ſed tantùm *naturales*, hoc eſt, quæ per conſequutionem naturalem ex hominum vitiis fluant. Vid. BUDDEI, *Hiſt. Philoſ.* c. 6. §. 525.

ſint

ſint, ſubinnuit, a libera quidem Numinis voluntate profectas, eas tamen utiles adprime omnibus valdeque neceſſarias. Non equidem iſtas leges diſerte deſignat, nec rationem a naturalibus luculenter illas diſcernendi monſtrat: aliis tamen, accuratiori meditatione hoc proſequendi, occaſionem ſuppeditavit. Nec diſplicuit id diſcrimen *Zieglero Kulpiſio*, aliiſque, licet non deeſſent, qui rejicerent, ut faſtidire nonnulli, quæ novitatis ſpeciem habent, aſſolent. Ex theologorum tamen ordine Jo. Conradum Danhaverum, Jo. Adamum Scherzerum, alioſque, ejuſmodi leges quæ naturales non ſint ad omnes tamen pertineant, agnoviſſe, obſervatum jam nobis ipſis alibi [79] eſt. Ut vero accuratiori ſtudio in eas nonnulli inquirerent, id, quæ de *Polygamia* ortæ ſunt deceptationes, effecerunt. Etenim circa annum M. DC. LXX. & ſequentibus, quidam Jo. Lyserus, mox ſub *Sinceri Wahrenbergii*, mox ſub *Theophili Alethæi* nomine latitans, variis ſcriptis polygamiæ cauſam agebat, quam & vir quidam illuſtris & inſigni eruditione clarus *Daphnæi Arcuarii* nomine tectus defendendam ſuſceperat. Hunc certatim refutabant Jo. Musæus, Diecmarus, Feltmannus, Brunsmannus Gesenius, aliique; ſed juris naturalis ſcitis inſiſtentes, vix tollere cuncta quæ opponebantur poterant, ut non dubitandi rationes ſupereſſe crederent, qui præ ceteris

[79] In diſſertatione de eo, quod abominabile Deo eſt, ſeu *charactere legis moralis*

 perſpi-

perſpicaciores videri volebant. Nec defuit, qui ſub *Athanaſii Vincentii* nomine polygamiam triumphatricem ſcriberet, ſive LYSERUS is ſit, ſive alius. Aliam itaq; viam ſibi ingrediendam cenſuit is, quem laudavimus CHRISTIANUS THOMASIUS, defenſoribuſque polygamiæ id dedit, naturæ lege non eſſe nefas, plures ducere uxores; ſed aliis Numinis legibus, quas *poſitivas univerſales* vocavit. Id vero ne lubricum videretur fundamentum, ut indolem legum iſtarum explicaret, omneſque ſcrupulos removeret, omni elaboravit opera. Celebrari inde paſſim iſtæ leges, & a quibuſdam admitti, rejici ab aliis. Utique, ut mihi videtur, ad ἀνομίαν illarum actionum, quæ naturæ lege prohibitæ demonſtrari nequeunt, nihil accommodatius: unde & ipſe non dubitavi huic ſubſcribere ſententiæ, & naturalibus divinas iſtas poſitivas, quæ omnes tamen homines obſtringant, adjungere. Ne quid tamen diſſimulem, remanet ſemper circa originem & promulgationem iſtarum dubium, quam poſitam in aprico oportebat, ſi mortalium ad eas exigere actiones, fas ducimus. Nec tanta nunc earum mihi apparet neceſſitas, diſciplinam chriſtianam non reſpuant, qui de his officiis diſputant: hæc autem abunde expleat, quæ naturali jure deeſſe videntur. Eſto ergo, naturæ lege non haberi nefas, plures una ducere uxores: ducant, qui tantum naturæ lege vivunt, ſed ſciant etiam, ſibi inter chriſtianos locum non eſſe; his enim, quod idem non liceat, divinæ literæ quarum iis, qui

chriſtiani

christiani videri cupiunt, non potest non sacra & inviolabilis esse auctoritas, nos ignorare non sinunt. Hoc vero est, quod & ipse alibi monui, recte inter naturæ jus & christianam disciplinam, quam theologia moralis tradit, discrimen constitui: & ubi de actionibus privatæ sortis hominum disceptatur, ad hanc, non ad aliud, eas exigendas. Proinde & si in hisce naturæ leges deficiant, recurrendum omnino ad disciplinam christianam esse, quæ naturam restitutam, & ad integri status indolem componendam supponit, & hinc longe perfectiora hominum officia, quam quæ juris naturæ sunt, describit.

XLIV. Ad temporis ordinem revertimur. Etenim M.DC. LXXXIX. SIM. HENRICI MUSÆI *jus paradisiacum*, & JO. JACOBI A RYSSEL *de jure naturæ & gentium* liber, uterque non adeo magni momenti, lucem adspexit. Hic *Pufendorfii* vestigia legit; ille contrariam viam ingreditur, ut vel titulus libri indicat. Ne quid nunc de ECKII principiis juris naturalis, quæ identidem eodem anno edita sunt, commemorem. Hisce enim non diu admodum immorandum. M. DC. XC. autem HENRICUS BODINUS, tunc *Rinthelensis*, nunc *Hallensis* Jureconsultus longe celeberrimus, suam *de jure mundi* dissertationem dedit, M. DC. XCVIII, *Halæ* recusam, & vel hoc nomine laudandam, quod, diversam ab aliis viam sectans, ex ordine creaturarum cuncta juris naturalis capita derivari posse, demonstraverit. Majoris autem expectationis opus anno sequenti aggressus est, & M.DC. XCI, ad

Musæi, Ryssellii, Eckii, Bodini, Becmanni, Spinæi, *labores in hac palæstra.*

ad finem perduxit JOANN. CHRISTOPHORUS BECMANNUS. Illorum namque exemplum, qui veteres scriptores variorum criticorum notis ornatos dederunt, imitatus, *Hugonis Grotii de jure belli & pacis* opus eadem ratione recudi curavit, additis *Gronovii* ceu maxime ad *Grotium* intelligendum necessariis, *Ziegleri*, *Osiandri*, *Simonis*, aliorumque notis selectis quidem & magna cum industria ex ipsis horum virorum commentariis excerptis. Laudanda, quicquid alii dicant, illorum diligentia, qui non tam suæ gloriæ, quam illorum, qui literarum sacris operantur utilitati consultum cupiunt. Quod profecto & illi faciunt, qui vasta aliorum volumina in compendium mittunt, magno illorum commodo, qui & tempori, & sumptibus parcere cupiunt. Difficillimum autem hic est omnium satisfacere votis, cum ut moribus ita judiciis maximopere a se diffideant mortales, & necessarium religendumque præ ceteris existimet unus, quod supervacaneum & omnino prætermittendum alii arbitrantur. BECMANNUS autem sollicite hoc labore perfunctus est, adeo ut neque *Curtini* gallicam versionem prætermitteret, si quid forte & ex ea lucis *Grotio* affundere posset. Imitatus equidem hoc institutum in *Belgio* SPINÆUS quidam est, itidem cum notis variorum *Grotii* opus edens, sed minori, quam BECMANNUS, ut ego quidem judico, successu.

Vitriarii, Schefferi, Dethlevi, *Compendia operis Grotiani.*

XLV. Ita ergo *Grotius* semper præ ceteris eminuit, ut nondum desinerent viri eruditi, aut commentarios in eum scribere, aut

ex

ex eo compendia concinnare. Principem in his locum merito obtinet PHILIPPUS REINHARDUS VITRIARIUS, qui sereniſſimo principi *Chriſtiano Ludovico*, *Marchioni Brandenburgico*, naturæ leges explicaturus, *Hugonem Grotium* in quæſtiones luculentas redegit, ſumma juris naturalis capita iis ita complexus, ut, quod optimum in præcipuis commentatoribus, ſimul insereret; ſubinde etiam ad ſtatum imperii *Germanici* reſpiceret, *Grotio* autem ita inhæreret, ut nec ab eo diſſentire ſibi religionem duceret. Edidit has quæſtiones titulo, *inſtitutiones juris naturæ & gentium, ad methodum Hugonis Grotii conſcriptæ*, M. DC.XCII. *Lugduni Batavorum*; quas jam duabus vicibus heic loci, addita hac ipſa hiſtoria juris naturalis, quam nunc auctiorem damus, itemque ſynopſi juris naturæ & gentium *Seldeniana*, recudi curavimus. VITRIARIO autem comitem damus, quem ſibi adjungi haud ægre puto feret, ſummum virum JOANNEM SCHEFFERUM, ex tot præclaris ingenii monumentis orbi erudito haud incognitum. Is in gratiam *Guſtavi Adolphi Comitis de la Gardie*, ſummatim ſuccinctis propoſitionibus *Grotii* opus complexus fuit, mira & brevitate & perſpicuitate: indeque enatus eſt *Hugo ille Grotius* enucleatus, quem DETHLEVUS MARCUS *Frieſe*, M.DC.XCIII luci expoſuit. Aut me omnia fallunt, aut dubiam libellus hic reliquis compendiis palmam reddit. Tanta fide, tam accurate, ſimulque tam breviter *Grotii* mentem reddit, ut dubitem, an ipſe *Grotius* mentem exprimere ap-

tius

tius potuerit, si breviori uti sermone voluisset: simul tam perspicue, ut & pro commentario esse queat. Exigua, scio, laus est mittere in compendium alterius laborem; accurate mittere, profecto non cujusvis est.

Van Der Muelen, Tesmari, & Obrechti *commentarii ad eundem.*

XLVI. A compendiis iterum ad splendidiora opera convertimur. Anno namque M. DC. XCVI. GULIELMUS VAN DER MUELEN, & JOANNES TESMARUS in hoc ordine comparuerunt, quorum commentationibus illustratus est *Grotius*. Illius opus *Ultrajecti* impressum est, tribus constans tomis, quorum ultimus demum hoc ipso, quo hæc scribo, anno M. DCC. III. prodiit. Vastum equidem opus, & varia eruditione refertum, sed quod sine lectoris, ut puto, damno minore constare mole potuisset. Ingenii sui specimen ceteroquin hac in doctrinæ parte idem auctor dedit in contentione, *de jure naturæ paradisiaco*, cum SIMONE HENRICO MUSÆO. Hujus enim sententiam cum ille in dissertatione *de juris naturæ origine* impugnasset, MUSÆUS quidem vindicias juris naturæ scripsit, quibus MUELENIUS suæ dissertationis defensionem, ut huic iterum MUSÆUS responsionem opposuit. Sed hæc jam ante M. DC. LXXIV. sequentibusque acta sunt. Alter vero, JOANNES TESMARUS, de augendo potius *Grotio*, quam jure naturæ explicando, sollicitus fuit. Id enim præcipue agit, ut ex historicis, aliisque veterum monumentis, testimonia & exempla congerat quibus dicta confirmet atque illustret. Haud credo perpendit etiam res optimas, cum nimiæ sunt, noxias esse.

Planeque

Planeque suffragor *Joanni Henrico Boeclero* [80], exquisitam juris naturæ notitiam ex iisdem petendam fontibus, ex quibus eam ipse hausit *Grotius*: sed ita etiam legendos ejusmodi auctores, ut lecta rite digeramus ad exemplum *Grotii*, addi velim. Philosophos ille consuluit omnium sectarum, consuluit & historicos, oratores, & poetas, qui haud raro cum philosophis paria faciunt. Certe ex hujusmodi scriptoribus, quantum roboris aut præsidii, aut subsidii auxiliique, aut cultus ac ornamenti accedat juri naturæ, ex uno incomparabili *Grotii* de jure belli ac pacis opere intelligi posse, *Jo. Andreas Bosius* [81] pronunciavit. Recte equidem, modo in his omnibus selectus instituatur, nec judicii vim infringat imminuatque rerum, quas ubivis sectamur, copia. Sed ad TESMARUM redeo, cujus commentationi satis prolixæ accedunt etiam observationes summi viri, & harum rerum longe peritissimi, ULRICI OBRECHTI. Ego sic arbitror, si quis aliquid *Grotio* dignum proferre potuisset, hunc esse OBRECHTUM: id quod dissertationes ejus, *de sponsore pacis & ratione belli*, condocent. Hæ tamen observationes opinioni, quam omnes de viri istius exquisita doctrina animo conceperunt, non respondent: idque ideo, quod ipso invito, quas juvenes docendo prout in mentem venerant posuerat, impressæ, & TESMARI commentationi

[80] In Præf. Comment. ad *Grot.*
[81] De comparanda prudent. civil. §. CVI.

mentationi ut pretium inde accederet, annexæ sint.

Controversiæ inter Cocceium *aliosque de fundamentali Principio Juris Naturæ.*

XLVII. Obrechti interim constitit exemplo, eum hanc doctrinam cura sua indignam non reputasse, licet hucusque scholasticis disputationibus valde esset commaculata. Et unica hæc est ratio, ut pristino nitori restituatur, si viri non prudentia minus, quam doctrina pollentes, in ea percolenda operam studiumque collocent. Quo nomine & laudandus illustris vir Henricus Cocceius, cujus maxima in rem literariam merita nemo nisi omnium rerum rudis ignorare potest; qui magna cum laude in *naturali* quoque *jurisprudentia* versatus est. Id cum passim juvenes testarentur, qui ejus in *Hugonem Grotium* prælectiones frequentaverant, & ex positionibus quoque ejus pro explicatione juris gentium illucesceret, Henricus tandem Ernestus Kestnerus, *juris in academia Rinthelensi Professor*, quæ ab illo acceperat, additis de suo nonnullis, uberiori commentatione, in lucem Coccei placita protulit, edita M.DC.XCVII. *prudentia juris naturalis* sex disputationibus exposita. Biennio post M.DC.XCIX. ipse illustris vir, suam in dissertatione, de *principio juris naturæ unico, vero & adæquato*, mentem de hoc jurisprudentiæ capite, de quo tamdiu, tamque acriter concertatum, aperuit, doctrinæque suæ summam complexus est. Ex eo vero intelligebatur, quod & aliunde constabat, *voluntatem Dei* pro vero & unico juris naturæ & obligationis principio, ex mente viri summi, habendam esse. Hanc vero, qua

jus

jus permissivum, a facultate & libertate agendi a creatore nobis concessa, qua jus præceptivum, aliunde cognosci atque nobis innotescere. Abire ea in re quam longissime a receptis hactenus opinionibus videbatur, ut nec temperare sibi hinc inde viri quidam docti possent, anonymus scilicet quidam, [82] Jo. Nicolaus Hertius, [83] & Jacobus Fridericus Ludovici noster, [84] quin sua contra hanc sententiam dubia exponerent. Ea res occasionem dedit Samueli Cocceio magni parentis haud degeneri filio, ut tractatum, quem vocat, *juris gentium*, de principio juris naturalis unico, vero, & adæquato, M.DCCII. in lucem emitteret, in cujus parte altera suam parentisque sui sententiam clare & perspicue edisserit, in altera a dubiis doctorum virorum & objectionibus eam vindicat. Summa doctrinæ, quam uterque eruditissimus vir, & pater & filius tuetur, eo redit; primum juris naturalis, uti & antea indicavimus, principium esse ipsam *Numinis voluntatem*; cum ad id demum obstricti homines sint, quod Deus velit, id possunt, quod ille non prohibeat; id autem quod Deus permittat, vel ex ipsa libertate & facultate mortalibus a Deo concessa intelligi, cum nefas sit cogitare concedi a Deo facultatem agendi, quam exeri nolit.

---

[82] In dissertatione peculiari, *Ephemeridibus literariis Hannoveranis* mense *Julio* M.DCC. inserta.

[83] In dissert. *de socialitate*, primo juris naturalis principio.

[84] In delineatione *historiæ juris divini*.

Quoties

Quoties autem illa libertas naturalisque facultas a Deo restringatur & certis circumscribatur limitibus; tum inde oriri illud jus quod *præceptivum* vocant. Hoc vero intelligi atque cognosci ex verbis Dei, ex motibus a Deo creatis, ex actionibus creatoris, ex fine actionis necessario vel probabili, ex medii necessitate, & denique ex natura perfectissimi creatoris, qui nihil frustra fecerit. Eleganter hæc ita & accurate docentur. Nec enim mihi persuadere possum, a præstantissimis juris naturæ magistris eorumque decretis, immo ipso *Pufendorfio* hæc magnopere dissentire, ut prima quidem fronte videri poterant. Dei enim voluntatem esse juris naturalis causam, quam efficientem, itemque *principium essendi*, in scholis barbare vocare solent, nemo puto temere negaverit. Eamque rem, cum *Grotii* dubitatio statim explosa a cordatioribus sit, multis comprobari, quod nulla de ea lis esset, forte supervacaneum quibusdam videri poterat. Ea vero Numinis voluntas recte quidem ex iis, qui allati sunt, fontibus intelligitur, facultate scilicet libertateque agendi a creatore nobis concessa, ceterisque ; sed & ex societatis custodia, quam alii urgent recte intelligitur. Huc ergo omnis tandem ista contentio redit, quidnam in hominis natura deprehendatur, quod quam facillime, quam evidentissime illam Numinis nobis patefaciat voluntatem? Fateor, multa in homine sunt, quæ accuratiore consideratione expensa hanc nos edoceant. Ideoque mirum non est diversas doctorum virorum de primo juris naturalis

turalis principio, quod *cognoscendi* in scholis vocant, esse sententias. Multiplici enim ratione homo considerari potest, multique adeo inde nascuntur conceptus, ex quibus hominum derivare officia pronum est. Nec tamen inde ulla juris naturalis colligenda est incertitudo: cum non ad ipsas naturæ leges, sed ad modum accuratius eas cognoscendi, & interpretandi, tota ea pertineat disputatio; quæ profecto, si rem, uti est, efferre licet, & ipsa non adeo magni momenti est, in *logicorum* potius quam *jureconsultorum* commentationibus ventilanda. Ergo ex istis utriusque Coccejii criteriis voluntas Numinis intelligitur, & etiam ex socialitate: sed ex hac tamen ea saltem officia, quæ ad alios homines pertinent. In officiis namque hominis erga Deum & erga seipsum, alium nostræ cognitionis fontem quærendum constituendumque esse, lubens fateor. Suis autem limitibus circumscripta societatis custodia, cum, quæ aliis debemus, & apte satis & plene & luculenter exhibeat; non video, cur respuere eam debeamus, & in ejus vicem alios conceptus & quidem plures substituere, qui ne quidem universi nostram cognitionem æque ac socialitatis adjuvent; tantum abest, ut singuli hoc efficere valeant. Nec evinci potest exemplis, omnibus officiis erga alios hunc non sufficere fontem, cum ea aut omnino juris naturalis non sint, aut saltem ad officia erga alios non pertineant. Possunt autem omnino quædam juris naturalis esse, licet ad alios non spectent homines: modo id observetur, duplici subinde acceptatione vocem ju-

ris venire, quæ subinde inter se misceantur. Nam cum quis ab alio exigere aliquid potest, id *jus* vocamus; & etiam leges generatim, quibus homo obstringitur, hoc nomine comprehendimus. Ad priorem, nisi me omnia fallunt, significationem illustres illi viri, de quibus hic sermo instituitur, subinde respiciunt: & ita etiam non potest non illud, quod inter jus & virtutem constituunt, discrimen inde fluere. Altera autem apud plerosque significatio obtinuit; quam adeo qui sequuntur, facile intelligunt jus ac virtutem æque late patere, positumque in eo saltem discrimen, quod jus obligationem *perfectam* pariter ac *imperfectam* inferat, animi autem dispositionem designet virtus [85].

---

[85] Ejusmodi lis nuper in Angliâ mota est, in quâ fundamentale Principium moralis obligationis ex *voluntate Dei* pendere contendunt nonnulli, alii vicissim ex *abstractis rerum relationibus*, seposito prorsus ad præmia & pœnas respectu, derivant; adeo ut virtus omnino eadem maneat, utrum existentiam Dei supponamus necne. Hujusce controversiæ origo ex eo petenda est, quod Dr. WATERLAND eandem Auctoritatem & obligandi vim secum ferre præcepta Dei tum positiva tum moralia contra CLARKIUM asseruit. Vid. Tractatum ejus *de Naturâ & Efficaciâ Sacramentorum*, cum ejusdem *Supplemento*. *Lond.* 1730. Adversarios expertus est Dr. SYKES, NICHOLLS, CHUBB, quibus responsum dedit *Anonymus*, in uno tractatulo, cui titulus; *an Essay on Moral Obligation*. Lond. 1731. Per id tempus multa de fundamento moralis obligationis in lucem emissa sunt scripta; uti videre erit, cui libet, in *Quæstionibus* nostris *Philosophicis*. cap. 11. *Cant.* 1735.

XLVIII. Jure-

XLVIII. Jureconsultos excipiunt adhuc theologi duo clarissimi, qui identidem sua extare *de jure naturali* monumenta voluerunt. Alter *Argentoratensium* est, JOANNES JOACHIMUS ZENTGRAFIUS, *Tubingensium* alter, MICHAEL FORTSCHIUS. Hic *Ambrosii de Officiis* libros tres dum, ut supra diximus, recudi fecit, quinque adjecit dissertationes; primam analyticam de *officiis Ambrosii*, alteram de *patrum philosophia* morali historico-analyticam, tertiam de natura & indole *officii* secundum *disciplinam christianam*, de *officii efficientia* quartam, & quintam denique de *officiorum comparatione*. Ostendit vero ubique intimiores doctrinæ moralis recessus sibi non esse ignotos; eaque affert, quæ profundiorem facile provocare meditationem queant. Ille vero notus jam ex aliis, hujus argumenti, ingenii monumentis, præsertim disquisitione illa de origine, veritate, & immutabili rectitudine juris naturalis, secundum disciplinam christianam, ad gentilium tamen captum instituta, & *Pufendorfio* M.DC.LXXVIII. opposita: itemque vindiciis originum suarum, contra *Pufendorfium* & *Strimesium*, A. M. DC. LXXXI. editis, summam juris divini, sive *isagogicam*, ut vocat, *institutionem*, *de justitia & jure*, A. M. DC. XCIX. emisit. Conjunxit, ut vel ex fronte libri patet, rationem cum scriptura sacra; nec adeo tantum jus naturæ, sed & haud contemnendam theologiæ moralis partem tradit, exemplo non quidem vituperando, caute tamen, ne permisceamus secernenda, imitando.

Zentgrafii & Fortschii *scripta de hac re.*

Reliquorum scripta summatim indicantur.

XLIX. Et hæc quidem juris naturalis, ad nostram usque ætatem, fuere fata, æqua, iniqua, communia omnino cum reliquis literarum generibus. Nunquam enim ullam doctrinæ partem excellentium ingeniorum monumentis perfici insigniter contigit, ut non mox eadem, intempestiva ut plurimum, illorum, qui ejus se cultores profitentur, *diligentia* novis involveretur tenebris: quibus discutiendis dum alii iterum incumbunt, idem semper volvitur saxum, vicesque aut illustratæ aut obscuratæ disciplinæ ejusdem recurrunt. Nec adeo mihi placeo, ut existimem omnes omnium in jure naturæ me recensuisse labores. Scio multorum adhuc superesse scripta, quorum injicere me oportuisset mentionem. Namque in ipsum *Grotium* SUICERI quoque extare *compendium Grotianum* memini, & WACHTLERI lectiones *Grotianas*, & JOANNIS REINHARDI HEDINGERI *sicilimenta philosophica juris*, ex illustris *Grotii* libris *de jure belli ac pacis*, & si qui alii sunt ejusdem commatis libri. Ex illis autem, qui sui ingenii ductum secuti *sunt*, HUGO DE ROY *de eo quod justum est*, CYRIACUS LENTULUS *de jure belli ac pacis*, FELDENI *elementa*, LUCÆ OPALENII *de officiis* libri tres, HENRICI MICHAELIS *vinculum juris universalis*, circa naturalia, moralia & politica, LANGII *conceptus juris naturalis*, & plurimæ aliæ aliorum commemorandæ mihi fuissent commentationes, si cuncta exequi animus tulisset. Addendæ quoque fuissent dissertationes doctorum virorum,

rorum, de selectis naturalis juris argumentis. Has enim plurimi facio, cum quæ levi ut plurimum brachio attinguntur in generali ista totius disciplinæ pertractatione, exquisitiori studio, cum de singulis ejus argumentis tractatio suscipitur, evolvi soleant. Cujus rei illustre documentum, ut nunc alios taceam, JOANNES NICOLAUS HERTIUS & JOANNES WERLHOFIUS præbent, quorum ille in *Giessensi*, hic in *Helmstadiensi*, academia, prudentiam juris magna cum laude docent. Et HERTII quidem integer exstat ejusmodi dissertationum fasciculus, in commentationibus ejus ac opusculis, M. DCC. conjunctim editis, videlicet *de jurisprudentia universali*; *de socialitate primo juris naturalis principio*, *de commeatu literarum*, *de matrimonio putativo*, *de modo constituendi civitates*, *an summa rerum semper sit penes populum*, *deque tutela regni*. WERLHOFII autem sparsim exierunt dissertationes exquisitissima eruditione refertæ, *de usu juris Romani*, aliorumque privatorum jurium, *de decidendis controversiis liberarum gentium*, *de genuinis fontibus recte decidendi controversias publicas & illustres*, *vindiciæ Grotiani dogmatis de præscriptione inter gentes liberas contra Petrum Puteanum*, & quæ aliæ sunt ejusdem generis. Sed hisce aliisque immorari diutius consultum non duxi, cum per illustria & maxime necessaria saltem historiæ hujus ire capita animus fuerit. Manebit etiam suum cuique libro pretium, si vel maxime mihi non innotuerit, aut isto loco, quo memorari debuisset, a me non sit collocatus.

Scriptores de jure Gentium.

L. Aſt nimis incurius rerum mearum meique inſtituti immemor videri poſſem, ſi de illis non aliquid adderem, qui de *gentium*, ut vocant, *jure* commentati, ſimul de naturæ jure haud male meriti ſunt. Qualecunque enim gentium jus comminiſcantur, ad rem ipſam cum veniunt, aut mores gentium pro jure venditant, aut recurrendum ad ipſas naturæ leges eſt, quod & plerique faciunt, qui jus gentium ſe docere profitentur. Ipſum quidem *Grotium* ad integras magis gentes, quam ſingulos homines, cum ſuum de jure belli & pacis opus ſcripſit, ſe retuliſſe conſtat. RICHARDUS deinde ZOUCHÆUS hoc exemplum ſecutus eſt, in *juris*, ut vocat, *judicii fecialis*, ſive juris inter gentes, & quæſtionum de eodem explicatione: qui liber *Hagæ Comitum* A. M. DC. LIX. impreſſus eſt, & deinceps *Moguntiæ* recuſus. In hoc laudandus, quod ex hiſtoriarum monumentis dicta ſubinde illuſtret. WOLFGANGUS TEXTOR in *ſynopſi juris gentium*, itidem quæ diverſa a jure naturæ ſint, non tradit. In naturam & indolem hujus juris, quod *gentium* dicitur, accuratius inquirunt JOANNES LUDOVICUS PRASCHIUS, & JO. JOACHIMUS ZENTGRAVIUS: ille in diſquiſitione *de jure gentium*, hic in commentatione de *origine, veritate & obligatione juris gentium.* Sed falluntur omnes magnopere, qui gentium jus a jure naturæ diſtinctum fingunt, & leges aut cum moribus, aut cum pactis turpiter confundunt. JOANNES JACOBUS MULLERUS, in ſua *juriſprudentia gentium*, *Grotii* veſtigiis

accurate

accurate inſiſtit, immo ipſum *Grotium* alia methodo exhibet. JOANNES GROENINGIUS in *bibliotheca juris gentium* communi, europæa & exotica, haud ita pridem editis, gentium de rebus ad mores ſpectantibus præſertim philoſophorum placita collegit. De ceteris dicere nihil attinet. Unicus tamen mihi commemorandus adhuc eſt, ULRICUS HUBERUS, qui *inſtitutionum* ſuarum *hiſtoricarum* tomo primo, juriſprudentiæ hiſtoricæ, ſive obſervationum ad ſuperiores libros hiſtoriæ civilis, ex jure publico potiſſimum univerſali, ſpecimen addidit. Quod quidem viri inſtitutum nemo, niſi rerum harum ignariſſimus, reprehendet: miror que neminem extitiſſe, qui monſtratam ab eo viam ingrederetur. Uti enim hiſtoriarum monumenta & lucem affundunt juri naturali, & rationem applicandi ad ipſos actus civiles monſtrant; ita hiſtorias is demum recte colere cenſetur, qui prudenter de omnibus, quid jus faſque aut nefas, quid utile, quidve noxium, exiſtimare didicit.

LI. Atque huc gentium etiam integrarum imperantiumque, tum inter ſe tum cum civibus controverſiæ pertinent. In his enim demum maxima juriſprudentiæ naturalis ſeſe exerit utilitas, quum non aliis, quam naturæ legibus, in ejuſmodi litibus componendis locus ſit. Et eas quidem, quibus imperantium civiumque mutua jura & officia diriguntur, diligenter quidam viri eruditi, de ſtructura & indole civitatis agentes, explicarunt, nobiliſſimamque juris naturalis partem hoc ipſo illuſtrarunt egregie. Locum inter *Lites de Jure Gentium.*

 eos

eos haud extremum occupat Jo. Fridericus Hornius, in *politica*, quam vocat, *architectonica*, ceteris omnibus in hoc genere præferenda, nisi in quibusdam per nimiam sentiendi libertatem in devia se abripi passus esset vir ceteroquin acutissimus. Cujusmodi illud est, quod de imperii civilis per naturalem consecutionem origine commentus est, & de majestate solis imperiis monarchicis propria, & quæ forte alia sunt ejusdem generis. De Ulrici Huberi autem *jure civitatis* non est ut dicam, cum nemo facile egregium opus ignoret, quamvis & in eo nonnulla post tam accuratam juris naturalis inquisitionem utique emendanda alii deprehenderint. Generatim autem omnes, qui de *juribus* quæ vocant *majestaticis* commentantur, in hunc ordinem redigendi sunt, quibus haud contemnenda jus naturæ incrementa imputat. Quos inter Henningem Arnisæum strenuum *monarchomachicorum* impugnatorem, & Casparem Zieglerum, utrumque in opere de *juribus majestaticis* eminere nemo nescit, ut reliquos silentio prætermittam. Acrius hæc agitari solent, cum ipsa partium jura defendenda sunt, quæ scriptorum genera, uti neutiquam negligenda, ita in naturali jure consulenda cum primis; cum non tam scholæ quam aulæ inserviant, & eruditorum meditationes velut in aciem deducant. Omnia quæ possem, si recensere vellem, rem susciperem, non quidem a meo, qui juris naturæ historiam condo, instituto alienam, infiniti tamen laboris, & a nobis heic non perficiendam.

endam. Pauca ſpeciminis loco adferre ſatis erit. *Belgæ*, cum *Hiſpanorum* jugum excuterent, armis non minus quam ſcriptis, illi pro libertate, hi pro imperio pugnarunt. Horum cauſam quidam *Armacanus*, ſub quo nomine CORNELIUM JANSENIUM latitare fama eſt, egit, & in academia *Lovanienſi* NICOLAUS VERNULÆIUS: illorum, MARTINUS SCHOOCKIUS *de juſtitia belli*, quod *fœderati Belgæ* ob perpetuam pacem cum *Hiſpanorum* Rege geſſerunt. Similis vero, ſi a nonnullis diſceſſeris, & *Luſitanorum* cauſa fuit contra *Hiſpanos*, cum horum imperio illi ſe ſubtraherent. Nec utriſque aut argumenta defuerunt, quibus cauſam ſuam ornarent, nec defenſores. Ut enim CARAMUEL LOBKOWIZ *in Philippo prudente*, itemque in *reſponſione ad manifeſtum regni Luſitanici Hiſpanorum*, ita ANTONIUS DE SOUSA, in *Hiſpania liberata*, & AGEYRA *de ſucceſſione Portugallica Luſitanorum* partes tuendas ſuſcepit. In *Anglia*, quæ inter *Carolum I. Regem*, populumque Anglicanum orta eſt diſſenſio Regi admodum funeſta, longe alterius indolis eſt; eruditorum tamen provocavit calamos, ingeniaque ad imperantium & populi jura excutienda, & certos utriſque limites conſtituendos, excitavit. Vel JOANNIS MILTONI, *pro populo Anglicano*, & CLAUDII SALMASII *pro Rege*, impari & expectatione, & eventu edita ſcripta hoc ſatis ſuperque teſtantur [86].

LII. Ea

[86] De Origine civilis Imperii adeoque de Principum Sanctitate & Auctoritate inviolabili plurima apud noſtrates

Lites de monarchiâ.

LII. Ea res in memoriam mihi revocat varias illas contentiones, quæ ſubinde inter eruditos de *imperantium populique juribus* fuere agitatæ, ut *Monarchomachicorum* & *Antimonarchomachicorum* quoque nomina inde ſint enata. Illuſtre ubique juris naturalis caput & maxima ſollicitudine definiendum, ne aut pro principibus tyrannos obtrudamus populo, aut illos infimæ plebis poteſtati ſubmittamus. Vix reperies tamen, qui mediam teneant viam, nec cum alterius detrimento conſultum alteri cupiant; idque eo magis, quod affectus ſtudiumque partium, ſi unquam, huic certe doctrinæ generi ſeſe immiſceat. GEORGIUM BUCHANANUM *Scotum*, poëtam ſæculi ſui facile principem, in dialogo *de jure regni Scotiæ*, populo præ Regibus favere conſtat. Aſt facere aliter non poterat, qui totus ab illis pendebat, qui dejecta MARIA STUARTA, *Scotiæ* regina, rerum ad ſe trahere ſummam annitebantur. Quid MARIUM SALAMO-

trates verſata fuit controverſia. Sunt qui a Deo per *Patriarchas* id ducendum eſſe profitentur. FILMERI *Patriarcha*, Lond. 1680. 8vo. LESLY *de origine civilis Imperii*. BEDFORD *de Jure Principum hereditario*. Lond. 1713. Sunt viciſſim, qui idem a populi conſenſu & pactis oriundum eſſe volunt. LOCKE *de civili Imperio*. Lond. 1698. SIDNEY de eodem. HOADLEY *de orig.* & *Inſtit. civilis Imperii*. Lond. 1710. Hinc in diverſas abeunt opiniones de ſupremi magiſtratus Poteſtate, quam ſanctam eſſe & inviolabilem prorſus contendunt divinæ ejus originis aſſertores, dum qui ex parte populi ſunt, iſti reſiſtere licere in ſupremo Reipublicæ diſcrimine doceant. Plures ex utraque parte ſcriptores vid. in Quæſtion. *Philoſoph.* Cap. II. S. 3.

NIUM

NIUM in libro *de principatu*; personatum illum STEPHANUM JUNIUM BRUTUM, sive PHILIPPUS MORNÆUS juxta *Hugonem Grotium*, sive HUBERTUS LANGUETUS, juxta *Boeclerum*, sive alius sub hoc nomine latitet, in *vindiciis contra tyrannos*; quid JOANNEM BOUCHERIUM in *justa Henrici* III. *abdicatione a regno Francorum*; quid FRANCISCUM HOTTOMANNUM in *Franco-gallia*, & in libro *de jure regni gallici* impulerit, ad noxias imperantium auctoritati opiniones defendendas nemo puto ignorabit, qui temporum & regnorum, in quibus vixere, reputaverit conditionem. JOANNES ALTHUSIUS, an peculiares, quæ in hanc eum induxerint sententiam, habuerit rationes, nescio: hoc scio, acrius nimis de eo censuisse HERMANNUM CONRINGIUM, quod pestilenti velut sidere afflatus eo impudentiæ progressus sit, ut illa ipsa seditiosorum hominum deliramenta in formam artis redigere, scripturæ sacræ testimoniis incrustare non erubuerit. Ego ALTHUSIUM non defendam: hoc tamen fateor, multa vere & cordate ab illo dicta, quæ hodie forte assentatoribus principum, ut plerique sunt, qui se politicos jactitant, maxime in academiis, dura nimis aspera videntur. Nec dubito, quin multa monarchomachicorum effata commodam admittant interpretationem, & ideo saltem displiceant, quod aperte nimis veritatem prodant. Æquitati ubique studendum, præsertim in scriptis eruditorum censendis: ast mirifice ab ea alieni sunt, qui affectibus præpediti ad hæc sacra accedunt,

Quæ

Quæ dicta ab his contra ſanctitatem principum ſunt, merito rejicienda: ſed an dicta ſint, diligenter prius diſpiciendum. Juxta hanc regulam de reliquis etiam pronunciandum, qui in hujus criminis ſuſpicionem veniunt, uti PHILIPPUS HÆNONIUS in *diſputationibus politicis*: GULIELMUS ROSSÆUS, ſive potius WILHELMUS GIFFORDUS, in libro de *vindicta reipublicæ chriſtianæ*, adverſus reges impios & hæreticos, & denique auctor libri, de *regimine civili*, qui ex anglicana lingua in gallicam eſt tranſlatus.

Lites de Dominio Eminenti.

LIII. Cum autem principum imperium ſubinde cum civium libertate collidatur, duo tamen præ reliquis momenta ſunt, in quibus ſine ſummo vix hoc fieri poſſe periculo merito cenſeretur; religio, & bonorum, quæ cuique obtigerunt, ſecura poſſeſſio. Hic ergo, ut imperii rite definirentur, per naturæ quoque leges, limites, eruditi recte dedere operam: nec tamen ita definivere, ut non ſubinde ſuper iis diſceptatio oriatur. Iidem, quos ſupra notavi, & hic recurrunt affectus, prout quiſque aut principi aut populo ſuas, quas compoſuit, placere voluit fabulas. Et ad bonorum quidem poſſeſſionem quod attinet, nata eſt, ſuperiori ſeculo, agitata de *dominio eminenti* controverſia. Aſſeruit hoc HUGO GROTIUS, primuſque hanc vocem uſurpavit, quanquam alii hanc gloriam HUGONI CARDINALI vindicent. Secuti GROTII exemplum ſunt JACOBUS ANDREAS CRUSIUS, in peculiari de hoc argumento commentatione, itemque quidam HELENUS PO-

LITANUS

LITANUS, in differtatione *de dominio eminenti in imperio Romano*, aliique. Sed limites iftius facultatis extendere, ultra quam par eft, multis vifus eft, is quem fupra laudavimus Jo. FRIDERICUS HORNIUS, in differtatione *de dominio supereminenti*, in academia *Wittebergensi* M. DC. LVIII. habita, cui mox thefes quafdam oppofuit WILHELMUS LYSERUS, in eadem academia tunc juris profeffor. Nec defuit fibi HORNIUS, fed in *politica*, quam *architectonicam* vocat, denuo hoc argumentum fub incudem revocavit, fuamque fententiam contra LYSERUM defendit; LYSERO demum, HORNIO jam mortuo, differtationem *pro imperio*, contra dominium eminens, M.DC.LXXIII. eidem opponente. In eo autem facile confentiunt, nefas effe imperantibus citra neceffitatem utilitatemque manifeftam reipublicæ privatorum invadere bona: faltem imperiumne, an dominium, imperantis in bona civium facultas dicenda fit, difquiritur. *Dominium* vocat HORNIUS; *imperium* mavult LYSERUS, quod ex dominio ita imperantibus propria forent civium bona, ut iis femper ex arbitrio uti poffent. Aft pone poffe & aliam dominii effe fignificationem, & facile inter eos conveniet. Utique facultas ipfa, juftis limitibus circumfcripta, quod imperantibus competat, conftat: imperium vero an dominium quis eam vocare velit, perinde fuerit.

LIV. De poteftate principum circa facra, & acrius & fæpius, magnis animorum motibus concertatum fuit. Namque non tantum civium omnium intereft, ne imperantes limites fuæ

Lites de poteftate principum circa facra.

suæ potestatis hic migrent; sed accedunt etiam sacri ordinis viri sibi ea haud raro vindicantes, quæ rerum debentur dominis. Hinc mox cives conquerentes audias sævire principes in conscientias, & id, quod soli Deo proprium est, nefando ausu involare; mox verbi divini ministros, conculcari pedibus potestatem & auctoritatem divinitus sibi concessam; mox principes a clericis sacrilega impietate, erepto sacrorum jure, suam imminui majestatem. Ergo omni tempore ut tum ex scriptura sacra, tum ex naturæ legibus hoc jus definiretur, strenue fuit elaboratum. Nihil dicam de jure *regaliæ*, de quo inter *Galliæ* reges & *pontifices* toties fuit disputatum, immo & inter Imperatores *germanicos* atque *pontifices*; [87] uti vel *Henrici* IV. Imperatoris fata testantur. Sub *Ludovico Bavaro*, ut alibi a me ostensum, vindicata egregie imperantium auctoritas fuit contra insultus pontificis, multorum eruditissimorum virorum monumentis, quæ in unum collecta conservavit nobis MELCHIOR GOLDASTUS ab *Haimensfeld*, in *Monarchia sacri Romani Imperii*. LUTHERI opera, quam egregie proculcata hactenus imperantium potestas restituta sit, & aliunde constat, & BALTHASAR etiam BABELIUS in dissertatione, *de beneficiis magistratui politico beati* LUTHERI *ministerio exhibitis*, demonstravit. Nec minimum illud reformationis a LUTHERO insti-

[87] Conf. hac de re præ ceteris JOANNES SCHILTERUS in præclaro *de Libert. Eccles. Germ.* opere.

tuta

tutæ eſt momentum, ut imperantium & docentium ordo juſtis limitibus circumſcriberetur. Sed poſtea quoque ſubinde de hac re diſputatum, neſcio tamen, an acrius unquam, & majori eruditionis adparatu, quam in *Belgio*. Cum etiam *Remonſtrantes* faventes ſibi haberent imperantium animos, perque eos ſuam poſſe promoveri cauſam crederent, ſtrenui aſſertores poteſtatis civilis circa ſacra exiſtebant. Imprimis hoc VYTENBOGARDUS egit, in libro Belgica lingua conſcripto; quem tamen ex iis, quas olim defendit, ſententiis, refellere adgreſſus eſt RUARDUS ACRONIUS. Tum vero BOGERMANNUS, SIBRANDUS LUBBERTUS, capita *Contra-remonſtrantium*, aliique, acriter *Statuum Belgii* circa ſacra poteſtatem impugnabant, eam quod cauſæ ſuæ nocere arbitrabantur: quibus tamen *pietatem ordinum Hollandiæ* oppoſuit HUGO GROTIUS. Et hic quidem in alia commentatione, *de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra*, erudite hoc argumentum pertractavit, quod & NICOLAUS VEDELIUS fecit, in libro *de epiſcopatu Conſtantini Magni*. Sed eadem alibi paſſim inſtructa fuit ſcena; eruntque ſemper, qui hac ſuper re diſputent, & mox poteſtatis hujus, quam principes circa ſacra ſibi aſſerunt, limites extendant, mox reſtringant & coarctent, prout ſuis inſtitutis aut faventes aut reluctantes principes habebunt. Id iſtæ, quæ non ita pridem apud nos, inter JOANNEM BENEDICTUM CARPZOVIUM, alioſque ex ſacro ordine, viros & CHRISTIANUM THOMASIUM agitatæ controverſiæ

fiæ funt, condocent. Hic vero, ut ubique de naturæ jure præclare meritus eft, ita in aliquot etiam fcriptis, latino & germanico idiomate *de jure principis circa facra* editis, in hoc argumento enodando multum ftudii collocavit [88].

LV. Dum

---

[88] De Poteftate Principum circa facra pleniorem Hiftoriam exhibuit auctor nofter in *Ifagoge Hiftor. Theologicâ*. l. 2. c. 5. § 10. fed caute legendus; quoniam Ecclefiæ *Lutheranæ* addicto Regimen Ecclefiæ Epifcopale huic neutiquam arridet. Inter eos, qui in *Angliâ* Jura Epifcopalia afferuerunt, præcipue eminet HENR. DODWELLUS, qui hoc ex inftituto agit in *Parænefi ad exteros de nupero fchifmate anglicano*. Lond. 1704. 8vo. cui refponfum dedit ipfe BUDDEUS in Differtatione *de origine & poteftate Epifcoporum*. Sunt & hodie plurimi, qui difciplinam omnem ecclefiafticam rejiciunt & impugnant, quos non opus eft ut hic recenfeam. Sed quoniam *Eraftianorum* veftigiis præcipuè infiftunt, de horum doctrina pauca fubjungam, quæ nobis præbuit vir doctiffimus JOAN. HENR. HEIDEGGERUS in *Corpore Theol. Chriftianæ*. Loc. 28. Sect. 1. " Horum ante-fignanus " fuit THOMAS ERASTUS, *Heidelbergenfis* Medicus. " Cenfent illi, ecclefiæ nullum regimen, nullam fen- " tentiæ dictionem, nullum forum, nullam poteftatem " verbum Dei per cenfuras, excommunicationem impri- " mis, applicandi à Chrifto datam effe; poteftatem cla- " vium in folo verbi præconio confiftere; & ecclefiam " magiftratui Chriftiano, omnem quam ufurpat difcipli- " næ auctoritatem ex mera magiftratus delegatione ufur- " pare, cum omnis Politia externa, omne regimen & " omnis cœtuum minorum poteftas in republicâ à fummâ " majeftate derivari & in eandem refundi debeat. Proin " etiam magiftratuum fafces cenfuris ecclefiæ obnoxios " effe iidem pernegant; & a fententiis ecclefiafticis ad " magiftratuum tribunalia, utpote quibus ultimum &

" fupre-

LV. Dum vero in eo ſum, facere non poſſum, quin & illud addam, ſolere ſubinde juris naturalis decreta, & ad religionis, quam quiſque

Utrum æquum ſit Jus naturale ad Religionis & Reip. Statum accommodare?

" ſupremum rerum omnium in republica judicium " conveniat, provocationem permittunt. . . . . Horum " ſententiam, in *Anglia* gliſcentibus *Preſbyterianos* " inter & *Independentes* controverſiis, quidam COLEMANNUS Londinenſis Paſtor incruſtavit; qui Politicorum inſtinctu & vanâ prurigine motus in concione Londini *Parliamento* coram habitâ Regimen " Eccleſiæ magiſtratui obtulit: cui ſe G. GILLESPIUS " & SAM. RHETERFOORDIUS doctiſſimis diſſertationibus, quibus omnem *Eraſtiani* commenti iniquitatem aperuerunt, oppugnatum iverunt. . . . . In *Belgio* GROTIUS & *Remonſtrantes* (quos peculiari libro " VYTENBOGARDUS defendit magiſtratui architectonicam in Eccleſiam poteſtatem adſerens) *Eraſto* ſecundas fecerunt. Sed *Remonſtrantes* qui quamdiu magiſtratum ſibi faventem & propitium experti ſunt, mirè " poteſtatis ejus periſtromata dilatarunt: converſa fortuna, velificationem ſinuare cœperunt." Horum partes tuendas ſuſcepit LUDOVICUS MOLINÆUS in *Paræneſi ad ædificatores Imperii in Imperio*, Lond. 1656. 4to. De hoc libro ſic pronuntiat MELCH. LEIDECKERUS: "Ibi damnata Hierarchia epiſcopali, & regimine ſimul preſbyteriali, tradita tandem omnia politico Principi vides *independentium* conſiliis. Itaque " *T. Eraſtum* ad cœlum extollit cum *Grotio*. Liber " *Cromwellio* dedicatus eſt." . . . . Hæc ideo recitare juvabat, quoniam hujuſce controverſiæ ortum & progreſſum velut in compendio exhibent. Adjicere liceat quoſdam apud noſtrates hodiè deliteſcere, quibus nimium arrident *Eraſtianorum* & *Independentium* placita, quippe non tantum Diſciplinæ Eccleſiaſticæ manibus pedibuſq; impugnare ſtudeant; ſed & viros omnes Eccleſiaſticos in laqueum ire jubeant. Horum anteſignanus eſt TYNDALIUS in libro famoſo, cui titulus; *Rights of the Chriſtian Church*. Lond. 1706: quem adſectantur haud

quisque profitetur, & ad reipublicæ etiam in qua quisque vivit, statum accommodari. Quæ res quam noxia sit, per se patet; prætermittenda mihi tamen non est, ut non incrementa modo, & decrementa juris naturalis sed causæ etiam utrorumque intelligantur. Constitit vero omnibus, id quod dixi, ut nunc alia exempla prætercam, in ea controversia, cui occasionem dedit *Hafniensium* theologus, HECTOR GODFRIED MASIUS. Is M. DC. LXXXVII. librum edidit, quem *interesse principum circa religionem evangelicam* vocavit. In eo id dat operam, ut demonstret *Lutheri* discipulorum eam de summo principum imperio doctrinam esse, per quam hoc firmum & supra omnes monarchomachicorum insultus positum sit, cum ea, quæ ex divinis literis & juris naturalis decretis afferunt, huc maxime sint accommodata. Id quidem recte.

---

pauci causæ christianæ non nimium faventes, qui nuper contra viri optimi EDMUNDI [*Gibson*] hodie Episcopi Londinensis *Codicem Juris Ecclesiastici Anglicani* scriptitarunt. In hac classe non infimas habent partes Ephemerides quædam, quæ singulis hebdomadibus prodeunt hoc titulo, *The Old Whig*, or *Consistent Protestant*, insignitæ; sed imprimis eminet in hac causa anonymus quidam [sed nominatim, si qua famæ Fides, FORSTER Proprætor Bristoliensis] qui nuper in lucem emisit, *An Examination of the Scheme of Church Power laid down in the Codex Juris Ecclesiastici Anglicani*. Lond. 1735. quem librum Clericorum tum munera tum personas contumeliis & maledictis acriter insectantem ad examen revocat & funditus evertit vir doctissimus & utriusque Juris peritissimus in libro, cui titulus: *An Answer to the Examination of the Codex*, &c. Lond. 1735.

Idem

Idem vero dum de reliquis, in quas orbis Chriſtianus ſcinditur ſectis, contrarium probare annititur, iſtis *Reformatos* adjungit. Quæ res uti cordatis omnibus, & prudentibus, admodum diſplicuit, ita & HUBERTO MOSANO, hoc eſt, doctiſſimo viro Jo. CHRISTOPHORO BECMANNO bilem movit, ut erudito ſcripto lingua vernacula edito iſtam MASII temeritatem caſtigaret. Variis hinc, ut inter eruditos moris eſt, iiſque vehementioribus ſcriptis inter utrumque concertatum fuit, hoc eventu, ut innoteſceret utrinque nonnullos incommode ſæpius fuiſſe locutos, utrinque extitiſſe qui ea de auctoritate imperantium ex jure naturæ & theologia aſſumerent placita, quæ rebus ſuis quam maxime conducere arbitrarentur: quod vero ſupereſt, ipſam utriuſque partis religionem ita comparatam eſſe, ut nec auctoritati nec majeſtati imperantium quicquam detrahat, & cum iis, quæ jus naturæ hac de re omnes condocet, accurate conſentiat atque conſpiret.

LVI. Et ea quidem, quæ hucuſque diſſeruimus, ad imperantium atque civium officia mutua ſpectant. Hinc vero priuſquam diſcedam, de *ſucceſſionibus illuſtrium* aliquid addendum; de quibus cum ſæpius concertatum ſit, vix fieri hoc potuit, quin ad naturalem juriſprudentiam aliqua inde ex eruditorum monumentis acceſſio fieret. Vel de ſucceſſione in regnum *Portugalliæ*, poſt mortem *Sebaſtiani* Regis, quæ multis librorum voluminibus diſceptata ſunt, ad hoc evincendum ſufficiunt. Dixi & ipſe ea de controver-

Lites de ſucceſſionibus illuſtrium.

 ſia

ſia aliquid, in mea *de ſucceſſionibus primogenitorum* diſſertatione, in qua & alia, quæ huc facere queant, attigi. Quæ de jure devolutionis *Brabantinæ*, ab auctore tractatus *de juribus reginæ chriſtianiſſimæ*, itemque ab auctore dialogi *de juribus reginæ*, aliiſque, pro *Galliæ* Rege, a PETRO STOCKMANNO contra de jure devolutionis, & auctore *clypei ſtatus & juſtitiæ* pro *Hiſpaniæ* Rege ſcripta ſunt, alterum exemplum præbent. Noſtra vero ætate, ut reliqua nunc prætermittam, ſucceſſio illa Hiſpanica, quam hinc *Auſtriaca*, illinc *Burbonica* ſibi gens aſſerit, ut Europam fere univerſam ad arma pro libertate, ita eruditos ad calamos pro juſtitia expediendos impulit. Nec aliunde tamen, quam ex naturæ jure momentum cauſæ decidendum, ſive de teſtamenti a *Carolo* II. conditi valore, ſive de ſucceſſionis jure per teſtamentum, non tollendo, ſive denique de efficacia renunciationis a *Delphini* matre factæ, quæſtio inſtituatur. Id equidem & ipſe in peculiari demonſtravi diſſertatione, ſed alii etiam viri eruditi in eadem elaborarunt cauſa, quorum alibi indicare animus eſt monumenta. Iſtæ vero de ſucceſſionibus controverſiæ, ut ex naturæ jure ceu unico fonte rite derivandæ ſunt, ita rurſus accuratius pertractatæ, ipſi juri naturæ lucem inſignem affundunt. Hinc nec eodem, qui ad eas animum adjecerunt, id fecere ſucceſſu. Certe qui, antequam per HUGONEM GROTIUM naturali juri ſuus reſtitueretur nitor, de ejuſmodi argumentis expoſuere, dici non poteſt, quam turpiter plerumque ſe traduxerint,

tint, *juris civilis*, *canonici*, *publici*, *naturalis*, decreta inter se commiscendo, ut ipsi vix aliquid invenirent, in quo pedem figerent. Ast qui recentiori ætate hocce munus in se suscipiunt, tanto felicius ad summum & caput causæ provehuntur, quanto ipsi hujus juris, quo solo principum & gentium fata continentur, fuere peritiores. Nemo vero ita peritus est, ut non, quoties ad specialia adplicatio instituenda, pulchram in eo proficiendi indipiscatur occasionem [89].

Lites de dominio Maris.

LVII. Et dubia quidem ista atque incerta succedendi ratio, non tantum imperantes cum civibus, sed & diversas secum committit gentes. Longe autem plura sunt, quæ tantum inter gentes ipsas agitari solent, & atrocium haud raro bellorum causæ existunt. Horum si vel præcipua saltem, non dicam enumerare aut edissere, sed indicare saltem vellem, rem susciperem magnæ molis integroque libro

[89] Huc spectat controversia non ita pridem apud nostrates mota de *Successione Hereditariâ* ad Regnum *Britanniæ*, in qua præcipuas partes sustinuerunt HIGDENUS & BEDFORDIUS, qui ex adversis invicem partibus steterunt: cum enim munus probandi Jus ad Regnum Britanniæ non adeo esse sanctum & inviolabile, quin & arbitrio Potestatis Legislativæ subjici possit, in se suscepisset alter imprimis in libro, cui titulus, *A View of the English Constitution*, Lond. 1709; & deinceps in ejusdem defensione, Lond. 1710: alter id præcipue agendum esse sibi duxit, ut contra HIGDENUM probaret jus regum Britanniæ hereditarium esse absolutum, & nullo modo, ne quidem in summo rerum discrimine, violandum, in libro, qui hunc præ se fert titulum; *The hereditary right of the Crown of England asserted.* Lond. 1713. Fol.

suffecturam. Etenim quam dives statim librorum seges efflorescat, cum inter rerum dominos ejusmodi exoriuntur disputationes vel illorum exemplo patet, qui de *dominio maris* agere ita instituerunt, ut assererent illud, aut infringerent, prout illorum, quorum causam tuebantur, rebus conveniens hoc esse putabant. Ipse HUGO GROTIUS primum velut suæ in jure naturali peritiæ tirocinium hac ipsa in quæstione posuit. Cum enim circa seculi proxime elapsi initium inter Hispanos & Belgas de induciis tractantes multa etiam de libertate *indicanorum* commerciorum, quam invitis & reluctantibus *Hispanis* sibi vindicabant *Belgæ*, disceptarentur; HUGO GROTIUS pro eo quo patriam complectebatur amore, edito (titulo *maris liberi*) libello liberam ad *Indos* navigationem asserere adgressus est [90]. Ipse tamen deinceps, in majori *de jure belli & pacis* opere, in quibusdam sententiam suam emendavit, certisque, quæ ante posuerat, limitibus circumscripsit. Nec quisquam contra eum quidquam movit, donec plurimis jam præterlapsis annis, trigesimo videlicet quinto seculi proxime elapsi, JOANNES SELDENUS idem sub incudem revocaret argumentum, editoque *de mari*, ut vocat, *clauso*, libro contrariam adstrueret sententiam. *Anglorum* forte referre putavit, ut ad *Batavorum* commercia intra angustiores limites coercenda, gentibus ejusmodi quid persuaderetur. Et

[90] Vid. DOMINICUS BAUDIUS lib. II. de *induciis Belli Belgici*. add. BOECLERUS ad *Grotii* lib. II. cap. II. p. 49.

tum

tum demum concertari ea de re cœptum. GROTII namque partes defendendas sibi putavit THEODORUS GRASWINKELIUS in *vindiciis*, quas vocat, *maris liberi*, & JO. ISAACUS PONTANUS, *Danorum* insimul atque *Norwegorum* causam acturus, in duobus *discussionum historicarum* libris. Pro *Seldeno* contra stetit GULIELMUS WEELWODUS, PETRUSQUE BAPTISTA BURGUS, in opere *de dominio Maris Ligustici*, cui is, quem antea laudavi, THEODORUS GRASWINKELIUS refutationem opposuit. Nec defuerunt, qui a partium studiis alieni proficere demum ex ejusmodi scriptis ad veri investigationem simulque juris naturalis amplificationem visi sunt. Quos inter eminet THOMAS RIVIUS in sua *historia navali media*, JACOBUS GODOFREDUS in dissertatione *de imperio maris*, [91] JOANNES STRAUCHIUS in *de imperio maris* dissertatione: ne quid nunc de LOCCENIO aut STYGMANNO dicam, quorum uterque de commerciorum maritimorum jure, nisi his delibutis, præcipere non potuit: nec de CLAUDIO BARTHOLOMÆO MORISOTO, cui in orbe maritimo non satis fuit generatim quædam de maris dominio delibasse, sed de Hispanorum quoque, Lusitanorum, aliarumque gentium imperio maritimo speciatim sibi exponendum duxit.

LVIII. Ejusmodi vero cum sæpe & nostra & majorum nostrorum ætate, inter gentes, &, qui harum vicem gerunt, imperantes *Conclusio.*

[91] Ad leg. deprec. 9. ff. *de L. Rhodia de jactu.*

rerumque dominos lites agitatæ ſint, iiſque definiendis non aliæ, quam naturæ leges ſufficerent; facile patet, neceſſitate velut quadam inductos viros ingenio & eruditione præſtantes, in accuratiorem earum incubuiſſe inveſtigationem. Nec ullam credo temere eſſe hujus doctrinæ partem, quæ inde aut lucem non ceperit, aut capere ſaltem non potuerit, ſi modo in media non voluerunt cœcutire luce, qui ad illuſtrium cauſarum momenta diſceptanda animum adjecerunt. Id quod ut illis, quæ afferre animus fuit, exemplis abunde conſtat, ita reliquis, quorum haud pauca ſupereſſe ſcio, idem comprobare pronum fuiſſet, niſi decretum conſtitutumque fuiſſet juris naturalis hiſtoriam condituro, per ſumma ſaltem rerum maximeque illuſtria ire capita. Conſtare vero nunc omnibus puto, per vices hanc philoſophiæ partem, quam *juriſprudentiam naturalem* vocamus, mox illuſtratam ſcriptis prudentum, mox umbraticorum & ſcholaſticorum hominum variis diſputationibus obſcuratam, majori quidem ſtudio quam reliquas philoſophiæ practicæ partes cultam, neutiquam tamen perfectam, ea expertam & adhuc experiri fata, quæ omnia ſcientiarum genera manent. Ii vero ipſi, qui promovere eam debebant, cum ludicris ſuis figmentis quam maxime illi nocuerint, quid mirum, quod a ſummo faſtigio multum abſit? Nec credo meliora expectanda fata, ex quo imperitorum abuſu eo res proceſſit, ut cordati quidam huic ſe non aliter obviam ire poſſe opinentur, quam profligato illorum errore,

qui,

qui, pro verbo divino jus naturæ crepantes, vix ſentiunt in ethnicos ſe degeneraſſe, quos & ſupra jam notavimus. Ita enim fieri aliter non poteſt, quam ut ipſum merito ſuſpectum reddatur jus naturæ: ſaltem culturæ, quæ huic impenditur, jacturam potius faciendam, quam ut pro chriſtianiſmo ethniciſmus tandem palam obtrudi omnibus permittatur, nemo rerum ſuarum conſultus temere abnuet. Manet interim hæc juriſprudentiæ naturalis, præ ethices & prudentiæ civilis doctrina, prærogativa, quod longe majori ſtudio præſtantiſſimi in eam ſe dederint viri: ſed nunc tamen & his priſtinum redire quodammodo videtur decus, quod vix ex iſtis ſcholaſticorum nebulis, quibus academiæ tantum non hactenus obtenebratæ fuere, emergere potuit. Optamus vero merito, ut emergat: modo ita emergat, ut cœleſti veritati, qua chriſtianorum diſciplina ſola conſtat, ſuus ſervetur honor; immo ut ad hanc, quæ ſola vera ſapientia, & fons etiam omnis ſapientiæ eſt, conſervandam, illuſtrandam, amplificandam, cuncta referantur. Faxit ergo Deus, ut primo vera & non fucata pietas, deinde vero & artes illæ literæque, quæ huic inſerviunt, in dies magis magiſque provehantur, & lætius effloreſcant.

S. D. G.

Illuſtriſſimo atque Celſiſſimo Heroi Domino

Guſtavo Ottoni Steenbock,

Comiti in Bogeſund, Libero Baroni in Chronebeech & Ohreſteen, &c.

Regni SUECIÆ Archithalaſſo, & Academiæ Gothorum Carolinæ Cancellario; &c.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

Illuſtriſſime atque Celſiſſime COMES,

DOMINE GRATIOSISSIME,

HAUT levis in diverſa animum meum diſtrahebat dubitatio, num ſatis ex decoro foret tantillum opus tam illuſtris ſibi nominis auſpicia adſcitum ire. Nam ex una parte ruborem incutiebat libelli tenuitas, qui nullius ingenii aut ſplendoris capax erat; quippe

quippe prima duntaxat rudimenta Moralis Philosophiæ, *ex diffusiore nostro opere fere excerpta, complectens. Qui uti fortasse aliquem præbere usum potest primum eam ad disciplinam gradum molientibus; ita si & fastigii Tui, & meæ obligationis heic habenda erat ratio, ad neutram satis adparebat attemperatus. Ex altera parte devotissimum* Illustrissimæ Tuæ Excellentiæ *animum stimulabant privata non minus quam publica Tua merita; ut ingrati notam sibi vehementer pertimescendam duceret, si qualemcunque occasionem negligeret, saltem contestandi, quantopere Eidem foret devinctus. Neque de illis jam meritis loquor, queis per res domi forisque egregie gestas patriam Tibi maximopere obstrictam reddidisti, simulque Nomen Tuum immortali gloriæ dudum dedicasti. Ista pro dignitate recensere, historiæ labor est; quæ dum circa gloriosissima Nationis Tuæ facinora, & felicissime per tot regiones circumlata arma desudat, magnam Te semper tantarum rerum partem deprehendit; Eundemque, ubi a bellis cessatum est, primum amplissimæ provinciæ gubernandæ, post totius reg-*

ni

ni tutorio moderamini admotum, non minus pacis artibus efflorescentem admiratur. Ista potius hoc loco attingere fas fuerit, quæ in recentem hanc Academiam, in qua, invitante Optimo Maximo REGE, *fortunarum sedem figere mihi datum fuit, ab* ILLUSTRISSIMA TUA EXCELLENTIA, *profecta sunt. Quæ Te sapientissimum juxta ac benignissimum defensorem, ac summum moderatorem nunquam pro meritis satis deprædicare potest, dum suis commodis ac ornamentis inter tantam publicorum negotiorum molem citra tædium velificantem quotidie deprehendit. Enimvero quæ peculiariter* ILLUSTRISSIMA TUA EXCELLENTIA *in me contulit, qua cum veneratione a me æstimanda sunt? Aliis summa votorum est, ejus fastigii Viris innotescere, & probari. Ast mihi ita effusa Tua gratia allubuit, ut eandem & in commodis meis promovendis, & in assultibus malevolorum abs me averruncandis, non semel benignissimum expertus sim. Quibus ut aliquid reponatur, cum longe supra mensuram fortunæ meæ sit, necessarium tamen utique fuerit saltem submisso animi cultu, & ingenua tot beneficiorum*

professi-

professione defungi; postquam id quoque summorum Virorum benignitas habet, ut grati contestatione animi libenter sibi satisfieri patiatur. Et quia generosis mortalium solenne est, etiam tenui sibi exhibito cultui interpretatione pietatis dignationem ultro addere; id quoque Illustrissimæ Tuæ Excellentiæ *bonitas sperare me jubet, ut in magnitudinem Tuam deliquisse non videar, si tam exiguo opusculo utar in occasionem publice exprimendi erga eandem devotissimi mei animi. Nam splendidius aliquod, & quod ævum ferre queat opus, abs me exspectare longum fuerit; præsertim cum immane quantum refrigerentur ingenia, si deprehendant, dum vulgo sese laborant eripere, livorem & inscitiam impune in se dentem exercere, otii rationem non reddi. Novo tamen vigore efflorescet animus, & oborta tædia ejiciet, si huncce cultum ab* Illustrissima Tua Excellentia *placida fronte admissum intellexero; simul in posterum de gratia, & patrocinio Tuo securum me esse jusseris. Ita* Deus O. M. Illustrissimam Tuam Excellentiam *in Patriæ, Splendidissimæ Tuæ Familiæ, ac*

nostræ

nostræ novellæ Reip. decus ac emolumentum, plurimos per annos florentem vigentemque conservet!

Illustrissimæ Tuæ Excellentiæ

Devotissimus

SAMUEL PUFENDORF.

Londini Scanorum
X. Kal. Febr. A.
M. DC. LXXIII.

Sam.



Sam. Pufendorfius LECTORI

BENEVOLO SALUTEM.

I. NI receptus plerisque eruditis mos legis propemodum vim induisset, supervacuum videri poterat circa rationem hujus scripti aliquid præfari; cum res ipsa satis loquatur, me nihil aliud egisse, quam ut tironibus præcipua JURIS NATURALIS capita brevi, &, ut arbitror, perspicuo compendio exponerem: ne si citra cognitionem velut elementarem in diffusa ejus disciplinæ spatia sese immiserint, copia & difficultate rerum ab initio protelentur [1]. Simul & illud publico expedire visum, ejusmodi *Doctrina Morali* [2] studiosæ juven-

[1] Auctor hoc compendium literis tradidit paulo post editum librum illum insignem *de Jure Naturæ & Gentium.* Nam opus majus in lucem prodiit A. D. 1672. hoc vero opusculum A. D. 1673.

[2] Sub hoc nomine auctor non tantum *Ethicam* proprie dictam, sed etiam Jurisprudentiam *naturalem* & *politicam* complectitur.

tutis animos imbui, cujus usus manifestus in Vita Civili spectaretur. Et licet alias semper inglorium judicaverim, aliorum diffusiora scripta, & multo magis propria, in compendium redigere [3]: tamen cum superiorum auctoritas accederet, a cordatis vitio mihi versum iri non arbitror, quod isthoc laboris unice Juventutis utilitati dare voluerim; cujus merito tantus esse favor debet, ut in ejusdem gratiam suscepta opera, etiam ingenii & splendoris non capax, nemine indigna sit judicanda. Cæterum quin ejusmodi principia ad universam Juris disciplinam magis idonea sint, quam cujusvis Juris Civilis elementa, nemo cui sanum sinciput abnuet. Atque hæc in præsens sufficere poterant, ni quidam monuissent non abs re fore, aliqua præmittere, quæ ad indolem JURIS NATURALIS in universum intelligendam, ejusdemque limites accuratius designandos facerent. Quod eo libentius suscepi, quia hoc modo prætextus adimitur hominibus importune curiosis febriculosam suam censuram extendendi ad hancce disciplinam, quæ sæpe velut interjecta ab ipsorum provincia disjungitur [4].

II. Mani-

3 Vide Ipsius Auctoris (sub nomine *Julii Rondini*) Præf. ad Erid. Scandic. in Postscripto. Et Comment. ad *Pullum Venet.* p. 46, 47.

4 JOSUAM SWARTZIUM & NICOLAUM BECKMANNUM (illum Theologiæ, hunc Juris Professores, suosq; in academia *Carolina Lundini* Collegas) his verbis notat, qui livore & invidia agitati, præter *Indicem Novitatum* in odium operis confectum, *Scaniæ* Episcopum instigabant

II. Manifeſtum igitur eſt, ex tribus velut fontibus homines cognitionem Officii ſui, & quid in hac vita ſibi tanquam honeſtum ſit agendum, tanquam turpe omittendum haurire; ex *Lumine rationis*, ex *Legibus civilibus*, & ex peculiari *Revelatione divini Numinis*. Ex primo fluunt Officia hominis communiſſima, præcipue quæ ipſum cum aliis hominibus ſociabilem reddunt: ex altero Officia Hominis, quatenus peculiari & definitæ civitati ſubjectus degit: ex tertio, Officia Hominis Chriſtiani. *Tres fontes ſcientiæ moralis.*

III. Inde & Tres ſeparatæ Diſciplinæ proveniunt: quarum prima eſt *Juris Naturalis*, omnibus gentibus communis. Altera *Juris Civilis* ſingularum civitatum, quæ tam multiplex eſt, aut eſſe poteſt, quot numero ſunt civitates, in quas genus humanum diſceſſit: Tertia *Theologia Moralis* habetur, illi parti Theologiæ contradiſtincta, quibus credenda exponuntur. Singulæ harum Diſciplinarum modum ſua dogmata probandi adhibent, ſuo principio reſpondentem. In Jure Naturali aliquid faciendum aſſeritur, quia per rectam rationem idem ad ſocialitatem inter homines neceſſarium colligitur. Præceptorum Juris Civilis ultima ratio eſt, quia Legiſlator ita conſtituit. Theologus Moralis in eo ultimo adquieſcit, quia Deus in Scripturis Sacris ita juſſit. *Tres diſciplinæ morales; Jus Naturale, Civile, Theologia Moralis.*

bant, ut ſibi cenſuram libri a rectoribus regni poſtularet. In horum ergo gratiam fines trium diſciplinarum vulgo tunc confuſos regit, ut, ubi inchoet natura & deſinat, quæve Rationes huc pertineant vel non, liqueret. Vid. Auctoris *Eris Scandica*. Otto.

Sibi invicem non repugnant.

IV. Quemadmodum autem disciplina Juris Civilis Jus Naturale tanquam generalem magis disciplinam præsupponit: ita si quid Jure Civili continetur, de quo Jus Naturale silet, non ideo hoc illi repugnare censendum est. Simili modo si in Theologia Morali aliqua tradantur, ex revelatione divina profluentia, ad quæ ratio nostra jam non pertingit, quæq; adeo & Jus Naturale ignorat; imperitum valde foret, ideo illam cum hac committere, aut repugnantiam aliquam istarum disciplinarum somniare. Vice versa, si quæ in disciplina Juris Naturalis præsupponantur ex eo quod per rationem investigari potest; illa propterea iis, quæ Sacræ Literæ super eadem re liquidius tradunt, nequaquam opponuntur, sed tanquam abstrahendo concipiuntur [5]. Sic v. g. in disciplina Juris Naturalis, abstrahendo ab illa cognitione, quæ ex Sacra Scriptura hauritur, formatur conditio primi Hominis, utcunque in mundum projecti [6], quatenus sola ratiocinatio assequi potest. Ista opponere iis, quæ super eadem conditione Divinæ Literæ tradunt, hic vero est succus nigræ loliginis, hæc est ærugo mera [7].

5 Hæc ideo monet noster, quoniam ab adversariis, quos nactus est liber *de Jure Nat. & Gentium*, multis contumeliis lacessitus est ob quorundam omissionem, quæ non nisi Revelationis ope nobis innotescunt.

6 Qualis esset naturalis iste Hominis status, ostendit infra lib. i. c. 3. § 3. & lib. ii. c. 1. § 6. & *de Jure Nat. & Gent.* lib. ii. c. 1. § 8. & c. 11. § 2.

7 Ex Horat. *Serm.* I. iv. 100.
——*Hic nigræ succus loliginis, hæc est*
Ærugo mera.——

V. Enim-

V. Enimvero uti Juri quidem Civili, & Naturali, facile inter se conveniet: ita inter idem Jus Naturale & Theologiam Moralem fines regere, ac quibus potissimum partibus illa different definire, paulo operosius videtur. Qua super re paucis sententiam meam exponam, non quidem pro auctoritate Papali, ac si ab omni errore privilegio aliquo mihi cautum foret; neque qui ex somniis divinitus immissis, aut irrationabili aliquo instinctu singularis cujusdam illuminationis fiducia animetur; sed tanquam talis, cui Spartam sibi commissam pro modulo ingenii exornare cordi sit. Ita tamen, ut quemadmodum cordatos & eruditos viros meliora suggerentes lubenter audire, & citra pertinaciam prius placita emendare sum paratus: ita flocci faciam Midæ æmulos censores, rerum ad se nihil spectantium arbitria proterve-involantes; totamque ardelionum nationem, cujus characterem lepidissime PHÆDRUS [b] repræsentat: *Eorem differentia.*

Trepida concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta, & aliis odiosissima.

1. Primum igitur discrimen, quo istæ Disciplinæ invicem separantur, resultat ex diverso fonte, unde sua dogmata utraque derivat; de quo jamjam tetigimus. Ex quo consequitur: si aliqua sint, quæ Divinis Lite-

[b] L. ii. Fab. 5. v. 2.

ris agere aut omittere jubeamur, quorum necessitatem tamen ratio sibi relicta perspicere nequit; illa extra Jus Naturale esse, & ad Theologiam Moralem proprie spectare.

2. Præterea in Theologia Lex consideratur, prout innexam habet Divinam promissionem, & quandam rationem Fœderis inter DEUM & Homines [9]. Abs qua consideratione Jus Naturale abstrahit; quippe cum ista à peculiari Dei revelatione proficiscatur, quam sola ratio invenire nequit.

3. Illud porro discrimen longe maximum est; quod finis disciplinæ Juris Naturalis tantum ambitu hujus vitæ includatur [10]; adeoque

---

9 Vid. Exod. xix. 5. Deuter. v. 23. Confer de hac re Auctoris librum de *Jure Feciali*, in quo hoc ex professo agit, ut ostendat Religionem Revelatam habere Rationem Fœderis inter Deum & Homines.

10 Auctori id vitio dederunt nonnulli, quod finem Jurisprudentiæ Naturalis intra hujus vitæ terminos conclusit, speciatim vero Jo. JOACH. ZENTGRAFIUS in *Orig. Juris Nat.* p. 129. Alii vicissim eum de hac re vindicare aggressi sunt, v. gr. HOCHSTETTERUS in Coll. Pufend. iv. 40. & BUDDEUS in *Theol. Morali*, Proleg. ad Part. 2. § 8. De hâc controversiâ ambage verborum a nonnullis perplexâ sic judicandum esse arbitror. Juris Naturalis Præcepta non alia sunt, quam quæ humanam felicitatem in hac vita promovere possint, quæ proinde est primarius ejus finis; unde *commune bonum* a CUMBERLANDIO recte vocatur *suprema lex*. Hoc vero non obstat, quo minus Jus Naturæ vitam futuram (quatenus nobis innotescit) prospiciat, eo nimirum sensu quo sanctionem suam a Deo, præmia & pœnas hujus observationi & neglectui annectente, habeat. Finis, *ad quem* tendunt ejus præcepta, est vitæ præsentis, maxime qua socialis, felicitas; sed finis, *ob quem* obediendum, ipsa est

adeoque ea hominem formet, prout hanc vitam cum aliis sociabilem exigere debeat. Ast Theologia Moralis hominem Christianum informat, cui propositum esse debet non hanc solum vitam honeste transire, sed qui fructum pietatis post hancce vitam maxime exspectat, quique adeo πολίτευμα suum in cœlis habet, heic autem viatoris duntaxat aut peregrini instar gerit [11]. Quanquam enim animus hominis non solum ardenti cum affectu immortalitati velut immineat, suique destructionem vehementer aversetur; atque inde apud plerosque gentilium inoleverit persuasio de animæ à corpore separatæ duratione, & quod tunc bonis bene, malis male sit futurum: ejusmodi tamen circa hæc persuasio, in qua animus hominis plane & firmiter adquiescere possit, ex solo Dei verbo hauritur [12].

4. Inde & Juris Naturalis scita ad forum duntaxat humanum adaptantur, quod ultra hancce vitam sese non extendit; quæ ipsa

---

est sanctio legis, quæ non nisi ex præmiis & pœnis, maxime quæ in statu futuro expectantur, petenda est. Profecto non est dissimulandum, auctorem cum de hac re differit, vix sibi constare, vel saltem hoc in loco non satis caute verba fecisse.

[11] Vid. PAUL. ad Philipp. iii. 20.

[12] Etsi verissimum est viam certam & tutam, quâ ad æternam felicitatem pervenire possumus, non nisi Revelationis lumine nobis esse patefactam; quoniam scil. nimis apertè constat neminem leges divinas, ut decuit & potuit, observâsse: attamen statum aliquem, in quo bonis bene, malis male futurum sit, rationis ope colligi posse, si quid saltem valeat maxima verisimilitudo, ipse, ni fallor, ostendi in not. ad libr. 1. c. 4. § 8.

multis in partibus prave ad forum divinum adplicantur, circa quod Theologiæ maxime curæ est.

5. Ex quo & illud fluit, ut, quia forum humanum circa externas tantum hominis actiones occupatur, ad ea autem, quæ intra pectus latitant, nec aliquem effectum aut signum foras produnt, non penetret; adeoque nec circa eadem sit solicitum; Jus quoque Naturale magnam partem [13] circa formandas hominis exteriores actiones versetur. Ast Theologiæ Morali non sufficit exteriores hominis mores utcunque ad decus composuisse; sed in eo maxime laborat, ut animus, ejusque motus interni ad placitum Numinis fingantur: & illas ipsas actiones improbat, quæ extrinsecus quidem recte se videntur habere, ab animo tamen impuro promanant. Quæ ratio etiam videtur, quare in divinis Libris haut ita frequenter agatur de illis actionibus, quæ pœnis fori humani sunt sancitæ, aut circa quas ibidem jus dicitur: quam de illis, quæ uti [14] SENECA loquitur, sunt *extra publicas tabulas*; uti manifeste adparet iis, qui præcepta & virtutes ibidem inculcatas accurate inspexerit. Etsi cum & illæ ipsæ virtutes

[13] Hinc patet auctorem non *omni ex parte* excludere internum mentis habitum, uti criminatus est *Leibnitzius* in Epistola quadam ad *Pufendorfium*.

[14] Locus occurrit in lib. ii. *de Ira*, c. 27. *Quam angusta est innocentia ad legem bonum esse? Quanto latius officiorum patet quam juris regula? Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas Tabulas sunt?*

Christi-

Christianæ animos hominum ad socialitatem quam maxime disponant, Theologia quoque Moralis [15] honestatem vitæ civilis efficacissime promoveat. Uti & vice versa, si aliquem videas qui turbulentum & importunum vitæ civilis membrum se gerat; tuto judices licet, Religionem Christianam intra labra tantum ipsi hærere, cor nondum penetrasse. Atque ex hisce non solum genuini limites, qui Jus Naturale, prout à nobis illud traditur, à Theologia Morali separant, manifeste puto adparent: sed etiam quod Jus Naturale nequaquam dogmatibus veræ Theologiæ repugnat; sed tantum a quibusdam ejus dogmatibus, quæ per solam rationem investigari nequeunt [16], abstrahat.

VI. Unde & illud patet, necessarium esse, ut in disciplina Juris Naturalis homo consideretur, prout ipsius natura est corrupta, adeoque prout est animal multis pravis cupidinibus scatens [17]. Nam etsi nemo tam stupidus sit,

Homines esse natura corruptos.

---

[15] V. Auctoris Differt. Acad. IV. de Systen. Civit. § 7. & IX. de Concordia veræ Polit. cum Religione Christiana.

[16] Hujusmodi sunt officia quædam erga Deum, Hominem & nosmetipsos. V. G. Ut colamus Patrem, Filium & Spiritum Sanctum; ut erga inimicos amice nos geramus; denique ut nosmetipsos abnegemus; quæ omnia vel supra rationem posita sunt, vel saltem in naturali gentium Religione locum non invenerunt.

[17] Sunt, qui hanc nostri doctrinam insimulant, quasi S. S. literis minus consentaneam; sed nescio quo jure. Volunt utique Juris Naturæ normam ad purum & integrum hominis statum accommodatam esse; volunt ideale quiddam

sit quin in seipso inordinatos ac in devia tendentes affectus deprehendat [18], tamen nisi Divinæ Literæ prælucerent, nemini jam constare posset, istam affectuum rebellionem per culpam primi hominis provenisse. Et consequenter cum Jus Naturale ad ea non abeat, quo ratio pertingere nequit; incongruum foret, idem ex natura hominis integra velle deducere. Præsertim cum & pleraque præcepta ipsius Decalogi, prout verbis negativis concepta sunt, naturam hominis corruptam manifeste præsupponant. Sic v. g. *primum præceptum* utique præsupponere videtur hominem ad idololatriam & πολυθεότητα credendam proclivem. Si enim ponas hominem, integra adhuc natura præditum, in quo liquida DEI

---

quiddam & a vero hominum statu prorsus alienum. Sed cui usui inserviet lex ista hypothetica? Vel quid magis rationi congruum, quam ut lex hominibus designata ex natura humana, qualis qualis sit, petita esset? Attamen vix edito opere majore male audiebat noster, quasi multùm detraxerit dignitati Juris Naturæ. Sic VAL. ALBERTI *jus naturæ pertinere ad reliquias imaginis divinæ & à Christiano Philosopho ex notitiâ de statu integritatis hodie post Lapsum exquisitâ tradi debere contendit, in Præf. ad compendium Juris Naturæ orthodoxum*, p. 3. iterumq; cap. 1. § 14. *Fons*, inquit, *è quo à Christianis pura Juris Naturalis notitia hauriri potest & debet; est orthodoxa doctrina de statu integritatis, cujus notitia non ex ratione, sed relatione aut revelatione hauriri potest*. Quibus in locis id magis laborasse videtur auctor, ut quo Jure quave Injuria se orthodoxum profiteatur, quam ut veritatem investiget. Huic respondet noster in *Postscr. ad Apol.* § 28. *Specim. Controvers*, c. 4. *Comment. ad Veneris Lips. pullum*, p. 37. *Er. Scand.* p. 354.

[18] V. *Specimen Controversiarum* c. 1. § 2.

erat

erat cognitio, & qui subinde velut familiari ejus revelatione fruebatur, non video, quomodo tali in mentem venire potuerit, aliquid sibi fingere, quod loco veri DEI aut cum eo colere vellet; aut credere in eo Numen inesse, quod ipse finxerat. Igitur huic opus non erat verbis negativis injungi, *Ne deos alienos coleret:* sed sufficiebat eidem simplex & affirmativum præceptum; *Diliges, honorabis, & coles Deum*, quem Universi hujus, & tuum quoque Creatorem nosti. Idem circa *Secundum præceptum* obtinet. Nam quare negativo præcepto vetaretur Deum blasphemare, qui liquido ipsius majestatem & beneficia intelligebat, & quem nullæ pravæ cupidines agitabant, cujusque animus statu sibi à Deo assignato placide adquiescebat? Quomodo hunc tanta insania subire poterat? Quin hic affirmativo tantum præcepto monendus erat, ut nomen Dei glorificaret. Aliter tamen dicendum videtur de *Tertio*, ut & *Quarto præcepto:* quæ cum affirmativa sint, neque necessario corruptam naturam præsupponant, in utroque statu locum invenire possunt. Sed circa *reliqua præcepta*, proximum spectantia, res æque est manifestissima. Homini enim, qualis initio a Deo conditus erat, sufficiebat simpliciter injunxisse, ut proximum suum diligeret; ad quod & natura proclivis erat. Ast quomodo eidem poterat præcipi, ne occideret; quando nondum mors cadebat in hominem, quæ per peccatum in mundum introivit? Verum nunc negativo præcepto quam maxime opus est, ubi pro dilectione tanta odia inter

homines

homines grassantur, ut etiam magna eorum seges detur, qui ex mera invidia, aut libidine alterius fortunam invadendi, alios non innocentes solum, sed & amicos, & de ipsis bene meritos subversum ire non dubitent; & quidem ut horridum & inconsultum turbulenti animi impetum sub conscientiæ vocabulo, si diis placet, venditare non erubescant. Sic quid opus erat expresse adulteria vetare inter eos conjuges, qui tam ardenti & sincero amore sese amplecterentur? Aut quid furta vetare intererat, cum nulla penuria foret, & nemo quid sibi proprium putaret, quo alteri prodesse posset? Aut quid necessum erat falsa testimonia interdicere, cum nondum existerent, qui exinde famam sibi atque gloriam aucuparentur, si alterum fœda atque inficeta calumnia adspergere possent? Sic ut non inepte huc adplicaveris illud TACITI [17]; *Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coercitionibus agebant* [18]: *& ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.*

Num Lex sit eadem in statu integro ac corrupto?

VII. Atque hæc ipsa probe intellecta viam pandere possunt ad amovendam eam dubitationem; num igitur *Lex diversa* [19] *fuerit in statu*

[17] Annal. l. iii. c. 26. Huc etiam spectat illud *Ovid.* 1 Met. 89.

Aurea prima sata est ætas, &c.

[18] Hic omittuntur verba, quæ in loco citato occurrunt: *Neque præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur.*

[19] Quæstio est sæpius versata, utrum *Jus Naturæ in statu integro idem sit ac in corrupto?* Partem affirmativam

ſtatu naturæ integræ, an vero eadem? Ubi paucis reſponderi poteſt; Summa Legis capita in utroque ſtatu eſſe eadem: ſed multa præcepta particularia, propter diverſitatem conditionis humanæ, variare; Seu potius, eandem ſummam Legis per diverſa, (non tamen contraria) præcepta ſeſe explicare, prout diverſo ſeſe modo habuit homo, cui illa Lex obſervanda. Summam Legis Salvator noſter ad duo capita redegit; *Dilige Deum*, & *Dilige proximum*. Ad hæc capita referri poteſt univerſa Lex Naturalis, tam in integro quam in corrupto ſtatu hominum; (niſi quod in ſtatu integro nullum aut modicum videatur diſcrimen fuiſſe inter Jus Naturale, & Theologiam Moralem.) Nam & ſocialitas, quam nos pro fundamento Juri Naturali ſubſtravimus, commode in dilectionem proximi reſolvi poteſt. Sed quando ad præcepta particularia deſcenditur, ſane diſcrimen non leve emergit tam circa præcepta affirmativa, quam negativa. Et quidem affirmativa præcepta

---

vam defendunt contra noſtrum ALBERTUS, SECKENDORFIUS, & alii. Neque multum diſtare videtur horum Hypotheſis a recentiorum quorundam Religioni revelatæ oppugnantium dogmate, qui jus naturæ perfectum eſſe docent, & Religionem veram omnibus eſſe unam eandemque. Sed in his tota lis dijudicatur. 1. Finem generalem omnis veræ Religionis (ſit naturalis an revelata, ſit in ſtatu integro an corrupto) eſſe eundem, nimirum *dilige Deum, & dilige proximum*. 2. Media ad hunc finem neceſſaria, *i. e.* particularia præcepta uti ſatis probavit noſter, eſſe in diverſis diverſa, non autem contraria.

quod

quod attinet, eorum non pauca jam in isthoc statu dantur, quibus in primævo statu locus non fuisse videtur: idque partim quia illa præsupponunt tale institutum, quod an in felicissimam hominum conditionem cadat, non constat; partim quia sine miseria & morte, quæ ab illo statu exulabat, non intelliguntur. V. G. Jam inter præcepta Legis Naturalis est, ne quis alterum in emtione & venditione decipiat [21]; ne falsa ulna, mensura, aut pondere utatur; ut pecuniam creditam convento tempore restituat. Ast illud nondum ad liquidum est perductum, an si peccati expers genus humanum perstitisset, ejusmodi commercia, qualia nunc agitantur, exercenda fuerint, & an aliquis usus pecuniæ tunc futurus fuerit. Sic si tales civitates, quales nunc sunt, in statu innocentiæ locum non habuerunt; locus quoque ibidem non fuit præceptis, quæ id genus civitatum, iisque contentum imperium præsupponunt. Jam quoque Jure Naturali jubemur succurrere egenis, subvenire iniqua calamitate oppressis, curam habere viduarum, orphanorumque. Atqui hæc frustra præcipiuntur iis, qui miseriæ, egestati, mortique non sunt obnoxii. Ad condonandas injurias, pacemque conciliandam pronos esse nos jam jubet Lex Naturalis. Quæ frustranea est inter eos, qui in leges socialitatis non

[21] *Ne quis alterum in emtione & venditione decipiat; ne falsâ ulnâ, mensura aut pondere utatur*] Hæc verba sic immutavit WEBERUS (ut in emtione & venditione bona fide agamus, ut recte ulnâ, mensurâ, aut pondere utamur) eâ scil. mente, ut præcepta sint affirmativa.

peccant-

peccant. Atque id ipsum manifeste quoque perspicitur in præceptis negativis, ad Jus jam Naturale (non positivum) spectantibus. Etsi enim quodvis præceptum affirmativum virtualiter contineat interdictum omnis oppositi; (V. G. qui jubetur diligere proximum eo ipso vetatur inferre illi omnia, quæ dilectioni repugnant:) tamen ut expressis præceptis illa sanciantur, superfluum videtur, ubi nullæ pravæ cupidines ad talia patranda propellunt. Ad quod illustrandum accommodari potest, quod SOLON [22] parricidarum pœnam lege publica sancire noluit, quod tantum scelus in aliquem filium cadere non arbitraretur. Cui simile est, quod FRANC. LOPEZ *de Gomara, Hist. Gent. Ind. occident.* Cap. 207. refert de populis *Nicaraguæ*, apud illos nullam fuisse statutam pœnam in eum, qui regulum (*Cacique* ipsi vocant) occidisset; quod nullus, aiebant, sit subditus, qui excogitare aut patrare tam dirum facinus velit.

VIII. Vereor ne putidum videatur isthæc tam aperta pluribus inculcare. Ad tironum tamen captum hoc exempli addam. Sunt alicujus informationi commissi duo pueri, sed dispari plane indole. Unus modestus est, verecundusque, & magno literarum amore flagrans. Alter dissolutus, petulans, fœdas potius libidines, quam libros amat. Summa officii utrique eadem, literas addiscere. Sed peculiaria præcepta disparia. Priori enim sufficit injunxisse, quæ studia, quo tempore, *Illustratio per Exemplum.*

[22] V. *Diog. Laert.* in Vita SOLONIS, l. I. n. 5. *Cicer.* pro Roscio Am. c. 25.

quave

quave ratione tractare debeat. Alteri præter hæc acerrima ſub comminatione vetandum, ne circumcurſitet, ne alea ludat, ne libros vendat, ne in exercitiis componendis aliena vitula aret, ne pergræcetur, ne ſcorta conſectetur. Eadem ſi quis prioris indolis puero operoſe declamare inſtituat, hic εὐφημεῖν ipſum jubebit, & cuivis potius quam iſta ſibi canere, qui talium nulla cupidine tangatur.

Concluſio. IX. Ex quo manifeſtum arbitror eſſe, longe aliam fore Juris Naturalis faciem, ſi quis ſtatum hominis integrum velit præſupponere. Simulque, cum tam liquido limites hujus *Diſ*ciplinæ, quibus a Theologia Morali ſejungitur, deſignati ſint; non deteriore hancce diſciplinam conditione futuram, quam Juriſprudentiam Civilem, Medicinam, Scientiam Naturalem, aut Matheſin; in quas ſi aliquis ἀμύητος irrumpere audeat, ſine populi ſuffragiis cenſuram ſibi vindicans, non dubitant ipſi occinere, quod quondam APELLES MEGABYZO, de arte pictoria neſcio quid diſſerere aggredienti: *Quæſo*, aiebat, *tace*, *ne pueri*, *qui melidem terunt* [21], *te irrideant*, *loqui orſum de rebus*, *quas non didiciſti* [22]. Sed cum bonis quidem, cordatiſque viris facile nobis conveniet. Malevolos autem, ineruditoſq; obtrectatores ſatius fuerit invidiæ ſuæ excruciandos commendare; ſiquidem utique conſtat, æterna poſitumq; lege eſt, ut *Æthiops cutem non mutet.*

[21] i. e. colores in pictoris uſum conterunt.

[22] V. *Ælian.* Hiſt. Var. l. xi. c. 2. De *Zeuxi*, non de *Apelle* traditur, teſte BARBEYRAC.

DE



DE OFFICIO HOMINIS & CIVIS[1]

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Actione Humana.

I. OFFICIUM nobis heic vocatur, *Actio hominis pro ratione obligationis ad præscriptum legum recte attemperata.* *Officium, qualis hominis actio?*

[1] Respondet hic Titulus alteri, quem majori operi inscripsit auctor, De Jure Naturæ et Gentium. Hoc peculiare est, atque hominem spectat, quatenus in *civitate* degit, & legibus adventitiis subjicitur; illud universale, atque hominem attingit, quatenus statu *naturali* utitur, abstrahendo omne illud, quod *civili* proprium est. Hinc Officium Hominis et Civis omnia complectitur, quæ Jus Naturæ et Gentium jubet: nihil linquit intactum, quod utriusvis nomine obligare possit. Hujus verò locutionis genus est πολύσημον & auctoribus diversis diversa ejus significatio. Justinianus id vocat jus naturale, *quod natura omnia animalia docuit*; jus gentium, *quod naturalis ratio inter omnes homines constituit*; jus civile, *quod quisque populus sibi jus constituit.* Instit. Lib. I. Tit. 2. Grotius jus naturale definivit *dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem*; jus gentium, *quod gentium om-*

 nium

Cap. I. *temperata* [a]. Ad quod intelligendum, necessarium est præmittere tum de natura Actionis humanæ, tum de Legibus in universum.

Est actio humana non quævis; II. Per *Humanam Actionem* [3] intelligimus non quemvis motum a facultatibus hominis procedentem; sed illum duntaxat, qui provenit ac dirigitur ab iis facultatibus, quas humano generi præ brutis Creator O. M. attribuit; nempe qui velut prælucente *Intellectu*, ac decernente *Voluntate* suscipitur.

L. I. c. 3. § 1.

Sed ab intelligente & volente suscepta. III. Datum quippe est homini, ut non solum varias res, quæ in hoc universo occurrunt,

---

nium aut multarum voluntate vim obligandi accepit; JUS CIVILE, quod à *potestate civili* proficiscitur. *De Jure Belli & Pacis*, L. I. cap. i. §. 10, 14. Noster tale jus gentium à jure naturæ distinctum non agnoscit, quippe homines sint naturâ æquales, & dari non possit lex universalis, nisi quæ ad jus naturæ immutabile pertineat. Vid. *De Jure Nat. & Gent.* Lib. II. c. iii. §. 23. Sed Jus naturale denominationem *Juris gentium* sortitur, quando genti cum gente, nationi cum natione intercedit, licèt in suo formali non differat a Jure naturali, quale est jus legatorum.

[2] OFFICII nomen consentit cum græco τὸ καθῆκον. Sic CICERO *ad Attic.* XVI. 11. *Quod de Inscriptione quæris, non dubito, quin τὸ καθῆκον* OFFICIUM *sit.* Definivit idem *de Finib.* III. 17. *Quod ratione actum sit, id* OFFICIUM *appellamus.* Ad hunc locum recte notat BARBEYRACCIUS definitionem nimis generalem & vagam esse. Versatur ratio circa omnia ad humanam vitam spectantia, utut adiaphora esse possint, & nihil habeant cum rebus moralibus commune. Qui sibi finem aliquem proponit, neque modis ad eum assequendum necessariis utitur, is rationis præscripto adversatur; si vero nulla ei *necessitas* [moralis] incumbit rem propositam

runt, possit cognoscere, eas inter se conferre, & harum occasione novas sibi notiones formare [4]: sed ut etiam possit prospicere, quid acturus sit, ac ad id exsequendum sese movere, idemque ad certam normam, certumq; finem conformare, & quid inde proventurum sit, colligere; quin & quæ peracta jam sunt, an ad regulam congruant, judicare [5]: Sed nec omnes hominis facultates sese perpetuo, aut modo uniformi movent: verum aliquæ istarum intrinseco hominis impulsu excitantur, excitatæque temperantur, & diriguntur. Denique nec in omnia objecta promiscue homo Cap. 1. c. 1. § 2.

tam exequendi, non *peccat*, nihil *inhonestum* commeretur, vel quod pœnam poscat. Itaque rectiùs noster, qui in officio definiendo ad *legum* præscriptum rationem habet. Vid, infra. cap. ii. § 3.

[3] Actio *humana* est, quam scientes volentes suscipimus; sicuti distinguitur ab actione (si ita loqui liceat) *necessaria*, quales sunt motus cordis, perceptio sensuum, &c. Actio *moralis* sensum minùs latum obtinere solet; ad eamque constituendam requiritur, ut ad legem moralem referatur. Illa adiaphora esse potest, hæc nequit non esse vel bona vel mala. . . . . Porro notandum est vocabulum *Actionis* hoc in loco complecti omissionem, juxta illud Senec. Epist. 95. *Omnia, quæ præstanda sunt ac vitanda, formula humani officii includit.*

[4] Nimirum *perceptione, comparatione*, aliisque operationibus, quas mens in Ideas exercere solet. V. Locke *de Intell. Humano*. L. ii. c. 9, 11.

[5] Similiter Cicero. " Homo quod rationis est " particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum " videt, earumq; progressus & quasi antecessiones non " ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus " adjungit atq; adnectit futuras, facilè totius vitæ cur- " sum videt, ad eamq; degendam præparat res neces- " sarias. *De Offic.* I. 4.

Cap. I. fertur, sed quædam adpetit, quædam aversatur [6]. Sæpe quoque licet objectum agendi adsit, motum suspendit; & pluribus objectis præsentibus unum eligit, cætera respuit.

Intellectus hominis Officii conscius.

IV. Circa facultatem ergo comprehendendi & dijudicandi res, quæ *Intellectus* [7] vocabulo venit, id ante omnia pro certo habendum est; cuilibet homini matura ætate & mente integra tantum superesse naturalis velut luminis,

c. 3. §. 5.

---

6 Intelligit voluntatem, quæ facultas est eligendi, respuendi, vel suspendendi. Vid. nos infra, ad § 9.

7 Ad hunc locum notat Barbeyraccius auctorem duas mentis facultates inter se commiscere. Voluit nimirum cum *Cartesianis* judicium ad *voluntatem* pertinere: Pufendorfium vicissim tuetur Treverus, qui illud ad *intellectum* referat. Si quid ego in hâc causâ judico, sic statuendum est. Judicium duplici modo sumitur; vel perceptionem convenientiæ aut discrepantiæ Idearum denotat, vel ipsum animi assensum, quo rationibus acquiescit. In priori sensu ad Intellectum pertinet, quatenus non aliud est quam *perceptio*, quæ necessariò est id quod est. Quod percipimus, id revera percipimus, idq; certo modo pro circumstantiis datis, nempe facultatibus nostris, Phænomenis rerum, &c, quæ necessariæ sunt, & a nobis non pendent. Quod si *assensum* animi denotat (quo modo intellexit Barbeyraccius idq; summo jure) certo certius ad *voluntatem* referri debet. Nam 1. dari potest Judicium vel Assensus, & sæpissimè datur, ubi non datur perceptio; quod errorum nostrorum præcipuus est fons. 2. Si quando sibi sint comites Perceptio & Assensus, non tamen unum idemq; sunt, nec inter se commisceri aut confundi debent. Ideo assensum præbemus, quoniam rem hoc vel illo modo se habere percipimus. Præit perceptio, sequitur assensus; illa est causa, hic effectus. 3. Hinc planè discernitur à *perceptione*; cùm autem omnes mentis actus ad perceptionem &

luminis, ut adhibita cultura, ac debita meditatione, possit recte comprehendere saltem generalia illa præcepta & principia, quæ ad vitam hancce honeste & tranquille exigendum faciunt: simulque judicare, ista utique indoli humanæ congruere [8]. Hoc enim nisi, saltem intra sphæram fori humani, admittatur, quibusvis suis delictis homines ignorantiam invincibilem obtendere possent: cum nemo in foro

---

& volitionem, omnesq; ejus facultates ad intellectum & voluntatem, referri debent; *Judicium*, quod à perceptione distinctum esse liquet, non potest non ad voluntatem pertinere. 4. Ad argumentum, quo probare aggrediuntur nonnulli judicium ad intellectum referri debere, ex eo quod nequit vel cogi vel cohiberi, facile est responsum, *viz.* non esse necessarium, nisi cùm prius detur clara perceptio; eâ verò datâ, judicium nihilominus à perceptione distinctum esse, ideoque voluntarium etsi necessarium: uti voluntati adscribendum est hominem eligere quod sibi arridet, etsi non potest non eligere.

[8] Per lumen naturale non intelligit cognitionem quamvis innatam vel mentibus humanis a natura insitam, de qua somniarunt veteres quidam Philosophi, sed facultates mentis, quæ si rite colantur, homines ad veritatem recta via perducere possunt. Neque tamen omnes omnium facultates æquali vi gaudent, neque iis, qui præstantissimis utantur, ad omnes veritates patebit aditus. Id solum sibi voluit auctor, talem esse naturalem intellectûs rectitudinem, & præcepta quædam generalia tam in aperto jacere, ut nemo, nisi per se steterit, ea ignorare possit, vel in errores *fundamentales* (ut loquuntur Theologi) dilabi. Huc pertinet, quod nos docet Seneca *de benef.* L. 7. c. 1. *Quicquid nos meliores beatosque facit, aut in aperto aut in proximo locavit natura.* Et Paul. *ad Rom.* II. 15. *Gentes quæ legem non habent, sibi ipsis sunt lex, quippe ostendunt opus legis in cordibus suis inscriptum.*

Cap. 1. humano argui possit violasse regulam, quam capere supra ipsius vires est.

Conscientia recta, & probabilis. c. 3. § 6. V. Intellectus hominis, quando de eo, quod agendum vel omittendum est, recte informatus fuerit, & quidem ita, ut sententiæ suæ certas & indubias rationes norit reddere, solet vocari *Conscientia Recta* 9. Sed ubi quis veram quidem sententiam circa agenda vel omittenda fovet, quam tamen ipse per rationes demonstrare nequeat, sed eandem ex vitæ civilis tenore, ex assuetudine, aut superiorum auctoritate hauserit, neque tamen ipsi suppetat ratio,

---

9 Perfunctoriè nimis hunc locum tractavit noster, adeoque facile nobis ignoscet lector, si rem paulo penitius perscrutemur. 1. Supplenda est definitio *Conscientiæ*, quam auctor omisit. Conscientia *est Judicium de morali actionum naturâ factum, approbans quod nobis videtur normæ morali consonum, & damnans quod huic contrarium existimatur.* Actiones ipsas modo antecedit, modò consequitur, unde vel *antecedens*, vel *consequens* appellatur. 2. Sedulò advertendum est, ne quid naturæ nimis tribuatur in hac re, ut sæpe fieri solitum est. Sunt, qui docent conscientiam quandam esse facultatem naturalem, a ratione discernendam, a Deo hominum mentibus insitam, quam recti & obliqui indicem esse voluit, & vicem judicis vindicisque in animo sustinere. Sic Sandersonus conscientiam vocat *habitum innatum. Prælect.* i. p. 16. Hoc autem ab omni vera Philosophia prorsus alienum videtur, ut cuivis facilè patebit. Sit enim conscientia, vel ipsa ratio de natura actionis morali judicium ferens, vel ipsum judicium immediate & sine ullo ratiocinandi actu elicitum, supposito duntaxat actionis apprehensione. In *priori* sensu conscientia non magis innata est & naturalis quam ipsa ratio, quæ tamen sine institutionis & culturæ adminiculo pro nihilo habenda est. In *posteriori* verò, quod immediatum videtur &

ratio, quæ contrarium magis perſuadeat, ſolet vocari *Conſcientia Probabilis*. Qua maxima pars mortalium regitur: quippe cum paucis rerum cognoſcere cauſas conceſſum ſit. Cap. 1.

VI. Solet tamen quibuſdam non raro evenire, circa caſus potiſſimum ſingulares, ut ex utraque parte ſeſe offerant rationes; nec illi ita polleant judicio, ut, utræ præponderent, liquido diſcernere queant. Id quod vocari ſuevit *Conſcientia Dubia*. De qua hæc eſt regula: *quamdiu in ancipiti hæret judicium, bonum quid*

Etiam dubia ſuſpendens actionem. c. 3. § 8.

& ſine ratiocinio elicitum, reverà effecit vel prævia inſtitutio, vel interna animi meditatio, vel aliorum auctoritas, vel alia ejuſmodi, quibus ſubjicitur non ſolum approbandi & averſandi, ſed & (quod plerumque fit) judicandi ratio. Mens humana eſt ad omnia habilis & idonea, accedente uſu & inſtitutione; unde variæ ſunt hominum approbationes & averſationes, varias formas induunt facultates mentis, quas vulgus hominum & minorum gentium Philoſophi pro naturalibus habere ſolent. 3. Cavendum eſt ab iſtorum hominum errore, qui conſcientiam in genere pro ſuprema actionum norma conſtituunt, cujus dictamina qui ex animo ſincero & ſine fuco ſequitur, criminis eſt expers, & tuto in portu navigat. Plura (ut opinor) humani generis peccata à ſupinâ negligentiâ & ignorantiâ voluntariâ quàm à pravâ peccandi libidine contra immediatum conſcientiæ lumen originem ducunt. Conſcientia actionum immediata norma eſſe debet; cauſa eſt *ſine qua non* (ut logicè loquamur) moralis actionum rectitudinis; adeo ut qui contra conſcientiam agit, pro certo peccet; ſed non exinde ſequitur eum peccati immunem eſſe, qui ex conſcientiæ dictatis crimen admittat. 4. Denique notandum eſſe velim, auctoris diſtributionem conſcientiæ in ſuas ſpecies haud ritè inſtitui; nam *recta* opponi debet *erroneæ*, & *certa probabili.*

Cap. I. *ſit, an malum, actio erit ſuſpendenda* [10]. Nam nondum diſcuſſa dubitatione, ad agendum ſeſe determinare, propoſitum peccandi, aut ſaltem neglectum legis involvit [11].

Error vincibilis, invincibilis, quis, & in quibus?

VII. Sæpe etiam intellectus hominis pro vero falſum adprehendit, & tunc in *Errore* verſari dicitur [12]. Qui error *Vincibilis* ſolet adpellari, quando quis adhibita attentione & diligentia debita cavere poterat, ne in eum

c. 3. § 11. incideret. *Invincibilis* autem, quando quis etiam adhibita omni diligentia, quam vitæ communis ratio fert, iſtum evitare non poterat. Qualis error tamen ſaltem inter eos, queis rationis lumen excolere, & vitam ad honeſ-

---

[10] Ratio eſt, quoniam in re dubiâ tutior pars ſemper eligi debet. V. G. Si Chriſtianus in incerto hæreat, utrum ſanguinem edere ſit licitum necne, omnino ab eſu abſtinendum eſt, quoniam abſtinentia pro certo licita eſt, incertum vero, utrum eſus ſit licitus. *Quod dubitas ne feceris*, regula eſt tam ſacris literis quam veterum Philoſophorum ſcriptis conſentanea. Vid. PAUL. ad *Rom.* xiv. 23. CIC. *de Offic.* i. 9. PLIN. *Epiſt.* i. 18. Nec militis dubitantis de juſtitia belli exemplum, quod adducit GROTIUS, huic regulæ contradicit; nam tutior pars eſt mandato Principis obtemperare, cui parendum eſſe in re dubia nulla eſt dubitandi ratio. Vid. GROTIUM *de Jure B. & P.* L. ii. c. 26. §. 4. PUF. *de Jure Nat. & Gent.* L. i. c. 3. §. 8. & L. viii. c. i. §. 8. SANDERSON *de Obligat. Conſcient.* Præl. vi. §. 17. TAYLOR *Ductor Dubitantium*, L. i. c. 5. p. 184.

[11] Si conſcientia fruſtra & ineptè dubitat, vocatur *ſcrupuloſa*. De Jure Nat. & Gent. l. i. c. 3. §. 9.

[12] Conſcientia erronea, quæ hìc innuitur, eſt perceptio relationis inter actiones noſtraſq; de norma morali ſententias erroneas. Reminiſcimur erroris practici vel

honeſtatem componere cordi eſt, non circa communia vivendi præcepta, ſed duntaxat circa ſingularia negotia incidere ſuevit. Nam & naturalis juris præcepta generalia plana ſunt: & qui leges poſitivas fert, id ante omnia agere ſolet & debet, ut illæ ſubjectis innoteſcant. Unde citra ſupinam negligentiam heic error non naſcitur. Sed in ſingularibus negotiis facile eſt, ut error invito & præter culpam obrepat circa objectum, aliaſque actionis circumſtantias [13].

Cap. I.

Ignorantia intellectus varia.

VIII. Ubi vero ſimpliciter cognitio abeſt, vocatur *Ignorantia* [14]. Quæ duplici modo conſi-

vel præjudicii vulgaris tanquam normæ vivendi, quæ apud nos auctoritatem legis obtinuit: ad illam referimus noſtras actiones. Perceptio vero iſta ſive conſcientia non eſt erronea in ſe, ſed ita dicitur propter effectum & objectum ſuum, quod eſt error. Veram enim adipiſcimur notionem relationis: verè eam percipimus actionem cum regula comparandam, ſive regula vera ſit aut falſa. *Etiamſi* (monente Lockio *de Int. Hum.* L. 2. c. 28. § 20.) *haud recta ſit norma, & quod ad eam attinet verſer in errore, convenientia tamen & repugnantia rerum cum illa comparatarum mihi manifeſtiſſima ſunt: atq; in hoc relationis notio conſiſtit. Per falſam vero regulam rem menſurans de morali ejus Rectitudine falſum judicium laturus ſum, quoniam eam ad regulam haud veram exegi: haud vero erro circa actionis iſtius relationem ad regulam, cui à me comparatur, quæ convenientia eſt, aut repugnantia.* Treverus.

[13] Quales ſunt modus, intentio, inſtrumentum aut qualitas actionis. Vid. Barbeyrac. *ad loc.*

[14] Neſcio an juſta ſit, ſed pro certo obſcuritate laborat auctoris Doctrina de variis ignorantiæ ſpeciebus. Forſan præferenda ſit hæc triplex diviſio, quam Titio acceptam referimus. 1. Ratione *Objecti* in ignorantiam juris

Cap. I. consideratur; uno, prout ad actionem aliquid confert; altero, prout invito, aut non citra culpam, oborta fuit. Priori respectu ignorantia solet dividi in *Efficacem* & *Concomitantem* [15]. Illa est, quæ si abfuisset, præsens actio non fuisset suscepta: Hæc est, quæ licet abfuisset, nihilominus actio suscepta fuisset. Posteriori respectu ignorantia est *Voluntaria*, vel *Involuntaria*. Illa est, quam quis vel ultro affectavit, rejectis veri cognoscendi mediis; vel debita diligentia non adhibita, obrepere sibi passus est. Hæc est, quando quis ignorat, quæ nec scire poterat, nec

c. 3. § 10.

juris & facti. 2. Ratione *Effectûs* in efficacem & concomitantem. 3. Ratione *Consensûs* in voluntariam & involuntariam. Sed quoad moralem actionis naturam tota res (ut mihi videtur) in eo expedita est, quod ignorantia sit vincibilis aut invincibilis, sive voluntaria aut involuntaria. Hoc in loco nos monet Barbeyraccius, errorem & ignorantiam fere semper misceri, sive tamen jungantur sive separentur, eos quoad imputationem eundem parere effectum, easdem sequi regulas.

[15] *Efficax* dicitur, quæ efficit ut actio fiat quæ alias non facta fuisset, nisi adfuisset illa ignorantia: *Concomitans*, quam nihil ad actionem contulisse, sed eam saltem comitatam fuisse credunt, quod, licèt ignorantia abfuisset, actio tamen fuisset suscepta. Lehmannus. Ignorantiam efficacem rectiùs vocari *essentialem*, & concomitantem *accidentalem* hìc observat Barbeyraccius, duoque addit exempla, quibus res illustretur. Uxorem aliquis ducat, quam innuptam esse credit, vel nescit maritum ejus adhuc in vivis esse. Ecce ignorantiam, quæ ipsam rei naturam spectat, ideoque *essentialis* est. Si nihil occurrat, quod ei suspicionem moveat eam alteri nuptam esse, & de hac re, quantum par fuit, inquirit, criminis prorsus absolvitur: sin vero ulla

nec tenebatur [16]. Et hæc iterum *duplex* eſt Vel enim quis in præſens quidem ignorantiam exuere non potuit, ut tamen in culpa ſit, quare in tali ſtatu verſetur [17]: Vel non ſolum in præſens ignorantiam vincere nequit, ſed & in culpa non eſt, quare ad talem conditionem ſit devolutus [18].

Cap. 1.

Voluntaria actio ſpontanea eſt & libera.

IX. Altera facultas, quæ in homine præ brutis peculiariter cernitur, *Voluntas* vocatur; per quam velut intrinſeco impulſu ad agendum ſeſe homo movet, & eligit quod ſibi maxime arridet, averſatur, quod ſibi non convenire videtur [19]. Habet igitur homo a voluntate,

c. 4. § 1.

ulla licet minima oriatur ſuſpicio eam, quam ducturus eſt, revera eſſe alterius uxorem, vel ſi non operam det ut ſe de hac re certiorem reddat, Ignorantiæ rationi reddendæ obnoxius eſt, ut ut animus ab ejuſmodi conjugio, ſi eam alius fuiſſe viri pro certo ſciret, longe abhorreret. Ecce vero exemplum ignorantiæ *accidentalis*. Hominem, quem neſcit, vel alium eſſe putat, quidam injuriâ afficit. Pœnam pariter meretur, ſive potuit ſcire necne cui injuriam fecerit, licet hoc cognito facere refugeret; quoniam nulli damnum inferre licuit. Barbeyrac.

16 Voluit Weberus has voces, *nec tenetur*, omitti. Sed ad idem redit, utrum omittantur necne, quoniam nemo id ſcire tenetur, quod ſciendi non datur facultas.

17 Hæc ignorantia voluntaria exiſtimari debet, quippe in cauſis ſuis vincibilis.

18 Inter omnia ignorantiæ genera, quæ memoravit auctor, hæc ſola eſt involuntaria, & reatûs immunis.

19 Etſi inter omnes convenit (niſi Atheos quoſdam excipiamus) homines libertate quadam gaudere, & ab externa omni neceſſitate immunes eſſe: attamen de natura hujuſce libertatis in diverſas admodum diſtrahuntur opiniones; quarum præcipuas, haud inutilem operam agemus, ſi breviter recenſeamus.

1. Sunt,

Cap. I. voluntate, tum ut *Sponte* agat, id eſt, ut non per intrinſecam aliquam neceſſitatem ad agendum determinetur, ſed actionis ſuæ ipſe auctor ſit; tum ut *Libere* agat, *i. e.* ut uno objecto

---

1. Sunt, qui per libertatem intelligunt poteſtatem agendi vel non agendi juxta mentis determinationem; *i. e.* libertatem aſſerunt, quatenus impulſui cuivis externo opponitur, ſed eligendi aut reſpuendi libertatem adimunt. Locke *de Intell. Hum.* L. ii. c. 21. §. 20. *Epiſt. ad* Limborch, p. 474.

2. Alii per libertatem volunt Phyſicam poteſtatem agendi & non agendi vel juxta vel citra vel contra mentis determinationem; *i. e.* libertatem homini attribuunt, quatenus omni vi tam internæ quam externæ opponitur. Clarke *Reſponſ. ad* Collins, p. 24. Jackson *Defenſ. Hum. Libert. contra* Catonis *Epiſt.* p. 99.

3. Quidam libertatem ponunt in *indifferentia* quadam ad omnia objecta; *i. e.* vim quandam activam voluntati aſcribunt, qua ſeſe determinat, ſine ratione habita vel ad anxietatem, vel ad intellectum, vel ad majus bonum, & cui non aliud præ alio natura convenit, ſed id maxime congruit, cui applicari contigerit. King *de Orig. Mali*; Cap. v. §. 1. Hanc Hypotheſin acutè defenſam (ſi modo defendi poſſit) vid. *in Notis Anglican. Verſion. ab* Edm. Law.

4. Vult Leibnitzius homines ideo gaudere libertate, quoniam ſine *ratione ſufficiente* determinare non poſſunt: Quæ *ratio ſufficiens* eſt majus apparens bonum. Cum rationes æquale habere momentum videntur, determinatio ſequi non poteſt. Quod ſi hanc hypotheſin *neceſſitatem* humanarum actionum ſecum implicare aſſeratur, reſpondet id libertati ſalvandæ ſufficere, quod ratio illa inclinet, non cogat. Vid. *Theodicea*, §. 45.

5. Qui cum auctore noſtro per voluntatem intelligunt facultatem mentis, qua bonum appetimus, & malum fugimus, ii in eo libertatem ponunt; nos, quod bonum apparet,

objecto proposito possit agere vel non agere, idemque eligere vel respuere; aut pluribus objectis propositis unum eligere, cætera respuere

Cap. 1.

---

apparet, eligere posse, quod malum, respuere, & in quibusdam circumstantiis determinationem suspendere. Non possumus non felicitatem appetere, vel miseriam aversari; id nimirum voluit auctor naturæ sibi quemque charum & proximum esse, idque, quod bonum apparet, necessario cuique placere, quod malum, displicere. Malum quà malum eligere non possumus, vel bonum quà bonum aversari: sed deliberandi & suspendendi suppetit facultas, adeo ut nunquam ad hoc vel illud eligendum cogamur, nisi cum per se & manifesto pateat (de qua re decipi nequimus) objectum propositum in causis contineri, quæ necessariò requiruntur ad nostram felicitatem. Si cui vero incidat suspicio hanc hypothesin nobis libertatem omnino adimere, ad ea quæ sequuntur animum advertat quæ mihi sufficere videntur, ut nobis libertatem vindicent. 1. Quod nunquam ad malum amplectendum cogamur. 2. Quòd deliberare in animo & suspendere possimus, nisi cùm summam nostram felicitatem in objecto contineri planissimè perspectum habemus. Eodem scil. modo se habet voluntas ad bonum & malum, ac Intellectus ad verum & falsum; & sicut assensus cogi nequit nisi à veritatibus evidentissimis, sic nec voluntas nisi a bonis certissimis. 3. Quod, si quando ex utraque parte rationes in æquilibrio ponantur, utramvis eligere possimus. 4. Quod ultimum intellectûs judicium (cujus *Electio* indivulsus est comes) magnam partem ex voluntate pendeat, ideoq; etiamsi determinatio voluntatis necessario sequatur ultimum judicium, vel (quod ad idem redit) majus apparens bonum, attamen non est in causis suis necessaria: quatenus sæpe efficere potest voluntas, ut hoc vel illo judicet intellectus, ut malum boni, bonum mali speciem induere possit. Res ipsa profecto & experientia docet, quod intellectus præcedat voluntatis determinationem. Nequit enim voluntas id appetere aut aversari, quod non ullâ cognitum ratione

Cap. I. spuere [20]. Porro cum actionum humanarum quædam propter se suscipiantur, quædam quatenus ad aliud consequendum inserviunt, *i. e.* cum quædam rationem *Finis*, quædam *Mediorum* habeant [21]; circa finem quidem ita voluntas versatur, ut eum cognitum primo adprobet, dein ad eundem consequendum efficaciter sese moveat, & velut ad eum tendat, vehementius aut remissius; eoque obtento adquiescat, placideque fruatur. Media autem primo probantur; tum quæ maxime idonea fuerint visa, eliguntur, ac demum usui adplicantur.

Ejus ratione homo actionis auctor.

X. [22] Quemadmodum autem hoc maxime nomine homo actionum suarum auctor habetur, quia ipse voluntario eas suscepit; ita circa voluntatem id cum primis observandum,

ratione menti, aut perspectum sit num bonum aut malum; juxtà effatum illud vulgare, *ignoti nulla cupido.* Attamen vicissim, voluntas determinare intellectum potest ad bonum aut malum accuratiùs examinandum & disquirendum, vel contra; imo ad objectum ea ratione considerandúm, qua id considerari volumus, ut exinde appetitus vel aversatio nostra excitari aut augeri possit. Quo vero aut quali modo voluntas intellectum dirigit, vel hac illac movet, me prorsus ignorare lubens agnosco; rem autem ita revera se habere, etsi causa lateat, experientiâ comprobatum & certissime perspectum habeo.

[20] *Sponte* fieri dicuntur, quæ sine deliberatione fiunt; ut motus manûs, dum scribo ad materiam tractatam attentus; digitorum actio, dum citharam pulso harmonia captus; *Liberè* vero, quæ cum deliberatione & scientes volentes suscipimus, & quæ vel eligere vel respuere possumus. Mens nil nisi sponte saltem agere potest, hac erepta, unà eripitur voluntas. Potest autem non libere assentiri, non libere velle. Spontaneitati invitum, libertati coactum opponitur.

ejus

ejus spontaneitatem utique asserendam esse, saltem circa illas actiones, de quibus ab homine in foro humano [23] ratio solet exigi. Ubi autem homini nihil plane spontaneitatis relinquitur, ibi non ipse homo, sed qui eidem necessitatem adfert, auctor habebitur actionis, ad quam homo invitus membra viresque suas accommodat.

Cap. I.

c. 4. §. 2.

Voluntas fertur in bonum, idque varium.

XI. Porro quanquam voluntas bonum in genere semper adpetat, & malum in [24] genere aversetur: magna tamen inter singulos homines tum adpetituum tum actionum cernitur varietas. Idque inde provenit, quod non omnia bona & mala homini velut pura adpareant, sed invicem mixta, bona malis, mala bonis [25]. Et quia diversa objecta diversas

---

[21] Sæpissime idem objectum habebit & *medii* & *finis* rationem. Felicitas est *finis ultimus* humanarum actionum; Virtus, Honor, Divitiæ, Doctrina, &c, sunt *media* ad hunc finem consequendum idonea; at finis ultimus sæpe sæpius evanescit, & media ipsa, quasi fines, persequimur. Sic ambitioso finis est Honor, avaro Divitiæ, &c.

[22] Quæ sequuntur in § 10——15. ad incitamenta, vel (ut vulgo dicitur) *motiva* omnino spectant.

[23] Non opus fuerit tanta cautela; neque Deus est injustus, ut id ab hominibus exigat, quod voluntati non subjicitur.

[24] *In genere*, i. e. bonum qua bonum, & malum qua malum.

[25] Sic avarus, si sit idem ambitiosus, cum nullis parcat sumptibus ut præ cæteris emicet, hoc pro bono habet si ambitionem consulat, pro malo si avaritiam. Hæc boni & mali mixtura ex eo profluit, quod pugnant inter se officii ratio & vitiosi affectus, ut patet ab exemplo *Medeæ* apud Poetas. Interdum quod in præsens adparet bonum

Cap. 1. versas velut partes in homine peculiariter afficiunt, *v. g.* quædam æstimationem illam quam homo de seipso habet, quædam sensus
c. 4. §. 4. ejus exteriores, quædam amorem sui, quo seipsum conservare studet: inde est, quod illa quidem homo adprehendat tanquam *Decora*, ista tanquam *Jucunda*, hæc tanquam *Utilia* [26]. Et prout quodque horum validum motum homini impressit, ita eundem quoque versus se peculiariter propendere facit. Cui accedit in plerisque hominibus ad certa quædam peculiaris inclinatio, aut a certis aversatio. Hinc fit, ut circa quamlibet fere actionem sese simul offerant species bonorum & malorum, verorum aut adparentium, ad quas solide discernandas aliis major, aliis

---

bonum, in futurum evadit malum; sic fructus gustui gratus postea ventrem excruciat. Vicissim quod in præsens malum censetur, in futurum bonum esse potest: sic medicamentum palato ingratum saluti recuperandæ inservit. Denique bonum pro malo & malum pro bono habetur, si cum majori bono vel malo respective comparetur. Barbeyrac.

[26] *Bona* vocantur, quæ voluptatem afferunt augentve, vel dolorem minuunt auferuntve; ea vero *mala* appellantur quæ dolorem sunt pariendo vel augendo, sive voluptatem auferendo vel minuendo. Amborum varia sunt genera, neque facile ad suas species referuntur. Noster bona dividit in *decora, jucunda & utilia,* Barbeyrac. in corporea & spiritualia; forsan justior erit eorum distributio juxta diversas affectiones, vel diversas percipiendi facultates, quæ plerisque mortalibus contigerunt, quarum quinque habentur classes. 1. Quæ per sensus externos introeunt. 2. Quæ sensus internos vel imaginationem percellunt. 3. Quæ honorem sequuntur. 4. Quæ benevolentiam. 5. Quæ sui approbationem.

motum

minor eſt perſpicacia [27]. Inde mirum non eſt unum ad id ferri, abs quo alter maxime abhorret. Cap. I.

Hæc quousque à peculiari ingenii diſpoſitione.

XII. Sed nec ſemper voluntas hominis circa quamlibet actionem velut in æquilibrio poſita deprenditur, ſic ut inclinatio in hanc aut illam partem unice ab impulſu ejuſdem intrinſeco poſt mature perpenſa omnia proveniat: ſed frequentiſſime per extrinſeca velut momenta verſus unam magis quam alteram partem homo propellitur. [28] Ut enim prætereamus communem illam mortalium in prava proclivitatem, cujus originem atque indolem alterius fori eſt excutere [29]; primo voluntati ſingularem quandem vergentiam

c. 4. §. 5. & Grot. L. 2. c. 20. §. 18.

---

[27] Ut de bono *reali* juſte diſcernamus, nonnihil adjumenti adferre poſſunt regulæ quæ ſequuntur. 1. Quantitas boni æſtimanda eſt ab intenſitate voluptatis ductâ in durationem. 2. Nulla habenda eſt ratio de tempore præſenti vel futuro; ſive, diſtantia valorem boni non imminuit, ſi modo certus ſit eventus. 3. Quod ſi eventus ſit tantum probabilis, imminuitur valor boni pro ratione imminutæ probabilitatis. 4. Præſens bonum negligendum, quod majus malum in futurum adferet. 5. Præſens malum negligendum, quod majus bonum in futurum adferet. 6. E duobus malis minus eligendum.

[28] Perſpectâ jam naturâ humanæ libertatis, mox ſequuntur cauſæ quæ eam vel impedire vel plane tollere ſolent. Sunt autem maximè peculiaris ingenii diſpoſitio, temperamentum corporis, conſuetudo, affectus, furor, ebrietas; quibus attribuendum eſt homines nubem pro Junone amplecti, mala pro bonis eligere.

[29] Intelligit pravos hominum affectus à primorum parentum lapſu derivatos, de quibus Theologorum eſt diſſerere.

Cap. I. conciliat *peculiaris ingenii dispositio*, quà ad certum genus actionis aliqui valde proclives redduntur; quæ non in singulis tantum hominibus, sed & integris in nationibus deprehenditur. Eam autem producere videtur cœli nos ambientis [30], solique genius, humorum in corporibus temperatura ex ipso semine, ætate, victu, valetudine, studiorum ratione, similibusque causis proveniens; item conformatio organorum, queis animus ad functiones suas obeundas utitur, & similia [31]. Ubi notandum, præterquam quod homo adhibita cura temperamentum suum non parum retundere & alterare possit; quantacunque etiam vis eidem tribuatur, non tamen eousque illa valere judicanda est, ut hominem necessario in violationem legis naturalis rapiat, quousque hæc in foro humano exercetur; ubi pravæ cupidines, intra actum *interiorem* [32] subsistentes, non attenduntur. Adeoque si vel maxime natura recurrat, furca licet expulsa [33], id tamen prohibere potest,

---

30 *Emollit gentes clementia cœli.* LUCAN. L. VIII. v. 366.

31 Nullus est dubitandi locus, quin magna inest animis e corporis temperamento vis, quam sententiam videsis propugnatam à GALENO in singulari libro, quod *mores temperamentum corporis sequantur.*

32 Omnino legendum est *interiorem*, etsi omnes quas vidi editiones, præter unam quæ LEHMANNI operâ prodiit *exteriorem* exhibent.

33 HOR. 1 Epist. 10. 24.

Naturam expellas furca, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.

ne

ne exteriores actiones vitiosas producat. Et quae in superanda ejusmodi inclinatione occurrit difficultas, illam splendor laudis pensat, quae heic victorem manet. Quod si autem ejusmodi stimuli animum concutiant, quos nulla ratio, quo minus erumpant, reprimere potest; via tamen est, ut citra peccatum [34] velut depleri queant.

Cap. I.

XIII. Valde quoque in certas actiones voluntatem inclinat frequens ejusdem generis actionum repetitio, ex qua enata proclivitas *Consuetudo* vocatur [35]. Per hanc quippe efficitur

A consuetudine ex frequenti actione. c. 4. §. 2.

---

[34] Hoc non semper fieri posse arbitrantur Barbeyrac & Treverus, quorum hic non deplendas sed restinguendas esse passiones monet. Ciceroni de hac re auscultemus. Tusc. Disp. iv. 37. *Qui natura dicuntur iracundi, aut misericordes, aut invidi, aut tale quid; eis sunt constituti quasi mala valetudine animi, sanabiles tamen, ut* Socratis *dicitur.* Item Hor. 1 Epist. 1. 37.

Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator;
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem praebeat aurem.

[35] Oritur consuetudo ex repetito actu; & quam vocat Cicero *alteram naturam* (*de Fin.* v. 25.) forsan *natura ipsa* in plerisque rebus rectius dicetur. Sic Arnob. *L. II. Consuetudo in ipsam naturam vertitur.* Et Juven. Sat. xiii. 29.

——— *Ad mores natura recurrit*
Damnatos, fixa & mutari nescia.

Neque mirum hoc cuivis videri potest, qui cum Lockio nostro vim habitûs & usûs ab idearum associatione derivat. Ideae, scil. quae in societatem solent venire, paulo post temporis separari nolunt: unde media

Cap. I. ficitur, ut libenter & expedite actio aliqua suscipiatur, sic ut objecto præsente in id velut trahi animus videatur, aut idem absens vehementissime desideret. De qua id observandum: uti nulla videtur esse adsuetudo, quin eam adhibita diligentia iterum exuere possit homo; ita nulla quoque animum eousque detorquere valet, ut non exterioribus saltem actibus, in quos illa rapitur, heic & nunc cohibendis par homo sit. Et quia penes hominem fuit ejusmodi adsuetudinem contrahere, inde utut hæc actiones facilitet, tamen neque inde bonarum actionum pretio aliquid decedit, neque pravarum malitia redditur levior. Quin uti bona adsuetudo hominis laudem, ita prava ejusdem turpitudinem intendit.

Ab animi motibus seu affectibus.

XIV. Plurimum quoque interest, an placida tranquillitas animo constet; an vero idem peculiaribus motibus, quos *Affectus* vocant, concutiatur [36]. Circa quos illud tenendum:

media pro *finibus* sæpe amplectuntur homines, & voluptates doloresque sibi creant & conficiunt. Locke *de Int. Hum.* L. II. c. xxxiii. Prælim. Diss. ad King *de Orig. Mal.* Neque hoc prorsus ignotum fuisse *Romano Philosopho* visum est, hoc modo de amicitia disserenti: "Primos congressus copulationesque, & con-"suetudinum instituendarum voluntates fieri propter "voluptatem: cum autem *usus* progrediens familiarita-"tem effecerit, tum amorem efflorescere tantum, ut, "etiam si nulla sit utilitas ex amicitiâ, tamen ipsi amici "propter *seipsos* amantur." Cic. *de Fin.* I. 20.

[36] Animi *affectus* (quos Cicero *perturbationes* appellat nos plerumque *passiones*) à sensibus nostris originem

dum: quantumcunque vehementes iſti ſint, tamen debito rationis uſu hominem iiſdem ſuperiorem eſſe poſſe, ipſorumque impetum ſaltem intra ultimum actum ſiſtere. Cum autem affectuum alii excitentur ſpecie boni, alii ſpecie mali, & ſtimulent, vel ad adquirendum aliquod gratum, vel declinandum moleſtum; naturæ humanæ congruens eſt, ut hos, quam illos, plus favoris aut veniæ mortales inter comitetur, eoque magis, quo infeſtius & intolerabilius fuerit malum, quod eos excitavit. Longe quippe tolerabilius habetur carere bono, [37] ad naturæ conſervationem non adeo

Cap. I.
c. 4. §. 7.

---

nem trahunt. Objecta quæ dolorem excitant *ingrata* vocamus, quæ voluptatem afferunt *grata*. Hæc animam adblandiuntur, alliciunt, attrahunt, unde conſuetudinis vi naſcitur *amor*; illa averſationem excitant & repellunt, unde oritur *odium*. Sed ex amore & odio cæteri omnes naſcuntur affectus: eorumque cauſæ *voluptas* & *dolor*, i. e. ſenſationes gratæ & ingratæ ſunt duo quaſi cardines, in quibus omnes vertuntur. Ex *voluptate* ortum ſuum ducunt amor, gaudium, ſpes, &c. ex *dolore* odium, triſtitia, terror, invidia, ira, cæteriq; ejuſmodi affectus tetri, qui animam contaminant & corrumpunt. "Vacandum eſt (inquit Cicero) omni animi perturbatione tum cupiditate & metu, tum etiam ægritudine & voluptate animi, & iracundiâ, ut tranquillitas adſit & ſecuritas, quæ adfert tum conſtantiam tum etiam dignitatem." *Offic.* I. 20. Et paulo poſt: "quæ cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec conſtanter fieri poſſunt, nec ab iis qui adſunt approbari." I. 38.

[37] Eodem modo Aristoteles. *Ethic. ad Nicom.* L. III. c. xii. Ἡ μὲν λυπὴ ἐξίστησι καὶ φθείρει τὴν τοῦ ἔχοντος φύσιν· ἡ δ' ἡδονὴ οὐδὲν τοιοῦτον ποιεῖ· μᾶλλον δὴ ἑκούσιον, διὸ καὶ ἐπονειδιστότερον. *Dolor quidem naturam*

Cap. I. adeo neceſſario. quam excipere malum, ad naturæ deſtructionem tendens.

A morbis & ebrietate, inclinetur.

XV. Denique uti dantur certi *Morbi*, qui uſum rationis in perpetuum, aut ad tempus plane tollunt: ita multas apud nationes frequens eſt, homines ſibi ultro acceſſere morbi quoddam genus brevi tranſiens, uſum rationis non parum perturbans. [38] Quo innuimus *Ebrietatem*, ex certis potulentorum generibus, ac quibuſdam fumis provenientem; quæ violento motu ſanguinem ac ſpiritus impellit & turbat, ac ad libidinem imprimis, iram, temeritatem & enormem lætitiam homines proclives reddit; ſic ut multi velut extra ſe per ebrietatem rapti videantur, & diverſum plane genium induiſſe, quam quo ſobrii conſpiciebantur [39]. Hæc tamen uti non ſemper omnem

c. 4. §. 8.

turam ejus, qui angitur, de ſtatu ſuo deturbat & interimit: voluptas autem nihil tale facit; eſt igitur magis voluntaria adeoq; flagitioſior. Baelius prorſus contrarium aſſerit, & acriores eſſe voluptatis quam doloris ſtimulos probare aggreditur. *De Comet.* §. 167. Quam opinionem refellit cl. Barbeyr. *ſur le Droit de la N. & G.* L. I. c. vi. §. 14. not. 4. Conf. Grot. *de Jure B. & P.* L. II. c. xx. § 31.

38 Meridionales nationes plerumque deteſtantur hoc vitium, libidini majorem in modum ſtudentes; & ſummâ ignominiâ afficitur *Hiſpanus*, quando ebrii titulo inſignitur. Septentrionales è contrario *Baccho* ut plurimum litant: licet & Boream malus auferat amor, & in imperio *veneris* non detur zona frigida. Treverus.

39 Tritum eſt illud, *Ebrietas non excuſat delictum.* Sed ut res pleniùs intelligatur, audiamus de hâc re Titium in loc. Ebrietas vel eſt *modica*, hæc actionem

nem usum rationis sequestrat; ita quatenus ultro arcessita est, odium potius quam favorem actionibus per eandem susceptis conciliare apta est. Cap. I.

XVI. Porro actiones humanae, uti *Voluntariae* solent vocari, quatenus a voluntate proficiscuntur & diriguntur; ita si quae reluctante voluntate scienter suscipiuntur, *Invitae* adpellantur, pressius sumto hocce vocabulo. Nam latius id acceptum etiam illas comprehendit, quae per *Ignorantiam* patrantur. Invitum autem nobis hoc loco idem notat, quod *Coactum*; quando nempe quis ab extrinseco principio validiore adigitur membra sua adplicare, ita ut aversationem & dissensum suum signis ac praecipue renitentia corporis significet. Minus autem proprie *Invita* & illa dicuntur, quando incumbente graviore necessitate aliquid tanquam minus malum eligitur, & suscipitur, abs quo alias homo extra necessitatem constitutus vehementer abhorrebat. Quales actiones vulgo *Mixtas* vocant. Hae cum spontaneis illud habent commune, quod voluntas pro praesenti statu eas utique eligat

Actio voluntaria, invita, mixta.

c. 4. §. 9. 10.

---

nem voluntariam relinquit; vel *summa*, quae omnem usum rationis sequestrat. Haec si fuerit quoad originem *involuntaria*, (putà siquis vim & efficaciam vini ignoret) actionem invitam producit, adeoq; agentem excusat: si vero *voluntaria*, tum actus *indifferentes* (ut contractus) adhuc imputari non posse videntur; quia hi liquidam cognitionem requirunt, nec iis animandis culpa praecedens sufficit: sed actus *illiciti* seu delicta imputabuntur. Quod si quis directe ob eorum executionem ebrietatem contraxerit, tum gravior imputatio obtinet.

Cap. I. tanquam minus malum. Cum invitis autem aliquatenus quoad effectum conveniunt, quod vel plane non, vel non ita graviter, uti spontaneæ, soleant agenti imputari [41].

Quæ actio homini imputari queat. c. 5. § 2, 3.

XVII. CÆTERUM actionum humanarum, quæ ab intellectu & voluntate proficiscuntur & diriguntur, hæc est præcipua affectio, quod illæ homini possint *imputari*, seu quod homo pro earum auctore recte possit haberi, ac ad reddendam de iisdem rationem adstringi; quodque in ipsum redundent effectus, qui ex istis proveniunt. Nulla enim propior ratio est, quare alicui actio quæpiam imputari possit, quam quia ab isto sciente & volente, mediate aut immediate, profecta est; seu quia penes ipsum fuit, ut fieret vel non fieret [42]. Hinc axio-

[41] Actio *mala*, altero cogente, imputatur, quia nequit cogi voluntas, & quia malum patrari non debet, ut exinde eveniat bonum; actio *bona* non item, quia ex omni parte perfecta esse debet. Ideo *Lucretia* nequaquam excusari potest ob violatam à *Tarquinio* pudicitiam, etsi non nisi dedecoris terrore victa succubuit. Vid. LIV. *Hist.* L. I. c. lviii.

[42] Ut actionum moralium natura rite intelligatur, earum essentia apte distribuitur in partes, *materialem* & *formalem*. *Materia* actionis est ipsa actio in *esse* suo vel physicè considerata; *forma* vero, à qua moralis ejus natura derivatur. Noster in *Elem. Jurisprud. Univ.* moralis actionis essentiam in tribus consistere voluit; quorum unum est materiale, alterum fundamentale, tertium formale. " 1. *Materiale* est motus aliquis phy-
" sicus potentiæ physicæ, putà locomotivæ, appetitus
" sensitivi, &c. 2. *Fundamentale* est ratio proæretica,
" qua motus ille physicus, ut à decreto voluntatis pro-
" ductus intelligitur. 3. *Formale* consistit in imputa-
" tione,

Cap. I.

axiomatis primarii loco in disciplinis moralibus ad forum humanum spectantibus habetur, quod de illis actionibus [43] rationem posci queat homo, quæ ut fiant vel non fiant, penes ipsum est. Seu, quod eodem recidit; quod quælibet actio, directionis humanæ capax, quam penes aliquem est fieri vel non fieri, ipsi queat imputari. Sic & contra nemo pro auctore ejus actionis haberi potest, quæ penes ipsum neque in se neque in sua causa fuit [44].

Actio alterius alteri an imputetur. c. 5. § 5.

XVIII. Ex hisce præmissis aliquot particulares formabimus propositiones, unde constet, quod cuique imputari, seu cujus actionis eventusque auctor quisque possit haberi. Primo, *Actiones ab alio patratæ, ut & operationes quarumvis aliarum rerum, nec non quivis eventus, non possunt alteri imputari, nisi quatenus ille potest & tenetur istas moderari.* Nihil quippe est frequentius inter homines,

" tatione, seu potius in imputativitate, qua effectus " actionis voluntariæ agenti potest imputari, sive ipsum " agens effectum physice produxerit, sive per alios eum " produci fecerit. A qua quidem actionis formalitate " ipsum etiam agens moralitatis denominationem par- " ticipat, & *causa moralis* appellatur." L. I. Def. i. p. 2, 3.

43 Hic addit Weberus Præpositionem *ad*, sed otiosa est & tuto omitti potest. Sic Ovid. Met. I. 137.

Nec tantum segetes alimentaq; debita dives
Poscebatur humus ———

47 Eodem modo Cicero. *Culpam autem nullam esse cum id, quod ab homine non potuerit præstari, evenerit.* Tusc. Disp. L. III. c. 16.

quam

Cap. I. quam ut uni commissum sit alterius actiones dirigere. Heic igitur si actio aliqua ab altero sit patrata, circa quam iste omisit quod penes se erat; actio illa imputabitur non solum ei, qui immediate ipsam patravit, sed etiam isti, qui ex debita & possibili directione aliquid omisit [45]. Habet tamen ea res fere suum modum finemque, sic ut illud *possibile* cum aliquo velut temperamento & moraliter sit intelligendum. Cum per quamcunque subjectionem unius sub altero, subjecti tamen libertas non extinguatur, quin alterius directioni reniti, & in diversa tendere possit; nec vitæ humanæ indoles ferat, ut quis uni perpetuo velut affixus, omnes istius motus observare queat. Igitur si quis omnia fecit, quæ direc-

45 Ut in exemplo magistratûs, vel parentis, vel tutoris nimiâ lenitate peccantis; ita ut eorum, qui auctoritati subjiciuntur, corrumpantur & in nequitiam dilabantur mores. Traducitur privatorum culpa ad personam publicam, cui vel alienos mores formandi vel intellectum erudiendi cura mandatur; quoniam vel id, quod fieri non debuit, commisit, vel, quod debuit (ut sæpius fit) omisit. Et hinc liberorum facinora ad parentes, subditorum ad principes referuntur, tanquam eorum auctores; si modo iis prævenire potuerint, neq; tamen præveniebant. *Qui non vetat peccare, cum possit, jubet.* Senec. Neque solum publicis personis transferri possunt aliorum actiones, verum etiam aliquo modo privatis; nimirum si vel hortatu, vel scriptis, vel pravo exemplo aliis peccandi occasionem & causam præbeant. Sed de hac materia legas omnino Johannis Burton Concionem Lat. *cui titulus* Heli, multo cum ingenio pariter & animo utilitatis publicæ studiosissimo conscriptam.

tionis

tionis sibi injunctæ natura ferebat, ubi nihilominus quid ab altero patratum fuit, patranti soli imputabitur. Sic postquam in animalia homines dominium exercent; quæ per illa in alterius detrimentum facta sunt, domino imputabuntur, siquidem is ex debita custodia & circumspectione aliquid neglexit [46]. Sic & quævis mala, quæ alteri obtingunt, imputari isti possunt, qui eorum causam & occasionem, cum posset & deberet, non subtraxit. [47] Sic cum multarum rerum naturalium Cap. I.

[46] Vid. infra, cap. 6. § 12.

[47] Tres sunt conditiones quæ necessario postulantur ad justam criminis imputationem. 1. *Ut nexus sit aliquis (vel essentialis vel accidentalis) actionis sive omissionis cum re tristi cujus est occasio.* 2. *Ut hic nexus cognoscatur & verisimilitudo detur effectum præveniri posse.* 3. *Ut agenti aliquatenus obligatio incumbat ne id agat, quod effectui occasionem præbuit.* Si quando omnes hæ conditiones absint, culpa nequit imputari. E. Gr. Omnes in eo conveniunt conditiones, qui foveâ effossâ in viâ publicâ eam asseribus operire vel palis cingere negligit, eo fine, ut nec puerulo luce, nec cuivis noctu in eam incidere contigerit, quod ut accidere possit, facile quispiam prævidebit. Prima deficit conditio in sententiâ, quam tulisse *Cneum Pisonem* refert Seneca *De ira* I. 16. Præterea in hac re revocanda est in memoriam Fabula Lupi & Agni ad eundem rivum bibentium. Secunda in eo desiderabitur conditio, qui vitam præ dolore in laqueo concludit, quod virginis quam deperiret repulsam accipit, vel de pecunia decidit quam commodare vellet. Tertia verò deficit, cùm conscii non simus malum aliquod huic vel illi suboriri posse, vel si ejus conscii fuimus, id ne quidem de jure nostro cedendo impedire potuimus. Si Pater familias foveam in areâ suâ effodiat, noctuq; forte interveniat

Cap. I. lium operationes promovere aut ſuſpendere ſit penes homines; quod ab hiſce commodi vel damni datum ſit, iſtis imputabitur, quanti eorundem opera vel neglectus ad id momenti attulit [48]. Aliquando etiam præter ordinem imputantur alicui eventus tales, qui alias ſupra humanam directionem ſunt, quatenus intuitu certi hominis iſtos divinum

terveniat aliquis, cui nihil iſthìc fuit negotii, & in eam incidat, pro infortunio habendum eſt. Caupo à vino vendendo abſtinere non requiritur propterea quod ſciat plures emptores eâ inebriatos iri, turbaſq; forte excitaturos. Vel enim neſcit, quinam ſint qui nimium meri ſibi indulſerint, vel ſi ſciat, nulli tamen uſui inſervire poteſt ſi emptores rejiciat, quoniam plures in vico tabernæ occurrunt. Quod ſi ebrioſi, vel quos ebrioſos eſſe ſuſpicatur, noctu & horâ minimùm tempeſtivâ vinum poſtulant, criminis expers haud *erit*, qui iis ſuppeditat; ſicut nec Faber armorum, qui cuipiam gladium vendit, quem ad alium occidendum adhibiturum eſſe probe cognoſcit. Hæc eſt conſequentia tum clara tum proxima, cui occurrendum eſt, quantum potuit. Barbeyrac.

[48] Sic qui incendium extinguere, vel furto obſtare negligit, damnum reſarcire tenetur. *Qui non defendit nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ, tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut amicos, aut patriam deſerat*; ut nos monet Cicero, *De Offic.* L. I. c. vii. Huic innititur lex, quæ in *Anglia* hodie valet, ut iter facientibus interdiu, ſi â latronibus in viâ publicâ ſpolientur, ab incolis reſarciatur damnum. Eandem legem valere in *Heracleâ* tradit Aristoteles, *Auſcult. Mirab.* & in *Ægypto*, Diodor. Sic. L. I. c. lxxvii. Ejuſmodi quoque legem in *Gallia* latam eſſe A. D. 1713. memorat Treverus; ut eo vigilantiores redderentur pagorum incolæ ad latrocinia impedienda.

Numen

Numen peculiariter procuravit [49]. Extra hosce & similes casus sufficit, si de propriis actionibus rationem quis possit reddere. Cap. I.

XIX. Secundo, *Quæcunque in quolibet homine sunt vel non sunt, quæ penes ipsum non fuit ut adessent vel non adessent; non possunt ipsi imputari, nisi quatenus per industriam naturalem defectum non supplevit, aut nativas vires non adjuvit.* Sic cum perspicaciam ingenii, viresque corporis nemo sibi præstare possit; nemini quoque eo nomine imputari quid poterit, nisi quantum culturam adhibuit, aut adhibere neglexit. Sic non rustico, sed urbabano atque aulico, horridi mores vitio vertuntur. Unde & valde absurdæ sunt judicandæ exprobrationes ejusmodi qualitatum quarum causa penes nos non fuit; *v. g.* brevis staturæ, formæ parum felicis, & similium.

An, cujus causa penes aliquem non est? c. 5. § 7.

XX. Tertio, *Quæ per ignorantiam invincibilem patrantur, imputari non possunt.* Quia neque dirigere actionem possumus, ubi intellectus lumen non prælucet: Et præsupponitur, tale lumen sibi hominem non potuisse comparare, neque quo minus posset, in culpa fuisse. Quin & in vita communi τὸ *posse* moraliter

An, quæ ex invincibili ignorantia patitur? c. 5. § 10.

---

49 Sicut, cùm publicæ calamitates propter peccata principis vel populi civitati infliguntur. Ad hunc locum monet BARBEYRACCIUS, ad eventus extraordinarios nobis non esse temerè recurrendum, nisi à revelatione patet eos esse extraordinarios. Idem quoque hìc loca S. Literarum indicat, in quibus exempla hujusmodi occurrunt; viz. *Gen.* XVIII. 32. XIX, 21. 2 *Sam* XXIV. 13, 17. 1 *Reg.* XVII. 1. XVIII. 42. *Jacob.* V. 17, 18.

Cap. I. raliter accipitur pro illa facultate, solertia & circumspectione, quæ vulgo sufficere judicatur, & quæ probabilibus rationibus subnixa fuit.

An, quæ ex ignorantia legis & officii?

XXI. Quarto, *Ignorantia, ut & error, circa leges & officium cuique injunctum, ab imputatione non liberat.* Nam qui leges & officium alicui injungit, efficere solet & debet, ut in notitiam subjecti illæ perveniant. Et ad subjecti captum leges ac regulæ officii attemperari solent & debent; circa quas cognoscendas & retinendas quemlibet solicitum esse oportet. Unde qui est causa ignorantiæ, respondere etiam tenebitur de iis actionibus, quæ ex illa ignorantia promanant.

An, cujus exequendæ defuit occasio?

XXII. Quinto, *Cui occasio agendi citra suam culpam deest, illi non imputatur, quod non egerit.* Videtur autem occasio quatuor hæcce complecti; ut objectum actionis sit in promptu [50], ut adsit commodus locus, ubi non possimus ab aliis impediri, aut malo aliquo multari [51], ut adsit opportunum tempus, quo non sint obeunda negotia magis necessaria, quodque item aliis, qui ad actionem concurrunt, sit opportunum [52]; ut denique na-

---

[50] Quasi dixerit materiam agendi adesse oportere, finemque in quem agendum est. Huc enim omnia, quæ adducit auctor, referuntur Exempla. Barbeyrac.

[51] Addere oportuit restrictionis causâ; *saltem si alias se periculo objicere non devinciatur.* Sic militem pro deridiculo haberemus, qui ad stationem se referre jussus præ timore mandato non pareret. Barbeyr.

[52] Sic magistratus concilio, cujus pars est, adesse nequit, si eum ad se accersat Princeps. Barbeyrac.

turales

turales vires suppetant [53]. Citra isthæc enim cum actio fieri nequeat, etiam absurdum fuerit, si alicui imputetur, ad quod agendum occasio defuit. Sic medicus segnitiæ non potest argui, si nemo ægrotet. Sic liberalis esse non conceditur, qui ipse indiget. Sic talentum suum defodisse argui nequit, cui rite ambienti statio denegata fuit. Et cui multum datum fuit, ab eo multum repetetur [54]. Sic non possumus simul sorbere & flare [55]. Cap. I.

XXIII. Sexto, *Non potest quoque alicui imputari, quod non præstiterit ea, quæ vires ipsius excedunt, neque per eas prohiberi aut effici possunt.* Inde vulgo impossibilium nulla esse obligatio dicitur. Addendum tamen, modo quis sua culpa vires præstandi non detriverit, aut perdiderit. Hic enim eodem

An, quæ vires agentis excedit?

c. 5. §. 8.

---

[53] Si cohortes, verbi gratiâ, quibus vel ad prælium committendum vel ad obsidionem suscipiendam opus est Duci, ei se adjungere non sint paratæ; hìc non adest agendi materia, ideoque ad primam referri debet conditionem. Ut modo brevissimo maximeque concinno quatuor hæ conditiones proponantur, dicendum est, me judice, hominem omissionis rationi reddendæ obnoxium esse, 1. Cùm modi adsint necessarii, qui ad agendum requiruntur. 2. Cùm istis uti possumus, nec officium magis necessarium violantes, nec occasionem magno alicui malo nosmetipsos objiciendi præbentes. Sic regulæ hujus paragraphi & sequentis ad unam reducuntur. BARBEYRAC.

[54] Ex LUC. xii. 48.

[55] Ex PLAUTI *Mostel.* Act. iii. c. 2. v. 405.

Simul flare sorbereque haud facile
Est: ego hic esse & illic simul non potui.

modo

Cap. I.



modo tractari potest, atque si vires adhuc obtineret [56]: cum alias facilis esset via quamvis obligationem paulo laboriosiorem eludendi, ultro corruptis præstandi viribus [57].

An, quæ quis coacte patitur aut agit? c. 5. § 9.

XXIV. Septimo, *Imputari quoque non possunt, quæ quis coacte patitur, aut agit.* Talia enim amoliri aut defugere supra ipsius vires positum intelligitur. Cogi autem dicimur duplici modo: uno, quando alius valentior per violentiam nostra membra ad aliquid agendum aut patiendum adplicat: altero, si potentior grave aliquod malum cominus intentet, (idque statim repræsentandi facultatem habeat) nisi ultro nos ad aliquid faciendum moveamus, aut a faciendo abstineamus. Tunc enim, nisi expresse obligemur id quod alteri est inferendum, nostro malo redimere ;

---

[56] Non vult auctor legislatorem id exigere posse, quod plane impossibile est, dum maneat impossibilitas; eos vero, qui se impotentes reddiderunt, æquè puniri posse, ac qui, cùm sint agendo, recusent. Exemplum adferre licet eorum, qui inter veteres Romanos vel sibi vel filiis pollices absciderunt, ut bellis obeundis impares essent. Fieri etiam potest nos rationem rei impossibilis reddendo obnoxias esse, licet per nos non steterit ejus impossibilitas; scilicet cum negotio alicui nos immisceamus, quod sciamus, vel scire facilè potuimus vires nostras exsuperare. Sic si equitandi disciplinæ rudis alacriter equum ferocem, quem cohibere nequit, conscendat, & damnum alteri inferat, id proculdubio resarcire tenetur. Sic etiam cum mulione agitur, qui mulos alendo quæstum facit, quamvis eos regere nesciat; quo modo hunc casum dijudicavit Jus Romanum. L. 8. §. 1. *Dig. ad Leg. Aquil.* Barbey.

[57] Hìc addit Weberus; *nisi quis infirmitatis suæ conscius se negotio temerè immiscuerit.*

is

is qui eam nobis neceſſitatem adfert, pro au- Cap. I.
ctore facinoris habebitur; nobis autem non magis factum iſtud imputari poterit, quam gladio aut ſecuri cædes [58].

XXV. Octavo, *Eorum, qui rationis uſu deſtituuntur, actiones non imputantur.* Quia quid agatur, liquido dignoſcere, & ad normam comparare nequeunt. Et huc ſpectant actiones infantum, antequam uſus rationis paulo diſtinctius ſeſe incipit exſerere. Quod enim iſti propter quaſdam actiones increpantur aut verberantur, id non ideo fit, quaſi in foro humano pœnam proprie dictam meriti ſint; ſed per modum nudæ emendationis, & diſciplinæ, ne per talia moleſtiam aliis faceſſant, aut ne pravam adſuetudinem contrahant. Sic & furioſorum, mente motorum, & delirorum actiones pro humanis non habentur, quibus equidem citra ſuam culpam iſte morbus provenit.

An, quæ rationis uſu deſtituuntur?

c. v. § 10.

XXVI.

[58] Auctor, ut mihi videtur, hujuſce coactionis effectum ulterius quam par eſt extendit. Non eſt diffitendum eam in foro humano culpam minuere; ſed in foro divino non penitus excuſat. Exemplum gladii vel ſecuris nihil hic ponderis ſecum fert; etenim qui non alio adigitur modo quam magnum aliquod malum interminando, ſine vi aliquâ phyſicâ & irreſiſtibili, ille profecto ſciens volens agit, & actioni quam patrat quodammodo aſſentitur. Præterea, humanas vires non prorſus exſuperat, ut mortem ſubire ſtatuamus quam evitare poſſimus; id quod ipſe agnoſcit auctor in majori opere. L. 3. c. 7. §. 5. Fuerunt, qui in rebus levioribus hanc fortitudinem demonſtrarunt. Poſſem

L equidem

Cap. I.

An, quæ in somniis agere videmur?

XXVI. Nono, *denique imputari non possunt, quæ quis in somnis agere sibi videtur; nisi quatenus talibus interdiu cogitandis cum delectatione immoratus, eorum imagines animo alte impressit* [59]; etsi & hæc rarissime in foro humano attendantur. Alias enim phantasia in somno est veluti cymba sine rectore fluitans, sic ut penes hominem non sit præstare, qualia visa isthæc effingat.

Actio agenti principali & instrumentali qui imputetur?

XXVII. Circa imputationem autem actionum alterius, paulo distinctius observandum,

---

equidem ostendere principia auctoris neque fundamento satis firmo niti neque sibi constare: Hoc autem non hujus est loci. Unicum solummodo proferre possum exemplum, quo superiori prava jubenti obtemperare licet, ut malum minitatum evitemus: Nimirum cum is, ad quem illicita actio spectat, nosmet ipsius gratiâ infortunia subire nolit, quibus mactabimur si nos immorigeros præstemus: Et in hoc quidem exemplo advertendum est in animo rem ejusmodi esse oportere, ut malo quo mactandus est, assentiri liceat, vel jus qnod violatur, istud esse, de quo cedere fas sit. Siquis enim mihi ipsum interimendi licentiam concedat, nequeo tamen licitò me alterius furoris talem ministrum præbere, ut minis ejus perterritus innocentis vitam adimere adducar. Barberyac.

59 Ut in exemplo *Byblidis* apud Ovid. *Met.* ix. 467.

Spes tamen obscænas animo dimittere non est
Ausa suo vigilans. Placida resoluta quiete
Sæpe videt, quod amat ——
Somnus abit; silet illa diu; repetitq; quietis
Ipsa suæ speciem; dubiaq; ita mente profatur:
Me miseram! Tacitæ quid vult sibi noctis imago?
Quam nolim rata sit! ——

quod

quod aliquando quidem contingat, ut actio ei, qui immediate eam patravit, plane non imputetur, sed alteri, qui hoc tantum velut instrumento usus est [60]. Sed frequentius est, ut & ei, qui actionem patravit, & alteri, qui ad eandem agendo quid vel omittendo concurrit, illa simul imputetur. Id quod fit triplici potissimum modo; vel ut alter principalis causa actionis, patrator minus principalis habeatur; vel ut uterque pari velut passu ambulet; vel ut alter minus principalis, patrator principalis causa sit [61]. Ad primam classem pertinent, qui alterum auctoritate sua ad

Cap. I. c. v. § 14.

---

[60] Plurimi sunt modi, quibus aliquid conferre possumus ad alienas actiones. Hos sic recenset Grotius: "Qui factum vitiosum jubent, qui consensum requisi-"tum adhibent, qui adjuvant, qui receptum præstant, "aliove modo in ipso crimine participant, qui consi-"lium dant, laudant, assentantur, qui cùm ex jure "propriè dicto teneantur vetare, non vetant, aut cum "teneantur ex simili jure opem ferre injuriam patienti, "non ferunt, qui non dissuadent, cum dissuadere de-"beant, qui factum reticent quod notum facere ex "jure aliquo tenebantur; hi omnes puniri possunt si "in ipsis talis sit malitia, quæ ad meritum pœnæ suffi-"ciat." *De Jure B. & P.* l. 2. c. 21. §. 1. Conf. eundem. c. 17. §. 6——9. Horum præcipuos memoriæ gratia duobus versiculis sic complectitur Thomas Aquin. *2da 2dæ quæst.* 62. *Art* 7.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

[61] De concursu ad alienum crimen accuratius distinxit Barbeyraccius, & harum trium causarum, (quas principalem, collateralem, & subalternam nominat) defi-

Cap. 2. ad quid permoverunt; qui consensum requisitum adhibuerunt, citra quem alter agere non poterat; qui poterant & debebant prohibere, & non fecerunt. Ad secundam classem pertinent, qui mandant, aut ad facinus patrandum conducunt; qui adjuvant; qui receptum & defensionem præstant; qui cum opem ferre injuriam patienti possent & deberent, non fecerunt. Ad tertiam classem referuntur, qui consilium speciale dant [62]; qui laudant & assentantur ante patratum facinus; qui exemplo suo ad peccandum accendunt, & similes.

---

definitiones aptè supplevit. 1. Causa *Principalis* ad alienam actionem eo modo concurrit, ut, istâ semotâ, admissa non fuisset. 2. *Collateralis*, quantum potuit, concurrit, sed non adeo efficaciter, quin, eâ semotâ, admissa fuisset. 3. *Subalterna* vel (ut vulgo dicitur) *Accessoria* aliquo modo sed minus efficaci factum promovet; ut hortatu, consilio, exemplo, vel non adhibendo, quæ potuit & debuit, remedia. Hisce regulis applicatis, quævis *causa* ad suam classem, nullo negotio refertur.

[62] Nonnunquam qui consilium adhibet, causa est collateralis, vel etiam principalis; ut Judæi, qui de CHRISTO crucifigendo *Pilatum* hortabantur. Qui verò delictis jam commissis (ut notat OTTO ad h. l.) lætantur aut ea ratihabent, nisi lucrum ex iis quærant, nil præter pravam voluntatem suam luere debent. Nimium ergo causæ suæ inservit CICERO. *Philip.* ii. 12. *Quid interest inter suasorem facti & probatorem? aut quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum?*

CAP.

CAP. II.

De Norma Actionum Humanarum; *Seu*, De Lege in Genere.

I. QUIA actiones humanæ à voluntate dependent, voluntates autem singulorum non semper sibi similes, & diversorum in diversa fere tendere solent; igitur ad ordinem & decorem in genere humano constituendum necessarium fuit normam aliquam existere, ad quam istæ componerentur. Alias enim si in tanta voluntatis libertate, tantaque inclinationum & studiorum diversitate, quisque citra reflexionem ad certam normam ageret, quod ipsi in mentem veniret; non poterat non maxima confusio in genere humano existere [1].

Actiones humanæ norma indigent. c. vi. § 1.

[1] Homines ejusmodi naturam sortitos esse quæ ad legem componi possit, facilè intelligitur ex dictis in Cap. superiore. Pari evidentiâ patebit eos ita comparatos esse, ut sine legibus & morum regulis ne vivere quidem possint, nedum felices esse; quod prolixiùs demonstravit noster ex variis argumentis; ex hominum dignitate, pravitate, ingeniorum varietate, imbecillitate ac naturali incultu. Conf. Puf. *de Jure Nat. & Gent.* L. II. c. i. Buddei *Philos. Pract.* P. II. c. iii.

Cap. 2.

Lege scilicet, quae describitur. Obligatio, ex lege oriunda, quid?

II. NORMA [2] illa vocatur LEX [3], quæ est *decretum, quo superior sibi subjectum obligat* [4] *ut ad istius præscriptum actiones suas componat.*

III. HÆC definitio ut eo melius intelligatur, evolvendum est, quid sit *obligatio*; unde

---

[2] Sunt qui normam actionum à lege distingui volunt, idq; ut opinor haud ineptè: ut illa sit regula morum, id, quod in se & omni seposito præcepto rectum & pravum est, indicans; hæc vero superioris decretum, ad id quod rectum est, obligans vi præmiorum & pœnarum. Vult noster nihil vel rectum vel pravum esse posse, quod ipsi legi antecedit, ideoq; *Grotianam* legis definitionem improbat, ut sit *regula actuum moralium obligans ad id quod* RECTUM *est.* Mihi videtur normam moralem dari posse, quæ recti & obliqui index est, neque tamen perpetuo obligat: unde legis aut juris nomine venire non queat, quippe lex obligationem necessario secum ferat. Idea legis minus generalis est, quam normæ; dari potest norma, quæ non est lex, sed non vice versâ. Conf. PUFEND. *de Jure Nat. & Gent.* L. I. c. vi. §. 4. GROT. *de Jure B. & P.* L. I. c. i. §. 9.

[3] Varios hujusce vocis sensus accurate distinguit HOOKER. *Eccles. Polit.* L. I. c. 3, 16.

[4] Auctores in diversas opiniones distrahuntur de natura legis, quatenus obligat vel permittit. BARBEYRACCIUS huic auctoris definitioni addit, quod *libertatem pro lubitu agendi vel non agendi permittat.* Vult nimirum cum TITIO Ideam legis *permittentis* complecti. Nostri partes in hac re tuetur TREVERUS, quoniam lex permittens ne quidem lex proprie dicenda est, & permissio non tam actio legis est quam non-actio. Et recte quidem, me judice. Similiter GROTIUS contendit *Permissionem propriè non esse actionem legis sed actionis negationem, nisi quatenus alium ab eo cui permittitur obligat, ne impedimentum ponat.* Ubi supra.

ea

ea oriatur; quis obligationem recipere; & quis eandem alteri injungere queat. Vulgo igitur Obligatio dicitur *vinculum juris, quo necessitatè*[5] *adstringimur alicujus rei præstandæ.* Scilicet injicitur per eam quasi frænum aliquod nostræ libertati, ut, quanquam de facto voluntas in diversum tendere queat, intrinseco tamen per eandem velut sensu imbutam se deprehendat, ut, ni præscriptæ normæ conformis sit actio edita, non recte se egisse cogatur agnoscere[6]. Adeoque si quid mali Cap. 2.

[5] Necessitas est vel *Physica*, vel *Moralis*: illa à vi externâ oritur, quæ libertatem agendi destruit; hæc verò à causa morali, quæ voluntatem (salvâ libertate) flectit & impellit. De hac sola necessitate versantur res morales: & cùm manifestò pateat bonum & malum (*i. e.* spem voluptatis, & metum doloris) sola esse incitamenta, quæ voluntatem movere aut inclinare possunt; ideo sit hæc sola obligare posse, & "actionem "agenti rationali tum *necessariam* esse intelligi, cum "certum est eam contineri in causis necessario requi-"sitis ad felicitatem illam, quam naturaliter adeoq; "necessario expetit." Cumberland. *de leg. Nat.* C. v. § 27. p. 240. Ed. *4to.*

[6] Attamen non existimandum est perfectam obligationem exinde oriundam esse. Datur voluptas quædam, qua perfunditur mens sibi conscia recti; & e contra dolor pravæ conscientiæ perpetuus comes. Quid autem? Ideone voluptas & dolor conscientiæ comites realem actionum rectitudinem & pravitatem indicant? Vel hoc supposito, possuntne hæc sola ad hoc vel illo modo agendum movere & determinare contra validiora incitamenta ad diversas prorsus actiones trahentia? Nihil minus. Itaque in obligatione perfectâ & propriè dictâ requirimus prospectum boni vel mali, quod exinde sit eventurum.

Cap. 2.

eo nomine homini eveniat, non immerito id sibi accidere judicet: cum normam, prout par erat, sequenti, istud evitasse licuerit.

Homo sua natura est obligationis capax. c. vi. § 9.

IV. Quod autem *homo aptus sit ad recipiendam obligationem*, duplex causa est; una quidem, quia is voluntatem habet, quæ sese in diversas partes flectere, adeoque & ad normam componere potest; altera, quia homo a potestate superioris non est immunis [7]. Nam ubi alicujus agentis vires per naturam ad uniformem agendi modum sunt alligatæ, ibi libera actio frustra expectatur: istique incassum præscribitur aliqua norma, qui eam neque intelligere, neque ad eandem sese componere potest. Si quis autem non agnoscat superiorem, eo ipso nemo existit, qui necessitatem eidem jure queat injicere [8]. Et si maximè is in agendo certam rationem observat, & a quibusdam actionibus constanter abstineat, id tamen non ex obligatione aliqua, sed ex proprio beneplacito facere intelligitur [9].

Sequitur

---

7 Hæc est ratio vera & proxima, altera verò non tam causa quàm conditio necessaria; sicut manifesto patet ex eo quod in Deum, licet infinita Intelligentia & libertate præditus sit, cadere non possit obligatio. Barbeyrac.

8 Hinc vocibus abutuntur, qui abstractas rerum relationes in se & simpliciter consideratas hominibus vinculum juris imponere, & moralem obligationem inducere contendunt, seposito superioris mandato.

9 Hinc patet nec hominem individuum, nec statum civilem (qui propriè est una persona moralis) sese posse obligare. Conf. Puf. *de Jure Nat. & Gent.* L. I. c. vi. § 7.

Patet

Cap. 2.

Sequitur ergo, ut ille obligationis ſit capax, qui & ſuperiorem habet, & normam præſcriptam poteſt cognoſcere, & voluntatem habet in diverſa flexilem; quæ tamen ubi norma per ſuperiorem fuerit præſcripta, ſentiat ſe ab ipſa non recte diſcedere. Quali natura hominem præditum adparet.

Obligatio omnis introducitur à ſuperiore.

V. *Introducitur obligatio* in animum hominis *proprie a ſuperiore*, i. e. tali, cui non ſolum *vires* ſunt malum aliquod repræſentandi contranitentibus; ſed & cui *juſtæ* ſunt *cauſæ*, quare poſtulare queat ex ſuo arbitrio voluntatis noſtræ libertatem circumſcribi. Talia enim ubi in aliquo fuerunt, poſtquam quid velit ſignificavit, neceſſum eſt in animo hominis oriri metum reverentia temperatum: illum quidem ex potentia; hanc autem ex conſideratione cauſarum, quæ etiam remoto metu allicere aliquem debebant ad iſtius voluntatem amplectendum. Qui enim nullam rationem allegare novit, quare mihi invito obligationem velit impingere, præter ſolas vires; is terrere quidem me poteſt, ut effugiendo majore malo ipſi tantiſper parere ſa-

c. vi. § 12.

Patet etiam Deum non poſſe obligari, vel legibus ſubjici, quippe ens ſupremum. Neque tamen ad arbitrium vel ex accidenti & ſine qualibet norma actiones ſuas dirigere intelligitur, ſed ad ſuarum perfectionum normam actiones componere. *Sua ſibi lex eſt*, (ut ita dicam) & quòd ens eſt natura perfectiſſimum, ideo quodcunque agit vel eligit, non poteſt non eſſe optimum. Itaq; nugas agunt vel quiddam pejus, qui Deum, ens primum & ſummum, virtutis & obligationis capacem eſſe docent.

tius

Cap. 2. tius ducam; ſed eo metu remoto, nihil amplius obſtat, quo minus meo potius, quam illius arbitrio agam [10]. Contra qui rationes quidem habet, quare ego ipſi parere debeam, a viribus tamen malum aliquod mihi imponendi deſtituitur, ejus juſſa impune à me poſſunt negligi, ni potentior aliquis hujus

---

[10] E contra aſſerit Hobbesius *jus Deo regnandi & puniendi eos, qui leges ſuas violant, eſſe à ſolâ potentiâ irreſiſtibili.* De Cive. c. xv. § 5. Sed facile patet quam iniquum ſit & male conſtitutum in potentia ſola imperii fundamentum. 1. Aliud eſt cogere, aliud obligare. Poteſtati *cogenti* reſiſtere licet, *obliganti* non item. 2. Utut irreſiſtibilis ſit imperantis poteſtas, nulla ratio ad obediendum movere poteſt, niſi conjungantur juſtitia, ſapientia, & bonitas; quippe iis ſepoſitis, vel præmia ob obedientiam, vel pœnas ob inobedientiam nullus erit expectandi locus. L. I. c. vi. § 10. Sunt &, qui jus imperandi ducunt ab excellentiori entis natura: ſicut τὸ ἡγεμονικὸν in hominum mentibus ſuperiorem locum occupat, adeoq; cæteris facultatibus imperare debet; eodem modo Deus in homines, homo in bruta jure imperii utitur. At vero nec poteſtas, nec ſapientia, nec alia quævis perfectio per ſe conſiderata jus imperii in alterum tradit. Huc pertinent verba Ciceronis contra *Epicureos* allata; *Sin Dii neq; poſſunt nos juvare neq; volunt, nec omnino curant, nec quid agamus animadvertunt, nec eſt, quod ab his ad hominum vitam permanari poſſit, quid eſt, quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, aut preces adhibeamus?* De Nat. Deor. ii. 25. Neque ex hoc fonte homines in bruta jus derivare poſſunt, ſed ex ſpeciali Creatoris deſignatione. Reſtat igitur, ut ſola juſti imperii fundamenta ſint, 1. Abſoluta dependentia ſubjecti ab imperante, quæ divini imperii eſt fundamentum. 2. Voluntaria ſubjectio, quæ humani. *Ibid.* § 11.

auctori-

auctoritatem proculcatam adſertum eat. Rationes autem, quare quis recte poſtulare queat, ut ab altero ſibi obtemperetur, ſunt; ſi ab iſto in hunc inſignia quædam bona ſint profecta; ſi conſtiterit, iſtum & bene huic velle, & rectius, quam ipſe valet, eidem proſpicere poſſe; ſimulque ſi actu iſte hujus directionem ſibi vindicet; & denique ſi quis ultro alteri ſeſe ſubjecerit, & in ipſius directionem conſenſerit [11].

Cap. 2.

VI. Cæterum ut lex vim ſuam in animis eorum, quibus fertur, exſerere poſſit, requiritur

Requirit notitiam Legis & Legiſlatoris.

[11] Iſtæ quidem rationes fortiorem & arctiorem reddere poſſunt obligationem; ſed alibi quærenda ſunt fundamenta, quibus jus neceſſitatem moralem imponendi innititur. Id vero ex eo deducitur, quod homines a Deo pendent, quippe qui in eo exiſtant, vivant, moveantur. Artifex jus habet ſuum opus, prout vult, tractandi, licet formam ſolam huic tribuat. Ponatur ſtatuarium propria virtute ſtatuas animare poſſe, iiſq; verum eſſe intelligentiæ auctorem; hoc ipſum juſta eſſet cauſa, quare marmor vel aurum fabro, cujus manibus formatum & intellectu donatum fuiſſet, obtemperaret. Huic non aliena eſſet res Parentum, ſi in liberis procreandis non cæca eſſent inſtrumenta & cauſæ materiales; ſed cum res ita ſe habeat, eorum poteſtas ex alio fonte derivatur. Deus & materiæ & formæ, ex quibus conflamur, nobis eſt auctor; tum corpora tum animas noſtras creavit iiſq; facultates, quibus fruuntur, indidit. Eas igitur quibuſlibet limitibus circumſcribere licet, nec non & ab hominibus poſtulare, ut iis ex præſcripto ſuo utantur. Porro nil prohibet, quin jus illud, quod cuivis in me ſit, cum altero communicare poſſit: Sic Deus auctoritatem quandam cum hominibus participat, vel directè ut cum inter Judæos, durante Theocratia, Magiſtratus conſtituit, vel indirectè, id eſt, per conſequens ab eo, quod ſe velle teſtatur. Barbeyrac.

c. vi. § 13.

Cap. 2. ritur *Cognitio* tum *Legiſlatoris*, tum *ipſius Legis.* Nemo enim obedientiam præſtare valebit, ſi neque cui parere debeat, neque ad quid teneatur noverit [12]. Et Legiſlatoris quidem cognitio eſt facillima. Legum quippe naturalium eundem eſſe auctorem, qui Univerſi, ex lumine rationis conſtat. Nec civis ignorare poteſt, quis in ipſum imperium obtineat. Leges porro naturales quomodo innoteſcant, paulo poſt exponetur [13]. Civiles autem leges per *promulgationem* publice & perſpicue factam in ſubjectorum notitiam perveniunt [14]. In qua de duobus conſtare debet; tum quod lex eum habeat auctorem, penes quem ſummum in civitate eſt imperium; tum quæ ſit legis ſententia. Prius cognoſcitur, ſi vel ipſe legem ſua voce promulget, vel autographo conſignet; vel ſi id fiat per ipſius delegatos. Quorum auctoritas fruſtra in dubium vocatur, ſi conſtet, hoc cum munere, quod in civitate gerunt, eſſe conjunctum, & ipſos regulariter ad idem adhiberi: Si iſtæ leges in uſum judiciorum deducantur; ſi nihil contineant, quod ſummo imperio de-

[12] Ille vero minimè excuſari poteſt, cui ſuppetat facultas legem ejuſq; latorem cognoſcendi. Barbeyrac.

[13] Vid. *infra*, c. iii. § 12.

[14] Ad promulgationem requiritur; 1. Ut ſit ſolennis, partim ut fiat publica auctoritate; partim ut fiat cæremoniis publicis. 2. Ut ſit clara & diſtincta, vel ratione idiomatis & characteris, vel ratione modi promulgationis. 3. Ut ſit ſufficiens, & ad cunctorum notitiam pertingere poſſit. Trever.

roget

roget. Ut autem ſententia legis recte percipiatur, promulgantibus incumbit, quanta fieri poteſt, perſpicuitate uti. Si quid in legibus obſcurum occurrat, ejus declaratio petenda abs legiſlatore, aut illis, qui ad jus ſecundum leges dicendum publice ſunt conſtituti. Cap. 2.

VII. *Cujuſlibet legis perfectæ*[15], *duæ partes* ſunt: una, per quam definitur quid ſit faciendum, quidve omittendum: altera, per quam indicatur, quodnam malum ſit propoſitum ei, qui præceptum intermittit, & interdictum facit[16]. Nam uti propter pravitatem ingenii humani, in vetita tendere amantis, ſupervacuum eſt dicere, *hoc fac*, ſi non facientem nil mali ſit manſurum; ita abſurdum eſt dicere *pœnas dabis*, ni cauſa, quæ pœnam mereatur, præceſſerit. Sic igitur omnis vis legis conſiſtit in ſignificando eo, quid ſuperior a nobis fieri velit, vel non velit, & quæ pœna violatoribus legis ſit conſtituta[17]. Vis

Legis partes duæ, præceptum & commi-natio.
c. vi. § 14.

---

[15] Sunt enim leges quædam *imperfectæ*, nempe quæ aliquod ſimpliciter vetant, neque pœnas violatoribus minantur; quas ſi ſtricte loquamur, rectius conſilia quam leges vocabimus. Hujuſmodi exemplum habemus in lege *Valeriana* apud Liv. x. 9. de quo ſic teſtatur *Gruterus* ad loc. " Si quis adverſus ea feciſſet, " nihil ultra quam improbe factum adjecit, id (qui tum " pudor hominum erat) viſum, credo, vinculum ſatis " validum legis: nunc vix ſervo ita minetur quiſ- " quam.

[16] Hæc vocatur pars legis *vindicativa*; illa *definitiva*.

[17] Leges vel præmiis vel pœnis ſanciri poſſunt, quoniam vel ſpes boni vel fuga mali voluntatem flectere valet.

Cap. 2. autem obligandi, i. e. intrinsecam necessitatem adferendi, & vis cogendi, seu per pœnas ad observationem legum adigendi, proprie est in legislatore, & cui [18] legum custodia, atque executio est commissa.

Materia legis esse debet possibilis & utilis. VIII. Illud quod per leges alicui injungitur, debet non solum intra vires esse illius, cui leges feruntur, sed & utilitatem aliquam afferre sive illi ipsi, sive aliis [19]. Nam uti sub comminatione pœnæ aliquid exigere velle ab aliquo, quod est & semper fuit supra ipsius vires positum, absurdum & crudele fuerit, ita supervacuum est naturalem voluntatis libertatem constringere, si nulla in quenquam utilitas inde proveniat. [20]

---

valet. Sed pœnarum sanctio est de essentia legis, præmiorum non item; neque hæc inter legis characteres & obligationis indicia numerari solent. Ratio est, quia dolor magis acriter pungit, & voluntatem propensiùs movet, quam voluptas. Vid. nos *supra*, ad cap. i. 14.

[18] Pro *cui* legit Weberus *in iis quibus*.

[19] Non necesse est, ut lex singulis prosit, quod sæpe fieri non potest. Liv. xxxiv. 3. *Nulla lex satis commoda omnibus est: id modo quæritur, si majori parti & in summam prodest.* Alteram etiam legum conditionem addere oportet, scil. ut sint justæ, id est, ut nihil in se contineant superiori alicui legi contrarium; aliter non obligant.

[20] Si ex hoc loco objiciat aliquis contra Dei leges *positavas*, responsum est, eas omnes quiddam in se continere subjectis utile. Deus nihil facit frustra. Quod si ratio legis nobis non pateat, attamen obtemperandum est, si modo de ejus auctoritate satis constet: quoniam non ratio legis, sed auctoritas legislatoris obedientiæ causa esse debet.

IX.

IX. Quanquam autem regulariter lex omnes legislatoris subditos complectatur, in quos materia legis quadrat, & quos legislator ab initio exemtos non voluit; interdum tamen contingit, ut ab obligatione legis aliquis peculiariter solvatur. Id quod *dispensare* vocant [21]. Uti tamen dispensare ille tantum potest,

Cap. 2.

Dispensare quid? quis possit? qua cautela?

c. vi. § 17.

[21] Aliud est legem tollere; aliud vinculum ejus circa personam aut factum singulare (manente de cætero lege) adimere; hoc vero est *dispensare*. Quod si legislatori potestas competat leges abrogandi & penitus tollendi (quod apud omnes in confesso est) proculdubio & à fortiori earum vinculum pro tempore potest solvere. Quidnam vero de legibus divinis existimandum est? Hic distingui solet à Barbeyraccio aliisq; inter leges *naturales* & *positivas*, & affirmari has dispensationem admittere posse, illas vero non item. Quid autem? Nonne cum Deo aliisq; legislatoribus commune est, ut ab obligatione & pœna legis aliquem liberent, pro re nata? Proculdubio cæcus est qui non hoc non videt. Exinde autem fit quosdam in errorem de hac re lapsos fuisse quod legem moralem voluntati divinæ antecedentem & prorsus independentem supponunt, eamque à priori, i. e. ab æterna & immutabili rerum relatione derivent. Non hujus est loci hanc opinionem ad examen revocare, quod alibi ex instituto feci. Vid. *Tractat. de Morali Obligatione*. Hoc solum statuere liceat, Deum, quatenus omnium creatorem & dominum, non posse non legis moralis, cui subjiciuntur creaturæ, conditorem haberi; quæ quidem lex infinitæ sapientiæ & bonitati congrua erit, utpote quæ auctorem habeat omnibus perfectionibus præditum. Si materiam ejus spectes, varia est & mutabilis pro datis circumstantiis: si vero finem, ideo immutabilis est quoniam Deus mutari nequit, ideo indispensabilis, quoniam ens perfectissimum nequit id velle, quod non est optimum. Parentem,

Cap. 2. test, cui legem ferendi & abrogandi potestas competit; ita cavendum, ne promiscua, & citra gravissimas causas facta dispensatione, auctoritas legum convellatur, & invidiæ atque indignationi inter subjectos ansa præbeatur [22].

X. A dispensatione tamen multum differt *Æquitas*, quæ est correctio ejus, in quo lex deficit ob universalitatem [23]; seu dextra legis interpretatio, qua ex naturali ratione ostenditur,

---

tem, ut immolaret filium, jubere potest, quippe *vitæ* solus est auctor & dominus; ipsum vero actionis finem mutare, sive velle ut quispiam sit animo crudelis, perfectio ipsius naturæ prohibet. Porro, si materiam legis moralis cum positiva comparamus ea mente, ut quænam sit præferenda judicemus; procul omni dubio positiva morali *in genere* cedat, oportet; etsi non est diffitendum Regulam hanc generalem exceptionibus subjici posse. Si stricte loquamur, nulla Dei mandata (sint positiva an naturalia) dispensationem ab hominibus admittere possunt: sed cum duo simul obligare videntur, & utrisq; obtemperandi non datur facultas, id cedat oportet, quod minùs necessarium videtur; de qua necessitate ex variis circumstantiis collatis judicandum est. Generales quædam regulæ afferri possunt, quæ huic rei dijudicandæ inserviant; qualis est ista Ciceronis *de Inv.* 2. "Primum leges oportet contendere considerando, utra lex "ad majores, hoc est, ad utiliores, ad honestiores ac "magis necessarias res pertineat: ex quo conficitur, ut "si leges duæ aut si plures aut quotquot erunt, conser- "vari non possint, quia discrepent inter se, ea maxime "conservanda putetur, quæ ad maximas res pertinere "videatur." Vid. infra caput ultimum hujus libri.

[22] Causæ dispensationis à Grotio allatæ sunt duæ, *intrinsecæ* aut *extrinsecæ*; i. e, Implicitæ ipsi negotio, ut,

tur, casum aliquem peculiarem sub lege universali non comprehendi, eo quod alias absurdi quid inde foret secuturum. Nam quia ob infinitam varietatem omnes casus neque prævideri, neque exprimi possunt; ideo judices, quorum est generalia legum decreta ad speciales casus adplicare, debent a lege excipere ejusmodi casus, quos excepturus fuerat ipse legislator, si præsens adesset, aut tales casus prævidisset [24]. Cap. 2.

XI.

---

aut exteriùs accedentes. 1. *Intrinseca*, cum si non injusta, dura tamen est pœna ad factum comparata. 2. *Extrinseca* ex merito aliquo aut alia re commendante; aut etiam spe magna in posterum. *De Jure B. & P.* L. II. c. xx. § 25, 26.

[23] Similiter ARISTOTELES *Ethic. ad Nicom.* L. V. c. 10. Ὅταν οὖν λέγῃ μὲν ὁ νόμος καθόλου, συμβῇ δ' ἐπὶ τούτοις παρὰ τὸ καθόλου, τότε ὀρθῶς ἔχει, ᾗ παραλείπει ὁ νομοθέτης καὶ ἥμαρτεν ἁπλῶς εἰπών, ἐπανορθοῦν τὸ ἐλλειφθέν, ὃ κἂν ὁ νομοθέτης οὕτως ἂν εἶποι ἐκεῖ παρών· καὶ εἰ ᾔδει, ἐνομοθέτησεν ἄν. *Cum igitur lege generaliter locuta, aliquid evenit postea præter genus illud universum; tunc æquum est, qua prætermisit aliquid legislator & peccavit in eo quod absolute locutus est, id quod deest quodque omissum est, corrigere: quod etiam legislator, si illic adesset, ita eloqueretur, & de quo legem tulisset, si præscivisset.*

[24] *Dispensatio* legem vel legis partem pro tempore abrogat; *æquitas* ejus rigorem minuit, & mentem legislatoris magis quam literam legis respicit. " Aliud est (inquit GROTIUS) legem aut probabili aut urgente causâ tollere, aliud declarare factum ab initio *mente* legis non fuisse comprehensum." *Ubi supra.* Vid. VANDER MUYLEN *in loc.* Sæpe verissimum est tritum illud dogma; *summum jus, summa injuria*; in

Cap. I.

Actio per legem licita, bona, mala.

XI. Porro a relatione & congruentia ad normam moralem, actiones humanæ certas sortiuntur qualitates, & denominationes. Et istæ quidem actiones, de quibus in neutram partem quid disponit lex, vocantur *Licitæ sive Permissæ.* Etsi quandoque in vita civili, ubi non omnia ad vivum possunt resecari, illa etiam licita dicantur, in quæ pœna fori humani non est constituta, etsi in se honestati naturali repugnent [25]. Quæ porro actiones cum lege congruunt, *Bonæ*; quæ discrepant, *Malæ* vocantur. Sed ut aliqua actio bona sit, necessum est, ut ex omni parte cum lege congruat

L. v. c. 12 § 21. L. ii. c. 7. § 1, 6.

quo casu æqui est judicis legem corrigere, non tollendo ejus obligationem, sed declarando eam in hoc casu non obligare; & non regulam sed ejus qui regulam dedisset mentem & propositum sequi. De hac re legas omnino Grotii *Tractatum de Æquitate* ad calcem 2di Vol. *de Jure B & P.* Edit. Barbeyr.

25 "Permissio quæ lege fit aut plena est, quæ jus dat "ad aliquid omnino licitè agendum; aut minor plena, "quæ tantum impunitatem dat apud homines, & jus "ne quis alius impedire licitè possit." Grot *de Jure B & P.* L. I. c. ii § 17. Proculdubio longe a veritate abest Dogma *Hobbesianum,* leges humanas esse adæquatum moralium actionum criterion. Verissimum est effatum Senecæ *Troad* v. 334.

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

26 *i. e.* Quoad qualitatem vel dispositionem agentis, objectum, finem aliasq; circumstantias actionis. Sic ut linea recta sit, necesse est, ut ex omni parte cum regula congruat. Si vel in unâ parte deflectat, obliqua fiet. Eodem modo, si actio aut plane cum lege non conveniat,

gruat [26]; ut mala ſit, ſufficit, ſi in una duntaxat parte deficiat.

Juſtitia actionis & perſonæ: hæc quæ?

XII. Justitia autem quandoque eſt attributum *Actionum*, quandoque *Perſonarum.* Quando *juſtitia perſonæ* tribuitur, ſolet vulgo definiri, quod ſit conſtans & perpetua voluntas *ſuum cuique tribuendi* [27]. Juſtus quippe vir dicitur, qui juſta faciendo delectatur, qui juſtitiæ ſtudet, ſeu in omni re conatur facere id, quod juſtum eſt. Injuſtus contra, qui negligit cuique ſuum tribuere, vel id non debito ſuo, ſed præſente commodo menſurandum exiſtimat: Sic ut juſti hominis non paucæ poſſint eſſe actiones injuſtæ; & vice verſa [28]. Juſtus c. vii. § 6.

---

niat, aut vel unica circumſtantia deſit, mala eſt. Tantum abeſt, ut una *περίστασις* actionem legi repugnantem reddere poſſit bonam. Unde bona intentio non per ſe ſufficit ad bonitatem actûs, & celeberrima methodus *intentionem* dirigendi corruit.

[27] Juſtitia *perſonarum* eſt ſtudium voluntatis noſtræ juſtitiam actionum ritè exercendi; juſtitia verò *actionum* eſt congruentia legis & actionis erga alium exercendæ hominem. Illa pertinet ad præparationem & perfectionem voluntatis, cujus curam diſciplinæ morali a jure naturæ diſtinctæ relinquere debemus; hæc vero ad juris prudentiam meritò refertur. Miror autem quod cùm jurium cultores juſtitiam actionum curent atque finem eſſe credant, in definienda tamen juſtitia ſua adhibeant definitionem juſtitiæ perſonarum, quo ipſo hanc cum illa perperam confundunt. Lehman.

[28] *Materialiter* quidem, ſed non *formaliter.* Nequit juſtus, quà juſtus, *formaliter* contra legem peccare. *Quicunque enim totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Jac. ii. 10.

Cap. 2. quippe justa facit propter præceptum legis, injusta non nisi per infirmitatem: injustus autem justa facit propter pœnam legi adjunctam, injusta per animi malitiam.

Illa quæ; & quid ab ejus bonitate differat?

c. vii. § 7.

XIII. Quando vero *Justitia actionibus* tribuitur, tunc nihil aliud est, quam recta adplicatio earundem ad personam. Et justa actio, quæ ex proæresi, seu a sciente & volente adplicatur ad personam, cui illa debetur. Sic ut *justitia* actionum a *bonitate* in hoc potissimum differat, quod hæc simpliciter notet convenientiam cum lege, justitia autem præterea involvat respectum ad eos, in quos actio

---

29 Bonitas est virtus *generalis*, justitia *specialis*. Actio *bona* est, quatenus cum lege convenit; *justa* verò, quatenus relationem habet ad alium, qui *jus* habet eam à nobis exigendi.

30 Obscuré satis differentiam *bonæ* & *justæ* actionis auctor hìc exponit: bona enim actio quoque respectum ad alios involvit, quum ad illius essentiam requiratur, ut in omnibus circumstantiis etiam *personarum* cum norma agendi conveniat. Ergo sic mihi res videtur explicanda: Bonitas terminus generalis est, notans, 1. Qualitatem actionis moralem, qua cum norma agendi, quæcunque illa sit, convenit. Bona ergo actio est, tum quæ convenit principiis justi, tum quæ conveniens est principiis honesti & decori. Justitia è contrario notat illam actionis qualitatem, qua per obligationem externam ad normam legis strictè sic dictæ sive ad principia justi composita est. Omnis itaq; actio justa, bona quoque necessario est, sed non omnis actio bona statim justa in sensu proprio dicenda; e. g. decoræ actiones nihil justi involvunt. 2. Bonæ quoque & malæ actionis terminus præter conformitatem cum regula agendi involvit quoque respectum boni & mali, quod

actio exercetur [29]. Quo nomine etiam justitia virtus adversus alium dicitur [30]. Cap. 2.

XIV. Justitiæ divisionem non omnes eodem modo instituunt. Receptissima est divisio in *Universalem* & *Particularem* [31]. Illa dicitur, quando quodcunque officium exercetur erga alios, etiam quod per vim, aut intentata in foro actione exigi non poterat [32]. Hæc autem est, quando alicui potissimum exhibentur, quæ ille suo jure [33] postulare poterat, & hæc iterum solet dividi in *Distributivam* & *Commutativam* [34]. Illa nititur pacto inter societatem & membra inito circa participandum

Justitiæ divisiones vulgares. c. vii. § 8, 9.

quod per eandem ex potestate normæ agendi in nos redundant: justitia verò & injustitia actionum solam convenientiam & disconvenientiam cum norma legis significat. Trever.

31 Hanc dicit Grotius *expletricem*, quòd per eam expletur & satisfit cuique pro eo, quod ab illo accepimus: illam *attributricem*, quòd per eam plus alteri attribuitur, quàm suo jure postulare poterat. Grot. *de Jure B. & P.* L. I. c. i. § 8.

32 *i. e.* Quæ officia præstat, non nisi jure *imperfecto* alteri debita, ut liberalitatis, misericordiæ, gratitudinis.

33 *i. e.* Jure *perfecto*, ut in contractibus, emtionibus, sponsionibus.

34 Hanc justitiæ subdivisionem *Aristoteli* auctori referamus, oportet. *Ethic. ad Nicom.* L. v. c. 2. quæ tamen non sine justitiâ plerisque displicet, quibus accommodatior videtur *Grotiana* in *Rectoriam*, & *Æquatoriam*: Illa inter inæquales, hæc inter æquales versatur. *Rectoriæ* tot sunt species quot sunt societates in quibus alii imperant, alii parent; *Æquatoriæ* tot sunt species,

 quot

Cap. 2. cipandum pro rata damnum & lucrum. Hæc autem nititur contractu bilatere potissimum circa res & actiones in commercium venientes.

Injustitia, injuria, culpa quæ?

XV. Cognito quid justitia sit, facile etiam quid *Injustitia* sit colligitur [35]. Ubi observandum, quod actio injusta, quæ destinato ex consilio suscipitur, & per quam violatur quod alteri *perfecto jure* [36] debebatur, aut quod tali jure undecunque partum is possidebat; proprie *Injuria* vocetur. Quæ triplici modo fit: vel si alicui denegetur, quod suo jure postulare poterat, [37] (non si quid duntaxat ex humanitate aut simili virtute debebatur;) vel si auferatur, quod suo jure [38] adversus auferentem valente [39] tenebat; vel si malum aliquod alteri inferatur, quod inferendi potestatem non habebamus [40]. Ad injuriam præterea requiritur destinatum consilium, & malitia ejus, qui facit [41]. Quæ ubi abfuerit, læsio alterius *Infor-*

c. vii. § 14.

---

quot sunt genera officiorum, quæ homo erga hominem, civis erga civem præstare tenetur. Sic licet majori in minorem, quod non licet minori in majorem, aut pari in parem. Grot. *de Jure B. & P.* L. I. c. i. § 3. Buddei *Philos. Pract.* P. II. c. ii.

35 Nam hæc illi directè adversatur. Rectum est index sui & obliqui.

36 Jus *perfectum* vocatur, quo quis id quod suum est actione in foro exigere potest, ut in contractibus: *imperfectum* vero, quo quis aliquid jure benevolentiæ aut humanitatis debitum recte expectare potest, non autem actione exigere, ut in Eleemosynis.

37 E. G. Damnum resarcire, contractum peragere, &c. Barbeyrac.

tunium

tunium aut *Culpa* vocatur, gravior aut levior, prout gravis aut levis fuerit ſocordia & negligentia, ex qua quis in alterum velut incurrit. Cap. 2.

Lex divina, humana, naturalis, poſitiva.

XVI. LEX reſpectu auctoris dividitur in *Divinam* & *Humanam*; illa abs Deo, hæc ab hominibus lata eſt. Sed ſi lex conſideretur, prout neceſſariam & univerſalem congruentiam cum hominibus, vel minus, habet; dividitur in *Naturalem* & *Poſitivam*. Illa eſt, quæ cum rationali ac ſociali natura hominis ita congruit, ut humano generi honeſta & pacifica ſocietas citra eandem conſtare nequeat. Unde & illa per rationis homini congenitæ lumen, & ex conſideratione humanæ naturæ, in univerſum inveſtigari & cognoſci poteſt. Hæc eſt, quæ ex communi conditione humanæ naturæ haudquaquam fluit, ſed abs ſolo legiſlatoris placito proficiſcitur: etſi nec ipſa ſua ratione, ac uſu, quem certis hominibus aut peculiari ſocietati generat, carere debeat [42]. c. vi. § 18.

Eſt

---

[38] E. G. Bona vel Jura, quæ actu poſſidet. IDEM.

[39] Hæc exceptio jus ſpectat, quod Principes ſibi vendicant bona aliorum proſcribendi, qui crimina quædam atrocia perpetrarunt. IDEM.

[40] Hæc etiam limitatio jus magiſtratûs pœnas commerentibus infligendi reſpicit. IDEM.

[41] Ut paucis dicam: ad injuriam requiritur. 1. Ut actio ex proæreſi ſuſcepta ſit. 2. Ut inferatur invito; nam *volenti nulla ſit injuria*. 3. Ut actio ſit lege prohibita. 4. Ut jus alterius perfectum lædatur.

[42] Diverſitas, quæ legibus *moralibus* cum *poſitivis* divinis intercedit, ſic breviter definiri poteſt. *Morales* ſunt immutabiles & univerſales, quippe quæ neceſ- ſarium

Cap. 2. Est autem *Lex divina* alia *naturalis*, alia *positiva*. *Humana* autem omnis, presse accepta, *positiva* est.

CAP.

---

sarium habeant nexum cum humana felicitate; *positivæ* vicissim variæ & mutabiles, non sine justa ratione institutæ, sed variis hominum circumstantiis accommodatæ. Dum vis sua maneat, quiddam secum ferunt, in quo cum moralibus communicant, *viz.* quatenus fidem in Deo implicant, & lex sit moralis, quod Deo confidamus & obtemperemus. Sed notandum, fuisse homines, qui leges quasdam positivas *universales* asseruerunt; sed frustra. Ita Grotius jus positivum dividit in id quod datum est humano generi, & id quod populo uni concessum. *Humano generi*, inquit, *ter jus datum a Deo reperitur: statim post hominem conditum, iterum in reparatione humani generis post diluvium, postremo in sublimiori reparatione per Christum. Tria hæc jura haud dubie omnes homines obligant*; recte quidem addit, *ex quo quantum satis est ad eorum notitiam pervenerunt*, De Jure Belli & Pac. L. I. c. i. § 15. Sed cum divina revelatio non sit universalis, plane patet ab ipsis Grotii verbis ultimo memoratis has leges positivas non esse universales. Promulgatio est legi essentialis, sed nullarum legum positivarum ratio promulgandi sufficere potest, ut per eam certo ad omnium hominum notitiam leges istæ pervenire potuerint, quod tamen ad legem universalem omnino requiritur. Multa de hac re inutiliter disputarunt *Germani*, uti videre erit cui libet in Lehmanni *not.* ad hunc locum.

[1] Quoniam fuerunt, qui ipsam legis naturalis existentiam labefactare ausi sunt, ideo imprimis quærendum est, utrum *existat lex naturæ?* Frustra, inquit Grotius, de jure suscipitur disputatio, si ipsum jus nullum. Eam verò partem suscepit apud veteres Carneades, cujus disputationis, narrante Lactantio, hæc fuit summa. *Jura sibi homines pro utilitate sanxisse*

CAP. III.

De Lege Naturali.

I. QUÆNAM Legis naturalis [1] sit indoles, quæ necessitas, & quibus eadem præceptis in isthac mortalium conditione constet, planissime perspicitur, si

Cap. 3.
Lex naturæ ex natura hominis eruenda.

sanxisse, scilicet varia pro moribus, & apud eosdem pro temporibus sæpe mutata; jus autem naturale nullum esse. Instit. L. V. c. xvii. Et ad hanc rem Horat. 1. *Serm.* iii 98.

Atq; ipsa utilitas justi prope mater & æqui.

Ibid. v. 113.

Nec natura potest justo secernere iniquum.

Contra quos disputat Grotius ex *appetitu societatis, qui homini est proprius, cum his qui sui sunt generis.* Proleg. § 6. Fuerunt & apud Philosophos istæ disciplinæ, quæ cum summum bonum suis commodis non honestate metiri soleant, idque voluptatem statuant (ut *Epicurus* & qui de suo grege sunt) bonorum & malorum fines destruunt & officium omne pervertunt. "Hæ "disciplinæ (inquit Cicero) si sibi consentaneæ esse "velint, de officio nihil queant dicere: neque ulla "officii præcepta firma, stabilia, conjuncta naturæ "tradi possunt, nisi aut ab iis qui solam [ut *Stoici*] aut "ab iis qui maximè [ut *Peripatetici*] honestatem prop-"ter se dicunt expetendam." *De offic.* I. 2. Vult Hobbesius *civiles esse regulas boni & mali, ideoq; quod legislator præceperit, id pro bono; quod vetuerit, id pro malo habendum esse.* De Cive, c. xii. § 1. Et pari ratione ipsam *rerum naturam*, voluptatem & dolorem, vel rationem numerorum & quantitatum ab eodem principio

Cap. 3. si quis naturam & ingenium hominis penitius perscrutatus fuerit *. Sicuti enim ad accuratam

L. ii. c 3. § 14.

pio derivare fas erit Nam lex naturæ omnino ex rerum naturâ petita est; & hac manente aut mutatâ, illa proculdubio pariter manet aut mutatur. Sed de hac re adeas omnino Cumberland. *de Leg. Nat.* Cap. v. Pufendorf. *de Jure Nat. & Gent.* L. II. c. iii. § 10.

* Varii auctores ex variis principiis jus naturæ deducunt. *Primo*; Romani jurisconsulti *jus naturale* vocant, *quod natura omnia animalia docuit.* Vid. Just. *Instit.* L. I. Tit. ii. Ii autem vocibus abutuntur; vel sensu nimis arcto coercent. Nam (Grotio auctore) *juris proprie capax non est, nisi natura præceptis utens generalibus.* De Jure B. & P. L. I. c. i. § 11. Et testis est Cicero, *Nihil juris esse homini cum bestiis.* De Finib. L. III. c. xx. *Conf.* Pufend. de Jure Nat. & Gent. L. II. c. iii. § 2, 3. *Secundo*; Sunt, qui innatum esse volunt, vel naturâ mentibus humanis insitum. Et eâdem ratione affirmare licet mathesin vel quamvis scientiam esse innatam. Conf. *de Jure N. & G.* Ibid. §. 13. *Specimen Controv.* Cap. iv. § 23. Velthuysen. *de Princip. Justi & Decori.* Locke *de Intell. Hum.* L. I. *Tertio*; Alii ex naturali societatis appetitu oriundum esse volunt, qui à scopo haud multùm aberrant; si cum grano salis voces interpretamur; homini scilicet inesse facultatem sciendi agendiq; secundum generaliâ præcepta, *v. g.* ut jus suum cuiq; tribuat, neminem lædat, &c. quorum extra societatem nullus est usus. Grot. *Proleg.* § 7. Cicer. *de Leg.* i. 5. *Quarto*; Quidam sunt, qui fontem juris in universo hominum consensu inveniunt. *Omni in re* (ut Ciceroni placet) *consensio omnium gentium lex naturæ putanda est.* Tusc. Disp. i. 13. Cui sententiæ suffragatur Aristoteles. Φυσικὸν μὲν δίκαιον τὸ πανταχῦ τὴν αὐτὴν ἔχον δύναμιν. *Id jus naturale est, quod ubiq; eandem vim obtinet.* Eth. L. v. c. 10. Sed quænam jura sunt, quæ ubique obtinent, vel de quibus inter omnes convenit? Aut si rem ita se habere concedatur, haud exinde

tam legum civilium cognitionem plurimum facit, ſtatum civitatis moreſque & ſtudia civium Cap. 2.



---

inde patebit ratio, quare hoc juſtum ſit, aliud injuſtum; quæ à veris principiis recte ratiocinando ſolùm colligatur. Conf. Pufend. *de Jure Nat. & Gent.* L. II. c. iii. § 7, 8, 9. Hobbes. *de Cive*, C. II. § 1. *Quinto*; Nonnulli naturalem quandam rectitudinem, aut pravitatem actionibus ineſſe volunt, quæ fons & origo eſt juris naturalis, ſemotis omnibus circumſtantiis, putà legiſlatoris auctoritate, præmiis vel pœnis, bono vel malo inde conſecuturis. Clarke *de Nat. & Rev. Relig.* Prop. i. Quæ hypotheſis in eo deficit, quòd vel datur lex ſine obligatione, vel obligatio ſine neceſſitate morali, vel neceſſitas moralis ſine incitamento, vel incitamentum ſine reſpectu ad felicitatem aut miſeriam; *i. e.* effectus ſine cauſâ. Conf. Pufend. *de Jure*, L. II. c. iii. § 4. *Sexto*; Alii ex voluntate divina derivatum eſſe volunt, qui in duas partes diſtrahuntur: vel (cum Hobbesio) Deum pro arbitrio omnia agere fingunt, rerum naturas nihil morantem; adeo ut quod jam rectum eſt, mutato conſilio, obliquum fuerit, & vice verſâ, quo nihil magis abſurdum aut iniquum concipi poteſt; [Uti demonſtrat Cudworthus *de æterna & immut. Moral.* C. iii.] vel ad eſſentiales Dei perfectiones reſpectum habent, & jus naturæ immutabile eſſe dicunt, quoniam Deus mutari nequit. Rectè, ut opinor, agunt, qui Deum juris naturalis quippe ipſius naturæ auctorem agnoſcunt; (nam, ut loquuntur Logici, *quicquid eſt cauſa antecedentis, idem eſt cauſa conſequentis*) attamen quiddam ulterius progredi oportet. Parum proficit legis auctorem cognoſcere, lege ipſâ haud cognitâ. Sed qua ratione lex divina nobis innoteſcet? In veritate inveſtigandâ à notioribus ad minus nota datur progreſſus: & qui voluntatem Dei intelligere volunt, à *natura* & relationibus rerum ad leges *naturales* progrediuntur, quas proinde divinæ voluntati congruas eſſe, & ab ea ſtabilitas & ſancitas concludendum eſt; ut omnem obligandi vim exinde obtineant. Hæc ni eſſet

Cap. 8. vium probe intellexisse: ita perspecto communi mortalium ingenio statuque facile patebit, quibus legibus eorundem incolumitas contineatur.



Conservationi sui ante omnia homo studet. c. iii. § 15.

II. Id igitur homo habet commune cum omnibus animantibus, queis sensus sui inest, ut se ipso nihil habeat carius, *seipsum studeat* omnibus modis *conservare:* ut quæ bona sibi videntur, adquirere; quæ mala, repellere nitatur. Qui quidem affectus regulariter tantus est, ut reliqui omnes eidem cedant [3]. Et quicunque hominis salutem impugnatum it, eum non potest non iste aversari, eousque ut etiam depulso malo intentato plerumque odium & cupiditas vindictæ adhuc remaneat.

Ei, citra societatem, minus quam bruta, par. c. iii. § 16.

III. Ast in eo præ brutis homo deteriore jam conditione videtur, quod vix ullum aliud animal tanta a nativitate *imbecillitas* prosequatur; sic ut miraculi sit instar futurum, si quis ad maturam ætatem pervenerit, nisi aliorum

---

set, non esset lex. Naturales ejus effectus suadere possunt, ut observetur; obligare non possunt. *Septimo*; Restat denique alia investigandi methodus, (quam persequitur auctor noster) omnibus aliis longe præferenda; *scil.* jus naturale â naturâ hominum repetendo; non à statu isto integro & perfecto, quem quidam sibi in mente fingere possunt & mere idealem esse arbitror; sed à tali hominum naturâ, qualem in nobis experimur, aliisq; nobiscum communem esse intelligimus. Quicquid huic naturæ convenit, Deus non potest non approbare, contrarium improbare. Conf. Pufend. *de Jure Nat. & Gent.* L. II. c. iii. § 14.

3 Audiamus Ciceronem *de Offic.* I. 4. "Generi "animantium omni est à naturâ tributum, ut se, vitam "cor-

rum hominum auxilium accedat. Cum nunc inter tot inventa humanæ necessitatis adminicula, plurium annorum solicita informatio requiratur, ut proprio quis Marte victum & amictum sibi parare queat. Fingamus hominem, citra omnem ab aliis hominibus accedentem curam & culturam ad robustam ætatem provectum, cui nihil sit scientiæ, nisi quod ex proprio ingenio velut ultro pullulavit, eundemque ab omni aliorum hominum ope atque consortio in solitudine destitutum [4]. Sane vix miserabilius animal deprehendetur. Elingue nimirum ac nudum, cui nihil aliud relictum, quam herbas radicesque vellere, aut sponte natos fructus legere: sitim fonte, flumine, aut lacuna obvia levare; repellendis aeris injuriis antra subire, aut musco gramineve corpus utcunque tegere; tempus tædiosissimum per otium exigere; ad quemvis strepitum aut alterius animantis occursum exhorrescere: deni-

Cap. 3.

" corpusque tueatur, declinetque ea quæ nocitura vi-
" deantur, omniaque quæcunque ad vivendum sint ne-
" cessaria acquirat & paret." Et hic quidem *sensus* est vere naturalis & innatus: nunquam non agit, nec ullâ vi aut consilio deponi potest. In eo ab omnibus aliis affectibus distinguitur; unde merito dubitari potest, utrum quivis alius pro innato habendus sit; an non omnes ex usu & consuetudine vel idearum associatione ortum ducant. Vid. Tractat. nostrum *de Morali Oblig.* Cap. v.

4 Declarat auctor in *Eride Scandicâ*, pag. 301, 302; hoc figmentum esse, non pro vero venditandum, sed rei illustrandæ gratiâ suppositum; quod ex Revelatione divinâ falsum esse constat. Similiter fingit Grotius in *Proleg.* § 11, & Hobbes, *de Cive*, c. 8.

que

Cap. 3. que fame, frigore, aut per feram bestiam d mum perire[5]. Contra, quidquid jam com moditatum vitam humanam comitatur, id om ne ex mutua hominum ope redundavit. Si ut post Deum O. M. nihil in hoc orbe sit, e quo major utilitas homini provenire queat, quam ex ipso homine.

Ob majorem alteri nocendi proclivitatem.

IV. ISTHOC tamen tam utile invicem animal non paucis laborat vitiis, & non minore *nocendi facultate* præditum est; quæ conjunctionem cum ipso reddunt satis ancipitem, magnamque requirunt cautionem, ne pro bono malum quis ab illo sortiatur. Jam primum major fere ad nocendum proclivitas in homine, quam in quovis brutorum deprehenditur. Nam bruta fere cibi desiderio & Veneris efferuntur, quorum utrique tamen facili negotio ipsa satisfacere possunt. Et eo desiderio sopito non temere in iras, aut ad lædendum

5 Litem non movet auctor de primævo hominum statu, qui non nisi revelationis ope nobis innotescit; sed propositum est tantùm contemplari statum hominum in quo extra societatem civilem absque ullâ culturâ & institutione degere intelliguntur. Hunc statum sic describit CICERO; " Fuit quoddam tempus, cum in " agris homines passim bestiarum more vagabantur, " & sibi victu ferino vitam propagabant: nec rati" one animi quicquam, sed pleraq; viribus corporis " administrabant. Nondum divinæ religionis, non " humani officii ratio colebatur: nemo legitimas vi" derat nuptias: non certos quisquam inspexerat libe" ros: non jus æquabile, quid utilitatis haberet, ac" ceperat. Ita propter errorem atque inscitiam, cæ" ca ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad se ex" plenda

dendum alios concitantur, nisi quis irritaverit. Ast homo animal est nullo non tempore in libidinem paratum; cujus stimulis longe frequentius vellicatur, quam conservandæ speciei necessarium videbatur. Ejusdem quoque venter non satiari duntaxat, sed & titillari vult; & sæpe plura adpetit, quam natura digerere valet. Vestibus ne indigerent bruta, natura prospexit: Ast homo non ad necessitatem tantum, sed & ad ostentationem vestiri gaudet. Multi præterea affectus atque cupidines, brutis ignoti, in mortalium genere deprehenduntur, ut superflua habendi libido, avaritia, gloriæ & inter alios eminendi cupiditas, invidia, æmulatio, ingeniorumque contentio. Indicio est, quod pleraque bella, quibus genus mortalium colliditur, ob causas gerantur brutis ignotas. Atque ista omnia stimulare homines possunt & solent, ut sibi mutuo nocere velint. Accedit in multis eximia quædam petulantia, Cap. 3.

" plendam viribus corporis abutebatur, perniciocissi-
" mis satellitibus." *De Invent.* L. I. Similiter *Critias* apud Sext. Empir. *adv. Phys.* c. 9. Ἦν ὁ χρόνος, ὅτ' ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος, καὶ θηριώδης, ἰσχύος θ' ὑπηρέτης, &c. Idem sentit Horatius, 1 Serm. iii. v. 99.

Cum prorepserunt primis animalia terris
Mutum & turpe pecus, glandem atq; cubilia propter
Unguibus & pugnis, dein fustibus atq; ita porro
Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus:
Donec verba quibus voces sensusq; notarent,
Nominaq; invenere: dehinc absistere bello,
Oppida cœperunt munire & ponere leges;
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.

&

Cap. 3.



& aliis insultandi libido; quibus cæteri, etiam modesto ingenio præditi, studio se ac suam libertatem conservandi ac tuendi, non possunt non offendi, ac ad resistendum accingi, Quandoque etiam homines ad mutuas læsiones incitat inopia, & quod præsens rerum copia cupiditatibus aut indigentiæ eorum non sufficiat.

Et majorem noxas mutuo inferendi vim;

V. Sed & maxima *vis* inest hominibus *ad noxas mutuo inferendas.* Nam etsi neque dentibus, neque unguibus aut cornibus sint formidabiles, ut multa brutorum: tamen habilitas manus in efficacissimum nocendi instrumentum evalescere potest; & solertia ingenii astu & per insidias grassandi facultatem dat, qua aperta vi pertingere non licet. Sic ut facillimum sit, hominem homini gravissimum malorum naturalium, nempe mortem, inferre.

Majoremque ad mutuas collisiones dispositionem.

VI. Denique & in genere humano consideranda est insignis illa *ingeniorum varietas*, qualis in singulis brutorum speciebus non cernitur; quippe quæ consimiles fere inclinationes habent, parique affectu & appetitu ducuntur. Ast inter homines quot capita tot sensus; & suum cuique pulchrum. Nec simplici aut uniformi cupidine omnes agitantur,

---

6 Ut ut infelix sit humanæ naturæ facies hoc modo depicta; attamen prorsus abhorret ab Hobbesianâ hypothesi, ut *homo homini naturâ sit lupus, & status naturæ status belli.* Omnino naturæ convenit, seu affectus hominum seu rationis dictamina spectemus, ut neminem lædant, aliena commoda promoveant, & omnibus benignos ac faciles se præbeant. Conf. *de Jure*, &c. *ibid.* § 16, 17.

sed

sed multiplici & varie inter se mixto. Imo unus & idem homo sæpe sibi dissimilis cernitur, & quod uno tempore concupivit, ab eodem alio tempore valde abhorret. Nec minor in studiis, institutis, & ad exserendum animi vigorem inclinationibus varietas, quæ jam in infinitis fere vitæ generibus conspicitur. Per quæ ne mutuo collidantur homines, solicita temperatura & moderatione opus est[6]. Cap. 3.

Unde deducitur societatis colendæ necessitas,

VII. Sic igitur homo jam est animal sui conservandi studiosissimum, per se egenum, sine auxilio sui similium servari impotens, ad multa commoda promovenda maxime idoneum; idem tamen juxta malitiosum, petulans, & facile irritabile, ac ad noxam alteri inferendam pronum non minus quam validum. Unde colligitur, eidem ut sit salvus, *necessum esse, ut sit sociabilis*, id est, ut cum sui similibus conjungatur, & adversus illos ita se gerat, ut ne isti probabilem causam accipiant eum lædendi, sed potius ejusdem commoda servare & promovere velint.

Huic servientes leges sunt leges naturæ.

VIII. Hujus ergo socialitatis leges, seu quæ docent quomodo quis sese debeat gerere, ut commodum societatis humanæ membrum existat, vocantur *Leges Naturales*[7].

---

7 Itaque auctoris conclusionum seriem sic breviter complecti possumus. 1. Homo necessario seipsum amat. 2. Indiget aliorum auxilio. 3. Tam ad nocendum quam ad juvandum alios proclivis est & idoneus. 4. Varius & mutabilis. 5. Hinc colligitur necessum esse, ut sit sociabilis. Et 6. Socialitatis leges sunt leges naturæ.

Cap. 3.

Lex fundamentalis, servandam socialitatem.

IX. His positis adparet, *fundamentalem legem naturalem* esse hanc: Cuilibet homini, quantum in se, colendam & servandam esse socialitatem [8]. Ex quo consequitur, quia qui vult finem, vult etiam media, sine quibus finis obtineri nequit; omnia, quæ ad istam socialitatem necessario & in universum faciunt, jure naturali præcepta; quæ eandem turbant aut abrumpunt, vetita intelligi. Reliqua autem præcepta sunt tantum velut subsumtiones sub hacce generali lege, quorum evidentiam lumen illud naturale hominibus insitum insinuat.

X.

[8] Ne latum unguem discedit hæc lex fundamentalis ab ista CUMBERLANDII. *Benevolentia maxima singulorum agentium rationalium erga omnes statum constituit singulorum omniumq; benevolorum, quantum fieri ab ipsis potest, felicissimum; & ad statum eorum, quem possunt assequi, felicissimum necessario requiritur; ac proinde,* COMMUNE BONUM ERIT SUPREMA LEX. *De Leg. Nat.* Cap. i. § 4. PUFEND. *de Jure N. & G.* L. II. c. iii. § 15.

[9] Frustra laborarunt atheismi defensores, ut ostendant morale bonum & malum cum suo impio systemate consistere posse, quod sic exposuit TOLANDUS in *adeisidæmone*, p. 71. " Virtutum & vitiorum discre-" pantiam lubens agnoscit *Atheus*, ab ipsâ utpote " rerum essentiâ promanantem, laudisque semper in-" ternæ & vituperii sibi conscius est ob ea, quæ rectè " aut secus fecerit. Quamvis nihil absolutè & per se " bonum aut malum fateatur, sed respectu tantum " habito ad bonos aut malos usus, quibus res quæque " inservit, prout scilicet homines gaudio afficit aut " dolore, vel in quantum tædet aut delectat. Cæte-" rum quo minùs mercedem ullam aut pœnam post

" mortem

X. Isthæc porro præcepta etsi manifestam habeant utilitatem, tamen ut eadem *vim legis* obtineant, necessum est præsupponi, *Deum esse*, & sua providentia omnia regere; eundemque mortalium generi injunxisse, ut ista rationis dictamina tanquam leges ab ipso vi congeniti luminis promulgatas, observent. Alias enim possent ea quidem fortasse observari intuitu utilitatis, sicut quæ a medicis regendæ valetudini præscribuntur; non autem tanquam leges; quippe quæ necessario ponunt superiorem, & quidem talem, qui alterius gubernationem actu susceperit 9.

Cap. 3.

Quæ ut vim legis habeat, supponendus Deus. c. iii, § 20

XI.

" mortem suspectat futuram, eò magis studere tene-
" tur præsentis vitæ (& unicè secundum illum) felici-
" tati; quam nemo tamen consequi posse novit absque
" aliorum adjumento & mutuâ operâ, quia nulla soci-
" etatis beneficia percipere debet ille nec percepturus
" est, qui aliis non fecerit quæ sibi fieri exoptat. En
" fundamentum virtutis & excitamentum!" Fundamentum quàm infirmum, quod in hâc solâ vitâ struitur! Excitamentum quàm turpe, quod homines urget & impellit, ut præsenti voluptati litent, & ad propria commoda promovenda solummodo se attentos præbeant! Systema morale, quod latronibus & piratis haud parum arridet, homine, cui vel mica salis aut generosæ indolis, penitus indignum! Non est, cur lectorem diutius morer in hypothesi tam absurdâ refellendâ; sed notandum est viros esse cordatissimos, qui in disserendo de morali obligatione se non satis cautos præbuerunt, dum leges naturæ eandem obtinere vim affirmant; etsi daremus non esse Deum, vel non curari ab eo negotia humana. [Grot. *Proleg.* § 11] Quanto rectius noster, qui divinam auctoritatem ad leges naturæ stabiliendas postulat! Quantò rectius ip-

 se

Cap. 3.



Legis naturalis Deus evincitur auctor.

XI. Esse autem Deum *legis naturalis auctorem*, ex ratione naturali ita demonstratur, si præcise præsenti mortalium conditioni inhæreamus, non attendendo an primæva conditio diversa ab hac fuerit, & unde ista mutatio provenerit. Cum natura hominis ita sit constituta, ut citra sociabilem vitam humanum genus incolume esse nequeat, hominisque animus notionum huc inservientium capax deprehendatur; & vero pateat, non solum genus humanum, uti alias creaturas, originem suam Deo debere; sed & eundem istud utcunque jam constitutum providentiæ suæ moderamine complecti: inde consequitur, Deum velle, ut homo iis viribus, quas sibi præ brutis peculiares inesse sentit, ad naturæ suæ incolumitatem utatur, utque adeo a brutorum exlege vita humana vita sit distincta. Id quod cum aliter, quam servata lege naturali, obtineri nequeat; intelligitur quoque a Deo obligatum hominem ad isthanc servandam, tanquam medium non ex arbitrio hominum inventum, ac ex eorum libidine mutabile, sed expresse ab ipso Deo huic fini procurando constitutum. Qui enim obligat ad finem, censetur quoque eundem

---

se Cicero, qui jamdudum sensit, *pietate adversus Deos sublatâ, fidem etiam & societatem humani generis & unam excellentissimam virtutem justitiam tolli.* De nat. Deor. I. 2. Etenim quis tam ineptus est, qui non plane percipiat ita comparatam esse hominum naturam, ut sepositis præmiis pœnisq; vitæ futuræ, effrænata quadam libidine ad vitia incitentur, ad privatum com

eundem obligasse ad usurpanda media fini necessaria. Sed & socialem vitam a Deo hominibus pro imperio injunctam esse, indicio est, quod in nullo præterea animante sensus religionis, aut metus Numinis deprehendatur, qui in animali exlege intelligi non posse videtur. Abs quo generatur tener admodum sensus in animis hominum non plane corruptorum, quo convincuntur, in legem naturalem peccando offendi illum, cui in animos hominum imperium est, & qui metuendus sit, etiam ubi ab hominibus metus non impendet.

Cap. 3.

Ea quo sensu dicatur esse natura nata?

XII. Quod vulgo dicitur, isthanc *legem natura natam* esse, id non ita capiendum videtur quasi in animis hominum jam nascentium inhæreant actuales & distinctæ propositiones circa agenda & fugienda. Sed partim quod illa per lumen rationis investigari possit; partim quod saltem communia & præcipua capita legis naturalis ita plena & liquida sint, ut statim assensum inveniant, & ita animis insolescant, ut nunquam inde iterum deleri queant, utut forte homo impius ad sopiendas conscientiæ vellicationes eorundem sensum plane studeat extinguere. Quo nomine etiam in

commodum, penitus attenti? Unde fit atheismum omnino societatem destruere, & si non plane cessat jus naturæ (seposita Dei existentia) tamen rationem legis habere non possit sed consilii tantum quod vel sequi vel negligere licebit, prout privatum commodum postulare videbitur. Vid. Barbeyrac ad Pufendorf. *de Jure*, &c. L. II. c. xix. § 19. Et nos *infra* ad cap. 4. § 9.

Cap. 3.


Sacris Literis *cordibus hominum inscripta* dicitur [10]. Inde & cum a puero ex vitæ civilis disciplina eorundem sensu inbuamur; & vero recordari non possimus id tempus, quando primum eadem hauserimus; non aliter de ea cognitione cogitamus, ac si illa nobis nascentibus jam adfuisset. Id quod cuilibet etiam circa linguam ipsi vernaculam contingit.

Officia legis spectant Deum, nosmet, alios. c 3. § 24.

XIII. *Divisio officiorum* quæ ex lege naturali homini incumbunt, commodissime videtur institui *secundum objecta*, erga quæ ista sunt exercenda. Quo intuitu illa in tres principales partes dispescuntur; quarum prima tradit, quomodo ex solo rectæ rationis dictamine

---

[10] PAUL. *ad Rom.* 2. 15. Ἔργον νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, nempe ethnicorum. Nemo, ut opinor, temere existimabit apostolum per locutionem hanc metaphoricam denotare voluisse naturales quosvis characteres, sive notiones innatas & in animis nostris ab origine quasi consignatas; cum nihil aliud voces significant, nisi juris naturalis principia tam manifesta & in aprico posita esse, ut nemo, nisi per se steterit, ea ignorare possit. " " Boni honestiq; notitiam " (inquit SENECA *Epist.* 120) nos docere natura non " potuit; semina nobis scientiæ dedit, scientiam non " dedit. Nobis videtur observatio collegisse, & re" rum sæpe factarum inter se collatio per analogiam " nostro intellectu & honestum & bonum judi" cante."

[u] Eandem officiorum partitionem sequitur CICERO. *Hæc Philosophia nos primum ad Deorum cultum, deinde ad jus hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudivit.* Tusc. Disp. i. 26. *Conf.* M. ANTONIN. L. viii. § 27.

mine quis ſeſe debeat gerere adverſus *Deum*; altera quomodo adverſus *ſeipſum*; tertia quomodo adverſus *alios homines* [11]. Quanquam autem primario & directe ea præcepta legis naturalis, quæ ad alios homines ſpectant, ex ſocialitate, quam fundamenti loco ſubſtravimus, deriventur: tamen etiam indirecte officia hominis egra Deum tanquam creatorem inde deduci poſſunt, quatenus ultimum firmamentum officiis erga alios homines a religione & metu Numinis accedit, ſic ut ſociabilis quoque non eſſet homo, ni religione foret imbutus [12], & quia ſola ratio in religione ulterius progredi nequit, quam quouſque illa inſervit Cap. 3.

[11] Variis modis ſocietatis commodis inſervit Religio. 1. Hæc ſola officia, quæ imperfectam obligationem ſecum ferunt, nobis obſtringit & rata fecit. 2. Quæ perfectè obligant, vim majorem & prorſus iis neceſſariam exinde recipiunt. Ut paucis dicam, religioni cum ſocialitate talis intercedit neceſſitas, ut metu numinis ſublato vix aut ne vix quidem ſtare poſſit humana ſocietas. Hic autem notat Barbeyraccius auctorem haud recte feciſſe in eo quod omnia officia, tam quæ ad Deum & noſmetipſos quam quæ ad homines ſpectant, ab uno eodemq; fonte [viz ſocialitate] derivare voluit. Supponatur, inquit, unicum ſolum eſſe in terris hominem, Deum nihilo minus colere, ſe incolumem ſervare, facultates quantum potuit excolere debet. Neque neceſſum eſt omnia officia ab uno effato deduci; ſed dicendum potius tria dari ſumma principia juris naturalis; quæ ſunt. 1. *Religio*, quæ officia erga Deum complectitur. 2. *Philautia*, quæ quicquid erga noſmet decet præſtare, continet. 3. *Socialitas*, ex qua derivatur omne id quod proximo debemus: Principia, quæ licet nexu inſolubili conjungantur

Cap. 3. servit promovendæ tranquillitati & socialitati hujus vitæ[13]. Nam prout religio salutem animarum procurat, ex peculiari revelatione divina provenit. Officia autem hominis erga seipsum ex religione & socialitate conjunctim promanant. Ideo enim quædam non pro absoluto suo lubitu homo circa seipsum disponere potest, partim ut cultor idoneus divini Numinis, partim ut commodum & utile membrum societatis humanæ esse queat.

---

gantur, & pariter omnia ad Deum tandem referantur, nihilominus indole sua diversa sunt, & tam prudenter exerceri debent, ut unum alteri non prævaleat, sed omnia intra limites suos contineantur.

[13] Hic nimiùm causæ suæ inservit auctor. Non prorsus negligenda sunt argumenta pro statu futuro ex lumine naturali ducta. Vid. nos *supra* ad Præf. § 5. & *infra* ad Cap. iv. § 8.



CAP. IV.

De Officio Hominis erga Deum; *seu*, De Religione Naturali*.

I. OFFICIUM hominis erga Deum, quantum quidem ex naturali ratione investigari potest, *duabus* partibus absolvitur: tum ut de Deo recte sentiamus, tum ut actiones nostras ad ipsius voluntatem componamus[1]. Inde religio naturalis constat propositionibus tum *Theoreticis*, tum *Practicis*.

Officium erga Deum constat sensu & cultu.

II. INTER ea, quae de Deo cuivis homini sentienda sunt, primum omnium est, ut certo persuasus sit, *Deum existere*, id est, revera dari summum aliquod & primum Ens, abs quo hoc universum dependeat. Id quod sapientes ex subordinatione causarum, quae demum

Sensus de Deo primum est, Deum existere:

* Omisit hoc caput auctor in opere majori; quippe ad theologiam naturalem, magis quam ad civilem doctrinam spectare existimaverit. Vid. *Eris Scandic*. p. 253. Sed recte hic locum habet, quoniam (ut supra nos monuit auctor) religio est firmissimum humanae societatis vinculum, & ea sublata jus naturale funditus evertitur.

[1] *Prius est Deum scire, consequens colere.* LACTANT. Div. Instit. L. IV. c. iv.

Cap. 4. mum in primo aliquo sisti volunt [2], ex motu [3] & ex contemplatione machinæ hujus universi [4]; & similibus argumentis liquidissime demonstrarunt [5]. Quæ si quis neget abs se capi posse, non ideo atheismi sui excusationem invenit. Cum enim universum genus humanum in perpetua velut possessione istius persuasionis fuerit, necessum erat, si quis eandem oppugnare velit, ut non solum omnia argumenta quibus Deus esse probatur, solide destruat,

[2] Argumentatio sic instituitur. Aliquid nunc existit, ergo aliquid exstitit ab æterno. Si negas, tum quod nunc existit, vel à nihilo existentiam recepit, *i. e.* datur effectus sine causa; *Q. E. A.* Vel sese produxit, *i. e.* aliquid egit, priusquam exstitit; *Q. E. A.* Vel ab alio productum est, quod & ab alio, & sic deinceps in infinitum; *i. e.* datur infinita series entium causatorum, in qua non datur primum. Sed infinita entium series contradictionem implicat; 1. Quia negativa est, (ut infinitus numerus, infinita quantitas) *i. e.* nequit actu existere. 2. Quia constat ex partibus finitis: demas ergo unam, tum infinitate minor est; *vel* unam addas, tum infinitatem excedit. *e. i.* unitate dempta, quod finitum fuit, fit infinitum, vel unitate addita, quod infinitum fuit, fit finitnm, aut quod infinitum, majus infinito. *Q. E. A.* 3. Quia in hac serie nullum datur ens, cujus non fuit principium; sed quicquid existere cœpit, aliquando futurum erat, quod vero futurum est, actu non existit; ergo tempus erat, cum nulla pars seriei exstitit; ergo non est infinita. *Q. E. D.*

[3] Corpus iners est; non movet sed movetur; ergo motus est effectus, sed effectus requirit causam, ergo principium habuit; unde patet, &c. *Q. E. D.*

[4] Ordo & structura systematis mundani, vel partium ejus, *v. g.* Terræ, vegetabilium, animalium quorum

struat, sed & plausibiliores rationes pro assertione sua proferat; Simulque cum generis humani salutem ea persuasione contineri hactenus creditum sit, ostendendum ipsi præterea fuerit, generi humano per atheismum melius consuli, quam retento sano cultu Numinis. Quod cum fieri nullo modo queat, omnium eorum, qui isthanc convellere quocunque modo aggrediuntur, impietas maxime est detestanda, & gravissimis pœnis coercenda [6]. Cap. 4.

III.

---

quorum ad finem certum collocatæ ac figuratæ sunt partes, architectum tanti operis tantiq; muneris plane demonstrant. Omnia ad certum finem destinantur, sed ob finem agere non est, nisi intelligentis naturæ. "Hic ego non mirer esse quenquam (ut cum CICERONE loquar) qui sibi persuadeat corpora quædam solida atq; individua vi & gravitate ferri, mundumq; effici ornatissimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existumat fieri potuisse, non intelligo cur non idem putet, si innumerabiles unius & viginti formæ literarum, vel aureæ vel quales libet, aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennî, ut deinceps legi possint, effici." *De Nat. Deor.* ii. 37.

[5] V. G. A consensu omnium gentium, ab idea entis perfectissimi, ab innatis notionibus, vel prolepsi quadam in mentibus hominum Deum esse, à miraculis, à spatio & duratione, à necessaria existentia quam vocant demonstrationem *a priori*; quorum argumentorum vim non est nostri instituti edisserere. Proculdubio non omnia æquali vi pollent, & si quædam penitus rejiciantur, nihil detrimenti capiet religio. Sed valeant singula, quantum valere possunt.

[6] Quoniam scil. eadem opera ipsa societatis vincula convellunt. Sensit ARISTOTELES eum, qui Deum hono-

Cap. 4.

Deinde, esse hujus universi conditorem

III. Alterum est, *Deum esse Universi hujus conditorem.* Cum enim ex ratione manifestum sit, isthæc omnia non extitisse a seipsis, oportet ut eadem summam aliquam causam habeant[7]. Quæ ipsa est id, quod Deum adpellamus. Ex quo consequitur, falli eos, qui subinde *Naturam* tanquam ultimam omnium rerum & effectuum causam crepant[8]. Nam si per

---

honorandum aut parentes amandos neget, non argumentis sed pœna edomandum esse. *Top.* L. I. c. xi. Cui opinioni adstipulatur Grotius. "Has notitias, " qui primi incipiunt tollere, sicut in bene constitu- " tis civitatibus coerceri solent, ut *Diagoræ Melio* acci- " disse legimus, & *Epicureis*, qui ex bene moratis ur- " bibus ejecti sunt ; " [Cic. *de Nat. Deor.* i. 42. iii. 47.] " Ita & coerceri posse arbitror nomine humanæ " societatis, quam sine ratione probabili violant. " *De Jure B. & P.* L. II. c. xx. § 46. n. 4.

7 Quod principium habuit, non posse à se existere, patet ex eo quod nec se creare nec fortuitò existere potuit. Unde restat id tertium (nam quartum non datur) idem existentiam habuisse ab alio. Sic facilè demonstratur prima & æterna rerum omnium causa ; sed vix sufficit hoc argumentum atheismo opponere, quoniam sunt qui in atheorum castris militant, &, licet sibi parum constantes, supremam causam agnoscunt : id verò à Theistis postulant, ut causam hanc libertate, sapientia, ceterisque perfectionibus præditum esse, omniaq; quæ existunt pro sapientiæ & voluntatis suæ modulo condidisse & creasse ostendant. Hos autem in quatuor classes sic distribuit Treverus : 1. Sunt qui *Hylopathiam* statuunt esse rerum omnium principium, id est, materiam omni sensu destitutam. 2. Alii *Hylozoismum* adferunt, sive materiam non quidem vitæ, sed tamen sensûs & intelligentiæ expertem. 3. Nonnulli ad fortuitum atomorum concursum provocant, qui vocantur

per id vocabulum intelligitur efficacia illa & vis agendi, quæ in rebus conspicitur, illa ipsa utique auctorem sui, id est, Deum arguit: tantum abest, ut ejus vis ad negandum Deum quid valere possit. Sin autem per naturam intelligatur summa rerum omnium causa, ex profano quodam fastidio defugitur plana & recepta Dei appellatio. Errant quoque illi, qui credunt Cap. 4.

tur *Atomistæ*. 4. Denique non desunt, qui *naturam* cæcam & fatalem crepant, omnia necessario impulsu dirigentem & gubernantem. Horum omnium systematum impossibilitatem & absurditatem optime demonstravit Cudworthus in *Systemate intellectuali*; & ipse, ni fallor, demonstrabo, in notis quæ mox sequuntur.

[8] Satis obscura est hæc vox *Natura*, de quâ multa præclara jactitarunt veteres Philosophi. Audi de hac re Ciceronem. "Alii *Naturam* censent esse vim "quandam sine ratione, cientem motus in corporibus "necessarios: Alii autem vim participem rationis "atque ordinis; tanquam via progredientem, de"clarantemq; quid cujusque rei causa efficiat, quid "sequatur; cujus solertiam nulla ars, nulla manus, "nemo opifex consequi possit imitando.——Sunt "autem, qui omnia *Naturæ* nomine appellent, ut E"picurus; qui ita dividit omnium, quæ sint, natu"ram, esse corpora & inane quæque his accidant. [Conf. Lucret. I. 420. Diog. Laert. L. X. § 39. 40. S. Empir. *adv. Math.* L. VIII. p. 363.] "Sed "nos cum dicimus *Natura* constare administrariq; "mundum, non ita dicimus, ut glebam aut frag"mentum lapidis, aut aliquid ejusmodi, nulla [*al.* "nuda] cohærendi natura, sed ut arborem, ut ani"mal, in quibus nulla temeritas, sed ordo apparet "& artis quædam similitudo" *De Natur. Deorum.* II. xxxii. Et paulo post. "Si meliora sunt ea quæ "naturâ,

Cap. 4. credunt, Deum esse aliquid eorum, quæ in sensus incurrunt, & præcipue *sidera*[9]. Nam hæc omnia substantia ipsorum arguit non esse primum

" naturâ, quàm illa quæ arte perfecta sunt; nec ars " efficit quicquam sine ratione; ne natura quidem " rationis expers est habenda." Scilicet de *Naturâ*, duæ sunt receptissimæ notiones; vel principium esse extra illud cujus dicitur principium, qua ratione Deus solus est natura; vel principium interius, sive insitum, quo modo rotunditas dicitur natura globi, vel elementa natura mundi, vel quemadmodum Cicero ait *naturas esse diversas, ut aliud equo sit natura, aliud bovi, aliud homini*. De Fin. v. 9. Unde Philosophis barbarè loquentibus alia *natura naturans*, alia *natura naturata* dicitur. Mihi quidem videtur naturam *naturantem* (ut aiunt) sive principium istud interius & insitum esse merè ens rationis, & figmentum ex cerebro philosophi oriundum. Huic autem naturæ quiddam tribuere, vel cum Stratone, qui *physicus* appellatur, omnem vim divinam in natura sitam esse docere (quæ causas gignendi, augendi, minuendi habeat, sed careat omni sensu ac figura) in Spinozismum protinus abit; cujus assertores in eam impietatem incidunt, ut si verbis agnoscunt Deum, re tamen omnino tollant. Docent enim *omnia effecta esse* natura, *substantiam non posse produci ab alio, in rerum naturâ non nisi unam substantiam dari*, aliaq; ejusmodi, quæ qui saltem recitat, eadem opera refellit. Spinoz. *Eth.* P. I. Cic. *de N. Deor.* L. I. *Acad Quæst.* L. II. E contra vid. Cudworth *Syst. Intell.* Buddei *Spinoz. ante Spinozam.* Clarkii *Demonstr. de Deo & ejus Attr.* Prop. vii. Qui vero *naturam naturatam*, sive externum quoddam principium, rerum omnium auctorem & conservatorem, prædicant; ii vel figmentum aliquod cerebri pro vero Deo substituunt, vel ipsum Deum, qualem volumus, agnoscunt. Sunt, qui fere omnes veterum Philosophorum Sectas intra atheismi limites concluserunt, etsi non

primum aliquod, sed ab alio ortum. Nec minus indigne de Deo sentiunt, qui eum *mundi animam* dicunt [10]. Anima enim mundi, Cap. 4.

---

non esse omnes eodem calculo notandos agnoscunt. "Fundamentum atheismi *sceptici* est, (inquit Buddeus de *atheismo & superstitione*, cap. 2. § 10) "non dari "certam rerum cognitionem, judiciumq; adeo de "omnibus suspendendum esse: *Dogmatici* generale "est, materiam semper fuisse, & ad ejus essentiam per- "tinere necessariam existentiam; *Aristotelici*, mun- "dum prout nunc est semper exstitisse: *Stoici*, Deum "cum materia arctissimo vinculo esse conjunctum: "*Epicurei & Stratonici*, mundum ex atomorum fortu- "ito concursu coaluisse: *Spinoziani*, unam tantùm "esse substantiam, scil. corpus."

9 Quales fuerunt apud veteres philosophos, ut planè patet ex hoc Ciceronis loco. "Hanc in stellis "constantiam, hanc tantam tam variis cursibus in omni "æternitate convenientiam temporum, non possum "intelligere sine mente, ratione, consilio. Quæ "cum in sideribus in esse videamus, non possumus ea "ipsa non in Deorum numero reponere." *De nat. Deor.* II. xxi.

10 Vetus hoc deliramentnm *de animâ mundi* invenisse Platonem dicitur; sed rectius forsan Platonis quibusdam sectatoribus attribuunt alii. Nomine autem istius *animæ* intelligunt universale quoddam principium ratione quadam (haud facilè intelligenda) omnia movens & dirigens; quam sic exponit Boethius *De Consol. Philos.* L. III.

Tu triplicis mediam naturæ cuncta moventem
Connectens animam per consona membra resolvis;
Quæ cum secta duos motum glomeravit in orbes
In semet reditura meat, , mentemq; profundam
Circuit, & simili convertit imagine cælum.

Quorsum

Cap. 4. di, qualiscunque illa demum sit, partem mundi notat, pars autem rei quomodo ejusdem causa, i. e. prius aliquid esse potuit? quod si autem per animam mundi intelligatur primum illud & invisibile, a quo omnium rerum vis & motus dependet, pro plano vocabulo obscurum

---

Quorsum & illud Virgilii pertinet *Æneid.* vi. 724.

> *Principio cælum & terram camposq; liquentes,*
> *Lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; astra*
> *Spiritus intus alit, totosq; infusa per artus*
> *Mens agitat molem & magno se corpore miscet.*

Fuerunt & apud recentiores Philosophos, qui nescio quid de *plasticâ Naturâ* (quam & *vitale* Principium non nemo vocavit; Vid Grew in *Cosmol.*) à mundo materiali distinguenda somniarunt, quæ ab animâ mundi haud multum distare videtur. Hujus Patronus præcipue nominandus est Rad. Cudworthus in *Systemate Intellectuali*; quem in hac re atheorum causæ haud parum favisse probare aggreditur Baelius in *continuation des pensées diverses sur les cometes*, cui respondit J. Clericus in *Bibliotheq. Choisie.* Tom. 5. Art. 4. Clerico multum arridere videtur hæc Hypothesis *Cudworthiana*; tantum quidem apud eum valuit, ut longius etiam Cudwortho procederet, & verisimile duceret esse medium quoddam inter animam & corpus in homine principium, unde omnes istæ actiones, quas Cudworthus animæ tribuit, proficiscerentur. Me judice, omnia hujusmodi ad occultas qualitates recidunt, & à veræ Philosophiæ imperio protinus proscribi debent.

" Vel animus me vehementer fallit, vel hoc argumentum est *petitio principii*: etenim qui mundo æternitatem attribuunt, hoc ipso causam ejus existentiæ auferunt. Quoniam verò, licèt varia dentur atheismi systemata, omnia in eo conveniunt, quod materia ab

rum & figuratum nomen substituitur. Ex hoc ipso quoque adparet, *mundum non esse æternum*. Id enim abhorret a natura ejus, quod causam habet. Et qui mundum æternum asserit, aliquam ejus causam negat, & sic ipsum Deum negat[u]. Cap. 4.

VI.

---

ab æterno exstitit, ideo paulo penitiùs hanc rem perscrutemur. Qui æternitatem mundi tuentur, in duas partes distrahuntur. I. Sunt, qui æternitatem materiæ solummodò tribuunt ex qua mundus conflatur, formam ejus Deum habuisse auctorem agnoscentes. Hujus opinionis inventor Anaxagoras est habendus; [Diog. Laert. L. II. n. 6. Plutarch. *de Plac. Philos.* L. I. c. iii.] Quam sic refello: Quod ab æterno exstitit, idem est independens, & quod independens est, nequit ab alio mutari, vel ullo modo affici. Sed ex hypothesi mundus formam, motum, &c. recepit à Deo; ergo non est æternus. *Q. E. D.* Aliter sic. Quod ab æterno exstitit, nequit mutationibus subjici; nam quod mutatur, per modum successionis existit, quoniam mutationes sunt successivæ; sed quod successivum est, nequit æternum esse (quoniam dari non potest infinita series, Vid. supra) ergo materia mundi non exstitit ab æterno. *Q. E. D.* II. Alii volunt & materiam & formam mundi ab æterno exstitisse; quorum duæ sunt sectæ. 1. *Ariestotelici* volunt mundum ab æterno creari à Deo, i. e. effectum esse cum causâ sua coævum. *Q. E. A.* 2. Denique hypothesis, quæ omnes alias in absurditate & impietate longe antecellit, docet mundum ab æterno, & à se extitisse iisdem modo & formâ, quibus hodiè utitur. [Spinozæ *Op. Post.* P. I. Prop. iii. P. II. Prop. ii. Blount *de Orac. Rat.* p. 216] Paucas inter infinitas, quibus laborat difficultatibus, attingam. 1. Motus non est essentialis materiæ, ergo nec à se nec sine causâ moveri potest; ergo nec ab æterno. 2. Si mundus sit æternus,

Cap. 4.

Mundique generisque humani rectorem.

IV. Tertium est, *Deum tum in universum mundum, tum in genus humanum regimen exercere.* Id quod ex admirabili & constanti ordine, qui in hoc universo cernitur, liquido adparet[12]. Quoad effectum autem moralem perinde

---

nus, tum datur infinitus numerus annorum, horarum, &c. i. e. infinita series. *Q. E. A.* 3. Sunt & rationes physicæ, quæ contra probant; ut diminutio luminis solaris, fluidorum in terra, &c. 4. Gravitas non est essentialis materiæ; ergo à causâ externâ originem duxit. 5. Denique non ab æterno extitisse hominum genus probatur ab artium progressibus & incultis olim terris, quæ postea habitari cœperunt; sicut cecinit Lucretius, V. 325.

Præterea si nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cæli, semperque æterna fuere,
Quo tot facta virûm toties cecidere; nec usquam
Æternis famæ monumentis insita florent?
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiam augescunt? nunc addita navigiis sunt
Multa, modo organici melicos peperêre sonores.

Con. de hac re Stillingfleet *Or. Sacr.* L. III. c. ii. § 11. Parker *de Deo,* Disp. iv. Cheyne *Ph. Princ.* c. iv. Hale *de Prim. Orig. Hum. Gen.* per tot. Aliosque auctores citat. in *Quæst. Philos.* Cap. ii. Qu. 2.

[12] Universum à Deo regi Grotius variis argumentis probat. "1. Quod sit ipse & omniscius & omnipotens, ita ut non possit non cognoscere ea quæ aguntur aut agenda sunt, eaque ipse temperare ac dirigere facillime possit. Quod si & illa cognoscit Deus, quidni & curet? 2. Ex conservatione imperiorum. 3. Ex miraculis." *De Veritate Relig. Chr.* L. I. § 10—13. Sunt autem, qui generalem quandam providentiam agnoscunt, particularem vero tollunt, quasi ipsa rerum genera, quæ à Deo conservari illi ipsi auctores

perinde est, utrum quis neget, Deum existere, an ab eodem humana curari; cum utrumque omnem religionem plane tollat. Frustra enim metuitur aut colitur, utut in se sit præstantissimus, qui nulla plane nostri cura tangitur, Cap. 4.

---

tores fatentur, non subsistunt in singulis. Si singula pereunt abdicata à divinâ providentiâ, quidni & pereant ipsa genera? Proculdubio non generatim modo ad totum hoc universum, sed speciatim ad singulas res à Deo conditas hæc se providentia extendit; tum quod omnes & singulæ divinâ providentiâ indigeant, tum quod in illis divinæ directionis vestigia haud raro conspiciantur. Hoc agnoscunt omnes; exceptis Atheis & Epicureis: Sed de *modo* ejus (qui captum humanum fortasse superat) inter Philosophos non convenit. Rebus semel creatis haud necessaria videtur perpetua quædam vis, quasi nova indies creatio, ut in *esse suo* perseverent, quoniam quævis mutatio requirat causam: sed utrum Deus ita omnia ab origine constituerit, ut secundum leges constitutas vel *harmoniam quandam præstabilitam* (ut aiunt) constanter agant, & effectus, quos ab æterno prænovit & sequi voluit creator juxta ejus beneplacitum, naturali quodam modo producant, (sicut machina quæ semel constituta opificis concursu non indiget) utrum secundas causas constanter dirigat, ut effectus non ex legibus stabilitis, sed ex arbitrio suo edant, nodus est non ita facilè solvendus. Sive hanc sive illam amplectamur opinionem; hoc saltem admitti debet, Deo non indignum esse, ut immediatam suam directionem aliquando interponat, & tam mentes hominum quam rerum inanimatarum facultates ita dirigat, ut præter expectationem & solitas agendi regulas res evenire possint. Media quidem via in hac re tutissima videtur; nimirum ut à causis *ordinariis* haud temere discedamus, neque tamen Deum ita iis adstrictum esse credamus, ut nihil unquam extra ordinem causarum naturalium agat. Vid. Leibnitz *Essais de Theodic.*

Cap. 4.


gitur, & nihil boni malique in nos vult aut potest conferre[13].

Denique, imperfectionis nihil habere.

V. QUARTUM est, *Nullam attributum in Deum cadere, quod aliquam imperfectionem involvat.*

Theodic. WOLF. *de Syst. Harm. Præstab.* SHERLOCK *de Provid.* WHISTON. *Theor.* L. IV. c. iv. Sol. 87. JENKIN. *de Rel. Chr.* Vol. II. p. 218. FIDDES. *Theol. Spec.* L. III. P. ii. c. 4.

13 Hanc ob causam Philosophi EPICURUM atheismi reum postulabant, quippe qui, divinam providentiam haud agnoscens, verbis reliquerit Deum, re sustulerit. Similiter CICERO. "Sunt philosophi & fuerunt, "qui omnino nullam habere censerent rerum humana-"rum procurationem Deos. Quorum si vera est sen-"tentia, quæ potest esse pietas? Quæ Religio? Quæ "sanctitas?" *De Nat. Deor.* I. 2. Conf. GROT. *de Jure B. & P.* L. II. c. xx. § 46.

14 Hoc in loco nimium brevitatem studet vir doctissimus. Res gravis est & permagni momenti, ut de divinis perfectionibus rite concipiamus; ideoque liceat mihi prolixiore disquisitione hoc argumentum persequi. *Perfectum* duplici modo dicitur, vel *absolute* vel *suo genere*. Id *suo genere* perfectum est, cui nihil eorum deficit, quæ ad singularem ejus naturam pertinere possint. Mundus est perfectus, si nihil huic deficit, quod ejus usui & commoditati inservire potuit: Lex est perfecta, quæ subjectis optimè convenit. Id vero *absolute* perfectum, quod omnibus quæ bona sunt & æstimabilia, sine ullo defectu potitur. In quo sensu Deum esse perfectum probare sic aggredior. 1. Quæ in effectis apparent perfectiones, eædem in causa fuerint. Homines gaudent perfectionibus quibusdam; v. g. potentiâ, sapientiâ, bonitate, felicitate, &c. ergo Deus iisdem fruitur. 2. Deo competunt hæ perfectiones modo infinito; nam si aliquid finitum est, tum vel quia causa ejus tantum nec plus ei communicavit, vel quia ipsum non amplius capiebat. Sed nec hoc nec

involvat. Cum enim ille omnium rerum causa sit & origo, absurdum foret, creaturam ipsius aliquam sibi posse *perfectionem* animo concipere, quæ abs Deo abesset[14]. Imo cum istius perfectio Cap. 4.

---

nec illud in Deum cadere potest. 3. Attributum finitum nequit competere subjecto infinito, nec infinitum attributum subjecto finito; in Deo unum est attributum infinitum, *viz.* æternitas (quod supra probatur) ergo cætera attributa sunt infinita. 4. Patet ex creatione mundi, ex causis finalibus, ex mirabili rerum structurâ & ordine. 5. Idem facilius probatur de singulis attributis sigillatim. *Primo*, Æternitas eâdem operâ demonstratur, atque ipsa existentia; redi igitur ad Not. 2. Hic addemus tantùm modum hujusce attributi nobis esse prorsus incognitum. Nequit enim duratio æterna esse successiva, vel tempori consimilis, quoniam contradictionem implicat: a nobis tamen vix concipi potest sine partium successione, quoniam ipsa idea durationis oritur ex successione. *Secundo*, Ab æternitate sequitur *independentia*, vel *necessaria existentia*; nam quod sine principio exstitit, sine causâ existere necesse est; ne daretur causa prior primâ. Sed existere independenter, necessario, & sine causâ idem prorsus sonant; unde patet, &c. *Q. E. D. Tertio*, Potentia recte Deo attribuitur, tum quia mundum creavit, tum quia creaturis potentiam dedit, ut supra ostensum est. Hoc verò admisso, *omnipotentia* probatur ab independentiâ; nam ubi nulla datur limitationis causa, ibi nullus erit limes. *Quarto*, *Omniscientia* iisdem mediis demonstratur, ac omnipotentia. *Quinto*, Probatur *immutabilitas* ab independentiâ; nam quævis mutatio requirit causam. Sed nulla causa agit in Deum, nec Deus agit in se; ergo, &c. *Sexto*, Attributa *moralia* demonstrantur *à posteriori*, vel à causis finalibus. Nimirum, omnia ad hunc finem constituto videntur, ut felicitatem vel commune bonum promoveant, Unde patet creatorem hunc finem consilio suo

Cap. 4. perfectio infinitis modis exsuperet captum tan-

tillæ creaturæ, eandem terminis potius negativis quam positivis exprimere par erit. Inde Deo hautquaquam sunt tribuenda, quæ *finitum* aut *determinatum* quid notant; quia finito majus semper attribui potest. Et omnis determinatio ac figura terminos ac circumscriptionem involvit. Quin nec dicendus est distincte

---

suo destinâsse; & cum finis bonus est, auctorem ejus esse *bonum* necessario sequitur. Positâ bonitate Dei, patet infinitam esse; necnon & infinitam justitiam, veracitatem cæterasque perfectiones morales rectè Deo attribui; nam omniscientia, quod optimum est, ostendit, omnipotentia id efficere potest, & voluntas ad idem impellit. Undè colligitur, hisce omnibus simul sumptis, Deum omnibus perfectionibus, tam moralibus quam naturalibus infinito modo gaudere. *Q. E. D.*

[15] Hæc nimis incautè dicta sunt, nec cum religione sincerâ constare possunt. Perperam quod positivum est, in Idea infiniti omittit, & ei quod negativum est, tantum inhæret. Qui comprehendi Deum posse negant, non hoc sibi volunt (si sapiunt) ac si nullâ planè ratione agnosci queat; sed quod humanæ mentis nimis angusti sint limites, quàm ut Dei perfectiones adæquatè & omni modo concipiat. Quis vero hanc ratiocinationem ferat? Cujuscunque rei non datur adæquatus conceptus, illius nulla est Idea, illa non ens. Eodem prorsus argumento, quo hic utitur noster, militarunt athei quidam contra Deum, eumque inter naturas, quæ neque existunt usquam, neque possunt existere, collocare conati sunt. *Nulla est*, Inquit Hobbesius, *idea neque conceptus, qui oriri potest ex hac voce* INFINITUM. *Quando dicimus rem aliquam esse infinitam, hoc tantum significamus, non posse nos illius rei terminos ac limites concipere, neque aliud concipere præter nostram impotentiam.* Phys. P. IV. c. xxvi. Et alibi: *Quando*

stincte & plane comprehendi aut *concipi nostra imaginatione*, vel quacunque facultate animæ nostræ; quia quicquid animo distincte & plene concipere valemus, id finitum est. Neque vero ideo, quia Deum infinitum dicimus, ejus conceptum plenum animo tenemus: cum infinitum proprie non notet aliquid in ipsa re, sed impotentiam in animo nostro[15], ac si dice- remus,

Cap. 4.

---

do dicimus aliquid esse infinitum, non aliquid in re significamus, sed impotentiam in animo nostro: tanquam si diceremus nescire, an & ubi terminetur. De Cive, c. xv. § 14. Quæ quidem sententia à pietate maxime abhorret; cum id nobis persuasum esse velit, quæ de Deo vulgò prædicantur, nihil habere veritatis; nuda enim & mera esse omnia vocabula, quæ nihil præter hoc significent, mentes nostras stupore quodam & veneratione perculsas esse. Sed hæc omnia falso nituntur fundamento, & hac voce *infinitum* rite explicatâ, funditus corruunt. Quam ad rem distinguere oportet inter infinitatem, quæ de numero, quantitate & ejusmodi prædicatur, atque eam, quæ rebus indivisibilibus attribuitur. Illa est mera negatio limitum; infinitus est numerus, quia semper augeri potest, & ob hanc ipsam rationem dari nequit numerus actu infinitus. Itane vero de divinis attributis definire licet, ea non esse actu infinita? i. e. esse finita? Nam quicquid existit, *actu* est. Quodcunque quantitatem habet de eo prædicabilem, vel numero mensurari potest, ob hanc ipsam causam non est verè infinitum. Idem sentit Aristoteles. οὐκ ἐστιν ἄπειρον οὐδὲν μέγεθος. *Nulla quantitas est infinita.* Metaph. L. XIV. c. vii. Id vero infinitum est vere & proprie dictum, cui nihil addi potest: quo modo divina attributa vocantur infinita. Potentia est infinita, cui nihil deficit; vel quæ ad omnia potentiæ objecta extenditur: & sic de cæteris. Ut verbo dicam, *infinitas* cum Deo attribu- itur,

Cap. 4. remus, non capere nos magnitudinem ejus essentiæ. Inde nec recte dicitur, quod *partes* habeat, aut sit *totum* aliquid; quia hæc attributa finitorum sunt. Neque quod *in loco* aliquo contineatur; quia hoc innuit fines & terminos magnitudinis. Neque quod *moveatur*, aut *quiescat*; utrumque enim supponit esse in loco[16]. Sic nec Deo proprie adtribui possunt, quæ *dolorem* aliquem aut *passionem* notant, (*proprie* dico: nam ubi talia Deo attributa leguntur, id fit ἀνθρωποπαθῶς, pro effectu, non affectu)

---

itur, idem sonat, ac *perfectio*. Conf. Cudworth. *Syst. Intell.* Cap. v. Sect. i. § 17. *cum Notis* doctissimi Moshemii.

[16] Modus divinæ essentiæ nobis est prorsus incognitus: Deus ubique præsens est sine extensione; omnia cognoscit sine idearum successione. Nam quod extensum est, nequit cogitare; & quod successivum, haud recte æternum dicitur. Difficilimum quidem est in conceptibus nostris vel extensionem vel successionem ab existentia removere: sed cum ex hac parte datur demonstratio, ex illa difficultates tantùm ex modis essendi & nostrorum conceptuum imperfectione oriundæ, nullus relinquitur dubitandi locus, cuinam parti assentiendum est.

[17] Sic in sacris litteris Deum alicujus facti (v. g. creationis, *Genes.* vi. 6.) pœnituisse dicitur, cum aliud agit, quam prius agebat vel acturus esse videbatur, quia simile quid facit hominibus, quos pœnitet. Non revera consilium mutat, (ipse enim est immutabilis) sed ista rerum seu eventuum mutatio in tempore fit juxta immutabile Dei decretum, quo ab æterno sancita & constituta fuerat.

[18] Cavendum est autem ab istorum errore, qui nullam esse ideam Dei, nullam divinorum attributorum cum

affectu) ut est ira, pœnitentia, misericordia[17]. Cap. 4.
Item, quæ egestatem & absentiam alicujus boni notant, ut est adpetitus, spes, concupiscentia, amor cupidinis. Nam hæc involvunt indigentiam, adeoque & imperfectionem; cum intelligi non possit, ut quis adpetat, speret, cupiatve, nisi quibus indiget, caretve. Sic & quando Deo tribuitur *intellectus*, *voluntas*, *scientia*, & *actus sensuum*, visio, auditio, illa longe sublimiori modo sunt capienda, quam quo nobis insunt[18]. Nam voluntas est adpetitus

cum nostris facultatibus similitudinem docent; sed bonitatem, intellectum, voluntatem, &c. Dei esse *toto genere* à nostris diversa & discreta, atq; sensu merè *analogico* à nobis intelligenda; quæ doctrina (nisi cum grano salis admittatur) nec cum sanâ religione, nec cum veris scientiæ principiis rectè constare possit. Quid enim magis à ratione alienum esse possit, quàm ut assensum præbeamus, cum nihil omnino de verâ rei naturâ intelligatur? Quid magis impossibile, quam ut divinas perfectiones (v. g. bonitatem, justitiam, cæterasque ejusmodi) admiremur, necnon & nobis in exemplum proponamus, si sint penitus incognitæ, & ab omnibus quas de iis formare possumus notiones, omnino remotæ & diversæ? Itaque ut rectius de hac re judicium feramus, paucis exponam, quæ ad litem dirimendam valere possunt. 1. Ubi non dantur ideæ, ibi nec rationi nec fidei locus dari possit. 2. Perfectio in genere dicta in unoquoque subjecto idem valet. 3. Idea divinarum perfectionum oritur ab iis, quas in nobismet ipsis experimur. 4. Perfectiones quas Deo attribuimus ejusdem sunt *generis*, atq; istæ quas homini. Ideam potentiæ à nostris facultatibus acquirimus, eandem Deo competere probamus. 5. Ea solum divinis perfectionibus cum humanis intercedit differentia, ut

Cap. 4. titus rationalis: adpetitus autem præsupponit absentiam, & indigentiam, rei congruentis. Et intellectio ac sensus in hominibus involvit passionem, per objecta in organa corporis, & potentias animæ impressam. Quod est indicium potentiæ ab alio dependentis, & consequenter non perfectissimæ. Denique & illud à perfectione divina abhorret, si dicantur *plures uno Di*. Nam præterquam quod admiranda mundi harmonia unum duntaxat ejus mode-

ut hæ finitæ sint, illæ infinitæ: in *genere* conveniunt, in gradu & *modo essendi* differunt. Sic scientia hominum est imperfecta, Dei perfecta; illi ope idearum, cognoscunt & percipiunt, hic verò modo nobis abscondito. Scientia in abstracto ubique eadem est, sed in diversis subjectis diversa, nunc major nunc minor, nunc hàc nunc illàc modificata. Sunt autem, qui nos per *analogiam* saltem de modis divinorum attributorum, & de omnibus mysteriis concipere volunt Eam autem ab omni philosophiâ exulare malui; quippe ad ideas intellectus minime pertinet, & cum phantasiâ solâ commercium habet. Res prius intellectas per analogiam faciliùs docemus & in mente concipimus, sed ut ignotæ intelligantur, ne hilum quidem proficit. Qui Deum esse omnipræsentem scit, recte dicit eum omnia audire & videre; quæ quidem non verè & propriè dicta sunt, sed analogicè. Vid. Law *ad* King *de Orig. Mali*, p. 88. Edit. 8vo.

[19] Haud tam levi operâ demonstratur *unitas*. Rectè Grotius: *Deos plures uno non esse, notio non æque est evidens ac Deum existere*. De Jure B. & P. L. II. c. xx. § 47. Verisimiliter patet ab harmonia mundi unicum esse Deum: nulla ratio est, quæ plures esse suadet, ergo evidentiâ demonstrativâ patet (non dico plures esse non posse, sed) non esse plures credendos, vel plures

moderatorem arguit, etiam finitus tunc foret Cap. 4.
Deus, si plures essent paris potestatis ab ipso non dependentes. Sic ut contradictionem involvat, plura dari infinita[19]. Quæ cum ita sint, maxime rationi congruum est, circa attributa Dei utcunque exprimenda uti nominibus vel *negativis*, ut infinitus, incomprehensibilis, immensus, æternus, i. e. principio & fine carens: vel *superlativis*, ut optimus; maximus, potentissimus, sapientissimus, &c. vel *indefinitis*,

---

plures colendos. Unde gentes, quas de Polytheismo reprehendit *Apostolus*, recte dicuntur *inexcusabiles*, Rom. i. 20. Sunt & rationes quædam scholasticæ a viris doctissimis ad *unitatem* Dei evincendam allatæ, quibus vero, me judice, plus inest subtilitatis quam certitudinis. Accipe autem quales quales sunt: 1. Quod à se est, singulare etiam est; singulare autem non potest cum pluribus communicari. Buddeus *de Piet. Philos.* § 18. Cui vix dissimile est argumentum Grotii. Deus est necessario, vel per se, necessariò autem quidque est, non quà in genere consideratur, sed quà actu est: actu autem sunt res singulæ. *De Verit. Rel. Chr.* L. I. § 3. 2. Dei nomine ens summum perfectissimumq; intelligitur; quare si quis plures vellet admittere Deos, ille admitteret entia, quæ & perfectissima essent, simul tamen & imperfecta, quia unum careret perfectione alterius. Buddeus *ubi supra*. 3. Si duo essent aut plures Dii liberè agentes & volentes, possent contraria velle; impediretur autem alter ab altero, quo minùs quod vellet, efficeret; impediri autem posse, Deo indignum est. *Ibid.* 4. Deus necessariò existit, quæ necessitas est simplex & uniformis. Qui duo necessariò existere supponit, in eo sibimet contradicit, quod cum utrumque independens est, utrumvis sine altero existere supponi potest, & ex

Cap. 4. *definitis*, ut bonus, juſtus, creator, rex, dominus, &c. eo ſenſu ut non tam velimus, quid ſit, diſtincte dicere, quam noſtram admirationem & obedientiam qualicunque expreſſione profiteri; quod eſt ſignum animi humilis, & animi honorantis quantum poteſt[20].

Cultus Dei naturalis internus quibus?

VI. Propositiones *practicæ* religionis naturalis verſantur partim *circa internum*, partim *circa externum cultum Dei*. *Internus cultus* Dei conſiſtit in ejus *bonore*. Honor autem eſt opinio alienæ potentiæ, conjunctæ cum bonitate. Debet ſcilicet animus hominis ex conſideratione potentiæ & bonitatis Dei, quantam poteſt animo venerationem adverſus ipſum concipere. Ex quo fluit, ut eundem debeat *amare* tanquam omnis boni auctorem & datorem; in eum *ſperare*, tanquam abs quo in futurum quoque omnis noſtra felicitas dependeat; ejus voluntate *adquieſcere*, tanquam

---

ex conſequenti neutrum neceſſariò exiſtit. Clarkii *demonſtratio de Deo & attributis*. Prop. 7. De horum argumentorum vi & efficaciâ nihil dicemus. Si quis ea ad juſtum examen revocare velit, conſulat omnino eruditiſſimi noſtri amici Edmundi Law notas ad King *de origine mali* lectu digniſſimas, necnon & reſponſum ejus ad J. Jackson in diſſertatione de *ſpatio, tempore*, &c.

[20] Similiter Hobbesius. *Nomen Dei non uſurpatur; ut illum concipiamus, ſed ut honoremus*. Leviath. P. I. c. 1. de qua re vid. ſupra *not*. 15.

[21] Audi Senecam. " Primus eſt deorum cultus " deos credere, deinde reddere illis majeſtatem ſuam, " reddere bonitatem, ſine quâ nulla majeſtas eſt. Scire " illos

tanquam qui pro ſua bonitate omnia optime faciat, nobiſque det, quæ maxime expediunt; eum *timere*, tanquam potentiſſimum, & cujus offenſa maximum ſit malum conciliare apta; ei denique in omnibus humillime *obſequi*, tanquam creatori, domino, ac rectori optimo maximo [21].

Externus quibus partibus abſolvatur?

VII. *Externus* Dei *cultus* in hiſce potiſſimum conſiſtit, ut homo Deo *gratias agat* pro tot bonis ab eo acceptis; ut ipſius voluntatem per actiones ſuas, quantum fieri poteſt, exprimat, ſeu ei *obtemperet*. Ut ejus magnitudinem *admiretur*, & *celebret*. Ut *preces* ad ipſum *fundat* pro obtinendis bonis & averruncandis malis; preces enim ſunt ſigna ſpei, ſpes vero bonitatis & potentiæ divinæ agnitio eſt [22]. Ut ſi res tulerit, per ſolum Deum *juret*, & juramentum

---

"illos eſſe, qui præſident mundo, qui univerſa vi ſua "temperant, qui humani generis tutelam gerunt, inter- "dum curioſi ſingulorum." *Epiſt*. xcv.

[22] Sunt, qui neceſſitatem cultûs externi ex lumine naturali patere poſſe vel negant vel in dubium vocant. 1mo. *Quia Deo non opus eſt noſtris laudibus aut precibus, cui jam ſatis perſpecta ſint ſenſa noſtræ mentis.* 2do. *Quia variæ ſunt methodi, quibus pietatem noſtram & venerationem adverſus Deum, tanquam Ens ſupremum, agnoſcere & illuſtrare poſſumus, & ſi vitæ hominum ſint virtutis normæ conformes, iis non opus eſt precibus.* Haſce verò rationes nihil omnino in hâc cauſâ valere, graviſſimis argumentis evinci poteſt. Etſi enim Deus non indigeat externis ſignis ad animi noſtri percipiendos ſenſus, tamen preces neceſſariæ videntur tum ad noſtri tum ad aliorum hominum commoda. 1. Reſpectu *noſtri*, preces ore prolatæ magis aptæ ſunt ad excitandos animi motus; earum

Cap. 4.


mentum religiosissime observet: Hoc enim postulat omniscientia & potentia Dei. Ut de Deo *considerate loquatur*; id enim est signum timoris; timor autem potentiæ confessio est. Ex quo consequitur, *non esse utendum Dei nomine temere & frustra*; utrumque enim inconsideratum. *Non esse jurandum, ubi non est opus*; est enim frustra. *Non esse curiose & petulanter disputandum circa naturam & gubernationem Dei:* ex hoc enim nihil aliud sequitur, quam ut Deum exigere velimus ad modulum nostræ rationis. Item, ut *quidquid Deo præstandum est, in suo genere sit eximium & honorem exprimere aptum.* Item, ut *homo Deum non solum secreto, sed & palam & publice in conspectu hominum colat.* Occultare enim aliquid est, quasi quis eo exercendo erubesceret. Contra publicus cultus non solum de

---

earum auxilio attentio faciliùs conservatur, & piæ mentis cogitationes meliùs foventur. Quorsum spectat illud Augustini. *Nescio quomodo, cum hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente non possint; iisdem rursus exterius visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur.* De Cur. pro Mort. cap. 5. Et hinc patet privatarum precum obligatio. Deinde vix concipi in mente potest, eum qui nunquam preces ore effundit rectè de Deo sentire posse. Mens pia naturali quodam motu ad gratiarum actiones impellitur. 2. Respectu *hominum aliorum,* preces publicæ & supplicationes solennes cum omni apparatu honesto cultûs exterioris perquam utiles & necessariæ videntur. Experientiâ compertum est, immane quantum exterior pietatis facies, & religiosi cultûs

de noſtra devotione teſtatur, ſed & alios exemplo incitat. Denique ut *ſummo conatu leges naturales obſervet*. Nam uti imperium Dei parvi pendere, ſuperat omnes contumelias; ita è contrario omnibus ſacrificiis eſt acceptior obedientia. Cap. 4.

VIII. Enimvero id certum eſt, effectum hujus Religionis Naturalis, præciſe & pro præſenti hominum conditione conſideratæ, intra ſphæram hujus vitæ terminari; ad æternam autem ſalutem nanciſcendam nequaquam valere. Ratio quippe humana ſibi relicta jam ignorat pravitatem, quæ in facultatibus & inclinationibus hominis cernitur, per culpam humanam proveniſſe, Deique offenſam & æternum exitium mereri. Eoque & neceſſitas ſalvatoris, ejuſque officium & meritum, nec non promiſſa Dei humano generi facta, & quæ alia inde

Æternæ ſaluti obtinendæ haud ſufficit.

cultûs profeſſiones ſtatæ & ordinariæ ad mentem vulgi hominum ſaltem metu numinis & reverentiâ percellendam conferre ſolent: adeo ut neſciam an iis ſublatis ſocietas humani generis unà cum omni religione tollatur. Publica pietatis exempla plurimùm valent ad excitandum in hominum mentibus religioſam quandam venerationem numinis, quæ ſocietatis vincula firmiori nexu colligant. Conjunctio plurimorum hominum in eâdem mente & voce haud parum conducit, vel ut ira Dei avertatur, vel ut impetrentur beneficia. Quæcunque autem faciunt, vel ad promovendam ſalutem publicam aut privatam, vel ad avertendam Dei iram, vel ad impetranda beneficia, ea omnia ſunt inſerenda aut adoptanda in religionem naturalem.

23 Non

Cap. 4. inde dependent, eandem latent: per quæ sola salutem æternam hominibus provenire, ex divinis literis constat[23].

Absque religione nullum societatis vinculum.

IX. Operæ pretium porro fuerit paulo distinctius expendisse usum, quem in vita humana religio gignit; ut constet, *eam revera esse ultimum & firmissimum humanæ societatis vinculum.* Nam in libertate naturali, si metum divini numinis removeas, ubi quis propriis viribus fisus fuerit, quælibet imbecillioribus pro

---

23 Non autem in eo sensu intra limites hujusce vitæ continetur jus naturale, ut nihil omnino ad futuram spectet. Argumenta sunt varia, quæ plurimum suadent vitâ hac conclusâ, nondum expleri omnes partes hujus dramatis: mens humana ab intuitu hodierni statûs ad futurum aliquem præsagiendum statim excitatur; & erigitur expectatione earum rerum, quæ secuturæ sunt in altera vita, quasi in proxima scena. Si naturam animæ attentiùs perpendamus, facilè patet, referente Cicerone, *nihil esse huic admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest; nec interire igitur.* Tusc. Disp. I. 29. Interire *non posse* haud tam certò sequitur; probat autem pereunte corpore, non ideo pereundam esse animam, adeoque post mortem superstitem esse posse. Deinde cum Deus sit æqui rectique amantissimus, non erit hujusce mundi otiosus spectator; jus faciendum curabit, nec eandem vel doloris vel felicitatis portionem dignis & indignis impertiet; sed bene & male merentibus suam unicuique debitam. Enim vero fatendum est neminem mortalium perfectam obedientiam præstitisse, nec si propriè dictum est, præmia mereri posse: unde demonstrari nequit quenquam præmia aliquando pro certo consecuturum fore; attamen cum bona fortunæ & felicitas hujusce vitæ virtuti & sapientiæ non semper adhæreant

pro lubitu inferet, ac honestatem, pudorem, fidem, inter inania vocabula reputabit, nec ad recte faciendum aliter, quam sensu propriæ imbecillitatis adigetur [24]. Porro, religione remota, civitatum firmitas intrinseca semper in incerto foret; ac ad cives in officio continendos hautquidquam sufficeret metus temporalis pœnæ, fides superioribus data, ejusque servandæ gloria, & gratitudo, quod ope summi imperii a miseriis status naturalis defendantur. Cap. 4.

---

hæreant & pessimè merentibus interdum optime sit, hanc inæqualitatem ferre nequit Deus, sed aliquando alium ab alio discernet: ita ut diversa sit rerum distributio in statu futuro ab ea, quæ hodie obtinet. Et quo quisque est perfectior, & Deo proximior indole & natura, eo erit altior & beatior, vel saltem eo minorem pœnam sortietur. Concesso enim (quod quidem salva Dei justitia negari non potest) religionem naturalem per se & sine piaculo quodam peccati, ad salutem æternam non sufficere: Attamen rationibus maxime probabilibus, & quæ fidem facile suadere possint, stabilitur hæc veritas; iis, qui pro modulo humanæ infirmitatis virtutem in hac vita colant, aliquando melius fore, quam profanis & impiis, qui Deum aversantur, & quicquid bonum & honestum est, repudiant & abhorrent. Unde consequentissimum est, ut jus naturale non intra sphæram hujus vitæ terminetur, & lumen rationis dictitet actiones hominum ad vitam futuram spectare debere. Sublato autem statu futuro, unà tolluntur legis naturalis sanctiones, adeoque ipsa obligandi vis. Vid. Burnet *de Statu Mortuorum.* Chauvin *de Relig. Nat.* L. I. cap. viii.

[24] Quæstio sæpe versatur, utrum societas cum atheismo constare possit? Partem affirmativam tuentur Machiavellius, Hobbesius, Tolandus, & Bælius, quorum rationes vix operæ est pretium ad

P examen

Cap. 4. tur. Tunc enim revera locum haberet, *Qui mori ſcit, cogi neſcit* [25]: quippe, cum Deum non metuentibus nihil magis quam mors metui poſſit, huic contemnendæ qui ſufficeret, in imperantes quævis tentare poſſet. Ut autem id vellet, vix cauſa defutura foret; puta ut declinaret incommoda, quæ ſibi ab alterius imperio videntur incumbere; aut ut ipſe poti-retur commodis, quæ imperii poſſeſſorem comitantur. Præſertim cum facile judicare poſſit, jure ſe id facere; vel quod qui in præſens rerum potitur, prave remp. videatur gerere; vel quod ipſe longe melius imperaturum ſeſe ſperet. Occaſio autem ad talia tentanda facile offerri poſſet, rege vitam ſuam non ſatis caute circumſepiente (& quis tali rerum ſtatu cuſtodes ipſos cuſtodiet [26]?) vel multis conſpirantibus, vel bello externo ingruenti adſcitis in partes hoſtibus. Præterea cives ad injurias mutuo inferendas futuri eſſent proniſſimi. Cum enim in foro civili pronuncietur ſecundum acta & probata; omnia ſcelera & flagitia,

---

examen revocare. 1. Quia nulla unquam gens comperta fuit, quæ Deum non agnoſceret: niſi cui ratio & boni mores, inducta feritate, plane ſordeſcunt. Unde vel nihil, vel quod contra hos facit, ab exemplis colligi poteſt. 2. Quia omnes uno ore fatentur, religione ſublata, humanam ſocietatem non tam firmo & ſtabili pede ſtare poſſe. Quod ipſi veritatis & veræ religionis hoſtes agnoviſſe videntur; cum in errorem quodammodo contrarium dilabantur, in eo, quod religionem, quam leges civiles conſtituunt & ratam faciunt, diligenter colendam eſſe & tuendam docent, falſa ſit

flagitia, ex quibus lucrum provenire aptum est, si occulte patrari & sine arbitris possent, pro dexteritate ingenii, in qua placere sibi quis posset, haberentur. Nemo quoque opera misericordiæ aut amicitiæ foret exerciturus, nisi gloriæ aut emolumenti explorata spe. Ex quo & illud consequeretur, ut dum nemo in alterius fide, remotis pœnis divinis, solidam fiduciam collocare posset, singuli perpetuo metu & suspicionibus anxii viverent, ne ab aliis deciperentur, aut læderentur. Sed & tam imperantes quam subjecti parum proclives futuri essent ad præclara & gloriosa opera patranda. Nam imperantes, nullo conscientiæ vinculo constricti, omnia munia, ipsamque justitiam venalia essent habituri, & in omnibus privatum commodum quæsituri, cum oppressione civium: a quorum rebellione uti sibi semper metuerent, ita suam salutem unice in eo positam intelligerent, ut istos quam maxime enerves redderent. Cives contra, oppressionem imperantium formidantes, nunquam non circum-

Cap. 4.

---

sit an vera nihil morantes. Hoc modo Machiavell. "In id diligenter incumbere debent, quicunque Reip. "aut regno alicui imperant, ut ejus religionis quam ipsi "colunt & venerantur, fundamenta sarta tectaque con-"servent: quâ quidem re cives suos pios devotosque "efficient, & aptos ad concordiam colendam." *De Repub.* L. I. cap. xii.

[15] Senec. *Hercul. Fur.* v. 425.

[16] *Pone seram, cohibe; sed quis custodiet ipsos Custodes*—— Juven. Sat. vi. 346.

Cap. 4. ſpecturi forent occaſiones rebellandi: nec minus tamen ipſi inter ſe diffiſuri, ſeque mutuo formidaturi erunt. Quin & conjuges, oborta vel levi querela, ſe invicem eſſent ſuſpicaturi ne veneno, aut alio clandeſtino modo necarentur. Par periculum a familia immineret. Cum

[17] Omiſit auctor, quod in hac re præcipuum *eſt*, *ſine* fide in Deum nihil valere juramenta, & ſine juramentis nullum eſſe fiduciæ & veritatis vinculum. Teſtem habemus Ciceronem. "Utiles autem eſſe opiniones "has, quis neget cum intelligat, quam multa firmen"tur *jurejurando*, quantæ ſalutis ſint fœderum religio"nes? Quam multos divini ſupplicii metus à ſcelere "revocarit? Quamque ſancta ſit ſocietas civium inter "ipſos, diis immortalibus interpoſitis, tum judicibus, "tum teſtibus?" *De Leg*. II. vii.

[18] Eadem argumenta, quæ religionem cum utilitate civitatum amicè conſpirare probant, *à fortiori* concordiam Chriſtianæ Doctrinæ cum verâ politicâ demonſtrant. Audi de hoc argumento ipſum Pufendorf. "Hac in parte amice conſpirat religio Chriſtiana, "dumque iſta optimam habitudinem civitatum valde "deformantia ſolis ſuis artibus tollere nequit, aut "gravioribus velut diſtricta negligit, emendare & ex "fundamento curare, quantum humana pravitas in "hac mortalitate corrigi idonea eſt, laborat. Nam "*primo*, Religionem Chriſtianam divina quædam "comitatur gratia apud illos, qui non nomine ſolo "eam profitentur; per quam animi ita imbuuntur, "ut deinceps ad officium ſuum faciendum incumbant, "non reſpectu pœnæ aut emolumenti temporalis, ſed "ex amore & reverentia erga Deum, & ut eidem ob"ſequium ſuum approbent. *Deinde* religionis Chriſ"tianæ decretis non ſatisfecit, qui externis tantum & "craſſioribus vitiis ſeſe abſtinuit, ſed illa quam "maxime internam cordis puritatem, affectuumque "& cupidinum compoſitos motus requirit. Nec illi

"aliquod

Cum enim ſine religione nulla quoque futura foret conſcientia, non facile eſſet occulta ejuſmodi ſcelera deprehendere [27]; quippe quæ plerumque per inquietudinem conſcientiæ, & terrores, in exteriora indicia erumpentes, prodantur [28]. Unde adparet, quantopere interſit generis Cap. 4.

" aliquod minutum aut contemnendum peccatum videtur, ſed etiam de otioſo verbo apud tribunal divinum rationem reddendam docet. Neque illi ſatisfecit, qui alterum non læſit aut contractus explevit; ſed beneficentia quoque, humanitas, miſericordia quantum in cujuſque viribus exercenda injungitur, etiam ubi nulla recuperandi ſpes arridet. Neque illi ſufficit vanis litibus alteri moleſtiam non faceſſere; ſed & ad injurias condonandas, ad remittendum aliquid de ſummo jure pronos eſſe eadem jubet. Nec alteri ſua eripuiſſe, aut per alterius ſtragem ad honores graſſatum non fuiſſe ſatis eſt: ſed etiam per innoxia media avaritiæ aut ambitioni litaſſe inter vetita habetur. *Denique* Chriſtiani hominis officium nequidquam impleviſſe judicatur, qui utcunque vitæ ſuæ innocentiam civili judici adprobare potuit, & ſi non caſtè tamen cautè agere, ſuaque facinora dextre negare & obtegere calluit; quique adeo probitatis ſuæ hoc palmarium habet argumentum, hujus vel illius facinoris me nemo legitime convicerit. Sed ex ſcitis Chriſtianæ religionis Deus etiam arcana pectoris arbitratur." Et ſic deinceps. *Diſſertat. Academ. de Concordia veræ Polit. cum Relig. Chriſt.* p. 557. Solet autem à nonnullis diſputari, Chriſtianæ religionis dogmata nequaquam cum bello gerendo conſtare poſſe, vel ſaltem huic plurimum officere. Tangit hanc rem Machiav. *Diſc. ad Liv.* L. II. c. ii. Et Chriſtianam doctrinam omnino inutilem & noxiam eſſe militantibus (utcunque ſit juſta cauſa belli) probare aggreditur Mandevill. in Dialog.

Cap. 4. generis humani, atheismo omnes vias, ne invalescat, præcludere; simulque quanta vecordia eos agitet, qui ad opinionem prudentiæ politicæ conciliandam facere autumant, si in impietatem proclives videantur.

CAP.

Dialog. *de Usu Chr. Rel. in bello.* Eandem partem tuetur BÆLIUS. *Reflec. de Comet.* Utrum bellum sit Christianis licitum necne, non hujus est loci disquirere: Vid. nos infra ad *Lib.* II. *cap.* xvi. & GROT. *De Jure B. & P.* L. I. cap. ii. Virtutes autem, quas nobis commendat Christus, veræ fortitudini & bellicæ virtuti non solum non adversantur, sed revera inserviunt & promovent: quod satis probavit noster in libro supra laudato. "Quanquam si omnes homines religionem Christianam amplecterentur & secundum ejus "præcepta exacte vitam instituerent, vix ullus bello "locus fore videatur; tamen cum magna generis hu"mani pars eandem non profiteatur, & inter eos qui "verbo se Christianos jactant, non pauci habendi & "dominandi libidine in bella injusta rapiantur; fas "sane erit veris Christianis istorum injustam vim à vi"tâ, libertate fortunisque suis propulsare. Ipsa vir"tus patientiæ legitimam sui defensionem, & jurium "suorum assertionem nequaquam excludit. Incon"sulta autem & cæco impetu ruens ferocia bellis ut "plurimum exitiosa est; nedum ut vera politica civi"um animos ea imbuendos censeat. Nam modesto "& composito animo qui sunt, non minus strenuè pug"nare possunt, ubi res poscit, quam feroces, & peri"culorum propter ipsa pericula cupidi. Denique & "in hoc fortitudinem militarem insigniter promovet "religio Christiana, quod ea de immortalitate animæ "& piorum post hanc vitam felicitate securos nos "reddit; sic ut justa causa bellanti eo minus jactura "hujus vitæ metuenda sit, quod per eam ad meliorem "conditionem transferatur. Ad quod illustrandum "facere potest, quod persuasionem immortalitatis &

"metem-

CAP. V.

De Officio Hominis erga Seipsum.

I. QUANQUAM hominem amor sui penitus infixus subigat, solicitam sui curam agere, suaque commoda omnibus modis procurare, sic ut hoc intuitu aliquam obligationem comminisci supervacuum videatur [1]; alio tamen respectu homo utique certa

Officia circa se haud frustra homini injuncta.

L. ii. c. 4. § 1.

" metemsychoseôs populis *Celticis* quondam metum
" mortis dempsisse ait LUCANUS. Lib. I. 460.

——— *Inde ruendi*
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignavum reditura parcere vitæ.

CÆSAR *de Bell. Gall.* L. vi. de *Druidibus* loquens: *Imprimis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios: atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto.* Ibid. p. 556.

Conf. *De Jure Nat. & Gent.* L. II. c. iv. § 3. *Eris Scand.* § 6. p. 7. *Spicileg. Controv.* § 16. p. 350. *Exam. Doctr.* § 2. Qu. 316.

[1] Licet autem homo magno impetu ad sui conservationem feratur, obligatione tamen opus fuerit, tum quia aliquando eum cupido se destruendi incedere potest, tum quia homines ut plurimum mediis, quibus se conservare possunt, aliter utuntur, ac iis uti debent. BUDDEI *Phil. Pract.* c. iv. § 3.

 [2] Nemo

Cap. 5. ta quædam circa seipsum observare tenetur. Cum enim non sibi soli sit natus homo, sed ideo tam eximiis dotibus a Creatore sit ornatus, ut ipsius gloriam celebret, & idoneum societatis humanæ membrum existat; inde ita sese componere homo tenetur[2], ut ne dona Creatoris incultu perire patiatur, & ad societatem humanam aliquid pro virili conferat. Sic etsi sua cuique ruditas maximo sit probro &

---

[2] Nemo sibi obligari potest; nam cum idem esset *obligatus & obligans*, obligans autem obligatum possit liberare, frustra esset sibi obligari, qui liberare seipsum potest arbitratu suo, & qui hoc potest, jam actu liber est. Hobbes *de Cive*, C. vi. § 14. Attamen homo *erga seipsum* obligari potest, ut alius sit auctor obligationis simpliciter constitutæ, ipse vero ejus subjectum & objectum. Sic cum ex omnium sapientum consensu Creator O. M. hominem condiderit, ut ipsi inserviat, excultisque bonis ab ipso sibi concessis ejusdem gloriam redderet illustriorem; cumque socialitas, ad quam homo conditus est, exerceri commode & servari nequeat: ni quilibet seipsum, quantum in se, excolat & servet: adparet abjectâ planè sui curâ hominem non sibi quidem, sed Deo creatori, sed generi humano facere injuriam.

[3] Loco eorum, quæ sequuntur usque ad finem hujusce commatis, Editio Ottonis sex sectiones exhibet de animo, & quæ ad illius culturam idonea sunt: quas supplevit quidam nomine Weberus. Proculdubio quæ alterum agnoscunt auctorem, locum in ipsius Pufendorfii textu habere non debent. Sed cum lectu digna sint, & non nisi consentiente ipso auctore (teste Stollio, in *Introduct. ad Hist. Liter.* p. 769) addita fuerint; noluimus lectorem iis omnino carere, ideoque hic commentarii vice apponi curavimus. Sunt autem, quæ sequuntur.

1. Ani-

& damno, recte tamen a magiſtro vapulat diſcipulus, ſi, quarum capax erat, artes addiſcere negligat. Cap. 5.

II. PORRO cum homo conſtet duabus partibus, *Anima* & *Corpore*, quarum illa rectoris, hoc miniſtri aut inſtrumenti vicem ſubit; ſic ut animi imperio, corporis ſervitio magis utamur; utriuſque quidem cura, ſed illius tamen præcipue, agenda. Et 1 *Animus* quidem ante

Primum eorum ſpectat animi culturam; c. iv. § 4, 13.

---

1. Animum quidem quod attinet, ejus cultura huc potiſſimum redit, ut recte ſeſe habeant *ſententiæ* de rebus quæ ad officium hominis reſpiciunt, ac ut rite formetur judicium ac æſtimatio circa res, quæ adpetitum ſtimulare ſolent; ut motus animi ad normam ſanæ rationis revocentur, ac temperentur; honeſtis artibus atque ſcientiis opera detur, & verbo: ut ad vitam ſocialem formetur animus, officiique honeſti ſenſu & amore imbuatur.

2. Inter ſententias igitur, quas imbibiſſe omnem hominem oportet, princeps ea eſt, ut ea de *Deo* creatore & conſervatore hujus univerſi ſciat teneatque, quæ præcedenti capite tradita fuerunt. In hac enim perſuaſione non ſolum præcipuum hominis officium vertitur, ſed etiam ea firmamentum eſt omnis probitatis adverſus alios homines exercendæ, & fundamentum illius adquieſcentæ, qua hominum animi intrinſece perfunduntur. Hæc uti nemo negabit, ita, quæ his repugnant, opiniones ſolicite excludendæ ſunt. Nec ſolum hic intelligimus *Atheiſmum* & *Epicureiſmum*, ſed alios quoque opiniones bonis moribus & ſocietati humanæ exitioſas & indolem actionum humanarum plane evertentes, quas inter eſt illa de *Fato Stoico*, de ſiderum poſitu actionibus & eventibus humanis indiſpenſabilem neceſſitatem adferente, unde homines non niſi inſtrumenta actionum ſuarum redduntur, quas libere moderari

Cap. 5. ante omnia ad commode tolerandam vitam socialem est formandus, officiique & honesti sensu

---

rari penes ipsos non sit. Cognatum huic dogma est, quod consecutiones causarum & effectuum, seu illa velut catena rerum, à creatore constituta, tam immobilem habet legem, ut Deus circa eandem, ne in particularibus quidem casibus, libertatis sibi quid reservaverit. Perniciosa quoque est persuasio, quod *Numen peccata hominum velut nundinetur*, & ea redimi patiatur pecunia aliisque muneribus, inanibus quibusdam ritibus, aut conceptis verborum formulis, citra emendationem vitæ. Item quod Numen *capiatur* ejusmodi inventis hominum, *adsumptisque vitæ institutis*, quæ ad societatem humanam & civilem ad sanæ rationis & legis naturalis dictamen attemperatam non quadrant. Mala quoque est illa persuasio, quasi homini solum *pietatis exercitium* erga Deum sufficeret, *citra* respectum ad *probitatem* & officia erga homines exercenda: aut posse hominem non solum pro se suo *officio adversus Deum* satisfacere, sed & ipsi *superesse* posse, quod in alios transfundat. Item, dexteritati & nequitiæ scelerum eum indulgere, & quædam *peccata* habere velut *jocularia*. Ac denique Deo placere *preces, ut alii* homines immerito *malo mactentur*, quo ipsis lucri aperiatur occasio.

3. Post hæc cuique cultura animi circa hoc potissimum occupatur, ut *seipsum*, suamque naturam probe exploret & *nosse* discat. Ex hac enim cognitione sui ipsius rite suscepta homo deducitur ad cognitionem suæ conditionis ac muneris, dum primo animadvertit, se non à se ipso extitisse, sed sublimiori principio origines suas debere: se nobilioribus facultatibus dotatum, quam, quæ circa se prospicit, bruta; se denique non solum nec sibi soli natum, sed partem esse generis humani. Ex qua notitia concludit, se imperio divino subjectum, ac pro captu donorum sibi concessorum & Deo & societati humanæ obligatum esse; & quidem *intellectus* lumine ideo donatum, ut eo recte utatur, certum, possi-

ſenſu & amore imbuendus. Tum pro cujuſ- Cap. 5.
que capacitate & fortuna aliquid addiſcendum,
ne

---

poſſibilem & licitum finem ſibi proponendo, & tum actiones ſuas, tum alia media ad eum recte attemperando; cui conjunctum, ut quia verum & rectum ſemper uniforme eſt, de ſimilibus ſemper ſimiliter judicet, ſibique, poſtquam recte judicaverit, ſemper conſtet. *Voluntatem* autem & adpetitum ita compeſcenda eſſe, ut rectum judicium non præcurrant, ſed ſubſequantur, nec ejuſdem decretis obluctentur. Deinde ſe probe cognito, homo deprehendit ſuam potentiam finitam, certoſque habere limites, adeoque plurima eſſe, quæ dirigere, aut quibus obſiſtere nulla ratione queat; aliqua non quidem abſolute ſupra ipſius potentiam eſſe, ſed quæ tamen intercurſu & oppoſitione aliarum potentiarum intercipi poſſint; quædam denique ejus potentiæ non aliter cedere, quam ſi eadem dexteritate fulciatur. Et quum videat, nihil tantopere in ipſius poteſtate conſtitutum, quam liberum arbitrium, ejuſque potentia, quatenus circa proprias hominis actiones eliciendas diffunditur; inde in id præcipue incumbendum ſibi judicat, ut his ſuis facultatibus bene & ad præſcriptum rationis recte utatur. Hoc quippe illud eſt, ex quo cujuſque intrinſeca præſtantia & probitas eſt metienda. Denique de cæteris, quæ *extra nos poſita* ſunt, ita cenſet, ut ſi vires ipſius non excedant, ad finem ejus faciant & digna ſint, propter quæ labor ſumatur, circa ea laboret, & propoſitum quidem recte formatum urgeat, nec tamen etiam contra torrentem nitatur. Et quia homo, in quantum ſolo rationis lumine regitur, in his terris ad aliam felicitatem adſpirare nequit, quam quæ ex prudente facultatum ſuarum regimine naſcitur, & ex ſubſidiis à divina providentia ordinatis, hinc cœcæ velut aleæ nihil committendum exiſtimat. Et quum futuros eventus penes hominem non ſit dirigere, iique ſæpe præter ſpem noſtram cadant; inde nec præſentibus nimis ſecure confidendum, nec futura ſupervacua anxietate

Cap. 5. ne quis inutile terræ pondus ſit, ſibi gravis, aliis moleſtus. Sed & tempeſtive eligendum honeſtum

---

anxietate & cura præcipienda, ſed ob eandem cauſam ſecundis rebus inſolentiam, adverſis deſperationem procul habendam ſtatuit.

4. Sunt quoque quæ adpetitum humanum præcipue ſtimulare ſolent, quibus ut homo juſtum pretium ponere ſciat, pars quoque hujus culturæ eſt neceſſaria. In his autem ut *opinio præſtantiæ* & excellentiæ, unde honor & gloria apud alios progignitur; ſplendidiſſima, & quæ erectioris indolis homines præcipue ſolicitare idonea eſt: ita circa hanc ſit formandus animus ut omnium maxime *exiſtimationem ſimplicem* ſeu opinionem boni viri acquirere & conſervare etiam adverſus calumnias laboret. *Intenſiva* autem *exiſtimatio*, honor & gloria eatenus adpetenda, quatenus ex præclaris & ad bonum ſocietatis humanæ ſpectantibus factis redundant: & ſedulo cavendum, ne animus arrogantia & inſolentia infletur. Ubi occaſio, qua præſtantiam ſuam exſerat, deficit, id æquo animo ferat, & quia penes nos non eſt fortunam pro lubitu fabricare, meliora citra ægritudinem expectet, quum hoc caſu nihil ſit, quod ei poſſit exprobrari. Inter ſtultiſſima autem merito habetur, de eo velle gloriari, quod inane eſt, aut per malas artes ad famam & honores graſſari. *Opes* etiam & rerum extrinſecarum copia plerumque hominum mentes afficere ſolent. Et indiget quidem iis homo, non ſolum ad ſui conſervationem, ſed & aliis inde proſpicere inter officia eſt. At quia indigentia noſtra non eſt infinita, nec natura deſinit eſſe fœcunda in iis producendis, & a morientibus omnia relinquenda ſunt; inde rationis eſt, tum in parandis, tum in poſſidendis & erogandis iis modum tenere, ne læſa honeſtate eas corradamus, aut avaritia prodigalitateve peccemus, aut denique vitiorum fomenta faciamus. Et quia variis caſibus perire poſſunt, ita animus adſuefaciendus, ut, ſi ſors ferat, iis amiſſis non velit concidere.

5 Magnam

honestum vitæ genus, prout impulsus genii, corporis atque ingenii habilitas, natalium conditio, Cap. 5.

5. Magnam quoque vim movendi animos hominum habent *voluptates*, quas si quis innocentes modice degustet, id crimen non habet. Nam quemadmodum dolor ad destructionem corporis tendit & non necessarius fugiendus est; ita delectatio corpus æque ac animum reficit, nec repugnat rationi eam adpetere. Modo caveatur, ne immoderato ejus usu homo enervetur, corporis juxta ac animi vigor supprimatur, opes melius erogandæ dissipentur, aut alias cum delicto conjuncta periculum, damnum, dedecus & dolorem ea post se trahat. Tandem & circa id sollicite animo cura est adhibenda, ut motus suos & *affectus* in potestate habeat, quorum plerique non solum valetudinem corporis & vigorem animi vehementer profligant; sed & judicium intellectus velut obnubilant, & in devia ab officio declinant, sic ut frigus affectuum sit velut naturale principium prudentiæ & probitatis inter homines. *Lætitia* in se naturæ quidem cumprimis congruit, sed cavendum, ne intempestive, aut ex causis non idoneis, se exserat. *Tristitia* animum corpusque velut carie quadam exedit; igitur ea, quantum potest, exterminanda, nisi quatenus inter officia humanitatis habetur, calamitatem aut mortem aliorum lugere, aut quatenus pœnitentia ob prava facinora exprimenda requiritur. Interdum ea ex *metu* imminentis mali oritur; verum, quia hoc animo sumto & circumspectione prudenti sæpe averti potest, inde quantum potest, procul ista formido pellenda. *Amor* humanæ naturæ amicus affectus, sed qui ratione hactenus temperandus est, ut in objectum dignum & licitum feratur. *Odium* infestus affectus tam habenti, quam illis, in quos fertur. Ergo id, quantum potest, restinguendum, &, si quis omnino dignus occurrat, quem aversemur, ne tamen ideo nobis ipsis ægritudinem conciliemus. *Invidia* deformis plane affectus, dum invidus propriis moribus, sicut rubigine ferrum, conficitur.

Cap. 5. ditio, fortunæ bona, parentum auctoritas, imperantium civilium jussa, occasio, aut necessitas ferunt[4].

Proximum, corporis vires conservandas. c. iv. § 14. III. Cum autem animus fulturis *Corporis* sustineatur, inde vires ejus congruentibus alimentis ac laboribus erunt firmandæ & conservandæ, nec intemperantia cibi potusque, intempestivo ac non necessario labore, aliave ratione affligendæ[5]. Quo nomine vitanda ingluvies, ebrietas, immodica Venus, & similia. Cum etiam inordinati & vehementes affectus non solum ad perturbandam societatem stimulos moveant, sed & ipsi homini plurimum noceant; inde danda opera, ut quis affectus suos,

tur. *Spes* lenior quantumvis, ita tamen temperanda, ne dum vana, incerta ac super vires posita complectitur, animus sese gratis fatiget. *Ira* violentissimus juxta ac perniciosissimus, cui omni studio reluctandum, quæ & ipsam fortitudinem ac in periculis constantiam velut occæcat & præcipitat. Huic congrua est *libido vindictæ*, quæ quatenus excedit legitimam & moderatam defensionem, & suorum jurium assertionem, plane in vitio est.

6 Datur præterea peculiaris animi cultura in variarum rerum *artium & disciplinarum notitia* consistens, quæ licet non quibusvis adeo necessaria sit, ad officium hominis rite obeundum; nemo tamen in dubium vocabit, quin necessitatibus & commoditatibus humanæ vitæ apprime sint utiles. Igitur, ne inutile terræ pondus sit, sibi inutilis, aliis molestus, quisque eas capessat. Et quidem tempestive eligat honestum vitæ genus, prout impulsus genii, corporis atque ingenii habilitas, natalium cognitio, fortunæ bona, parentum auctoritas, imperantium civilium jussa, occasio aut necessitas ferunt. Weberus.

suos, quantum fieri poteſt, compeſcat. Et quia multa pericula repelli poſſunt, ubi animoſe iis obviam eatur; mollities animi ejicienda, idemque contra periculorum terrores obfirmandus. Cap. 5.

IV. QUIA autem nemo ſibi ipſi vitam dedit, ſed illa pro Dei beneficio eſt habenda; adparet quoque homini nequaquam competere *poteſtatem in propriam vitam* hactenus, ut eandem pro lubitu poſſit abrumpere; ſed exſpectandum utique eſſe, quoad quis evocetur ab eo, qui nos in hacce ſtatione collocavit[6]. Equidem id utique recte fieri poſſe videtur; cum homo poſſit & debeat ſua opera aliis

Quid juris homini in propriam vitam? c. iv. § 19.

[4] Super hoc argumento digniſſima lectu eſt cel. BUDDEI exercitatio juris naturalis *de culturâ Ingenii* in *Selectis Juris Nat. & Gent.* Halæ Sax. 1717.

[5] Peccant etiam contra hæc officia qui curam corporis planè abjiciunt, & vel avaritiâ inducti ſuum defraudant genium, vel ſuperſtitione abrepti corpora pœnis voluntariis ſubjiciunt & mutilant.

[6] Suicidium ipſi Philoſophi illicitum exiſtimabant. CIC. Tuſc. Diſp. i. 30. *Vetat dominans ille in nobis Deus injuſſu hinc nos ſuo demigrare.* Et SENEC. Epiſt. 70. *Invenies etiam profeſſos ſapientiam, qui vim afferendam vitæ ſuæ negent, & nefas judicent ipſum interemptorem ſui fieri; expectandum eſſe exitum quem natura decrevit.* Ex hâc ſententiâ VIRGILIUS de iis, qui ſibi manus attulerunt, *Æn.* vi. 437.

——Quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores!

Et LUCRET. iii. 984.

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus uſu.

Sed

Cap. 5. aliis inservire, & vero certum genus laborum, aut eorum intensio, vires hominis ita atterat, ut senium vitæque terminus maturius ingruat, quam si quis molliter ætatem exigisset; ut quis eligat probabilem occasionem brevioris vitæ, quo talenti sui usum aliis eo largius dispenset. Sed & cum sæpe multorum vita servari nequeat, nisi pro iis alii probabili sese vitæ periculo exponant; per imperantem legitimum posset civi sub comminatione gravissimarum pœnarum injungi, ne ejusmodi periculum fuga declinet. Imo et ultro tale periculum subire licebit, modo graviores causæ non retrahant, & spes sit isthoc in aliorum salutem cessurum, & hi digni sint, qui tam chare redimantur. Nam id stolidum fuerit[7], alteri perituro frustra sese comitem addere, aut egregium virum pro nauci homine mortem oppetere. De cætero tamen per legem naturæ hautquidquam præcipi videtur, ut quivis cujusvis alterius vitam suæ vitæ præferat; sed cæteris paribus sibi quisque proximus esse permittitur. Ast vero, qui vel tædio molestiarum,

---

Sed Stoicorum dogma fuit res adversas justam esse causam, quare homines sibi necem consciscere possunt. Horum autem de spontaneâ morte decreta, quibus paruit Cato, videsis apud Lipsium *Manud. ad Phil. Stoic.* L. III. Diss. xxii. Conf. Grot. L. II. c. 19. § 5.

[7] Non stolidum tantum, sed & injustum hoc fuerit, quemadmodum etiam jus naturæ non solum *permittit*, ut, cæteris paribus, quisque sibi ipsi proximus sit, sed id etiam *jubet*. Cum alio igitur vel pro alio velle perire, regulariter justa exceptio non est. Titius.

ſtiarum, quæ vitam humanam communiter comitantur; vel indignatione malorum [8], quæ humanæ ipſos ſocietati erubeſcendos non erant redditura; vel metu dolorum, queis fortiter toleratis exemplo ſuo prodeſſe aliis poterant [9]; vel per vanam jactantiam fidei aut fortitudinis, vitam ultro abrumpunt & projiciunt; utique in legem naturalem peccare ſunt cenſendi. Cap. 5.

V. CÆTERUM, quia ſæpenumero conſervatio ſui, quam & tenerrimus affectus, & ratio homini commendat, cum præcepto de ſocialitate collidi videtur; dum nempe ſalus noſtra ab alio homine in periculum conjicitur, ſic ut aut nobis ſit pereundum, vel grave incommodum ſubeundum, aut alter cum læſione propulſandus: igitur quali cum *moderamine defenſio noſtri contra alios homines ſit temperanda*, jam tradendum. Inſtituitur igitur defenſio noſtri vel *ſine læſione* ejus abs quo malum nobis imminebat; dum efficimus, ut ei anceps aut formidoloſa noſtri invaſio videatur: *vel cum iſtius læſione* aut pernicie. Prior modus quin ſit licitus, omnique peccato vacet, dubium non habet.

Defenſio ſui licita citra noxiam alterius; c. v. § 1.

VI.

[8] Sic virgines contra jus naturale peccant, quæ mortem ſibi conſciſcunt, ut ſtuprum evitent.

[9] Sic MART. L. XI. Epigr. lvii.

Rebus in adverſis facile eſt contemnere vitam,
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

[10] CICERONI de hac re auſcultemus: "Eſt hæc " non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, ac" cepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, " hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti ſed fac-

Cap. 5.

Quin & violenta, cum læsione invasoris:

c. 5. § 2.

VI. Enimvero circa posteriorem modum scrupulus moveri potest, quod parem jacturam videatur facere genus humanum occiso invasore, quam si ipse peream; & quod utique perdendus sit mei similis, quicum ad colendam vitam socialem adstringor; & quod majores turbas videatur parere violenta defensio, quam si vel fugam arripiam, vel corpus patienter invasori præbeam. Verum ista hoc defensionis genus hautquidquam faciunt illicitum. Nam ut adversus aliquem pacifice & amice agam, requiritur, ut ipse se talem erga me præbeat, qui ejusmodi officia a me recipere idoneus sit. Et quia socialitatis lex ad salutem mortalium spectat, ideo ejusdem talis est facienda interpretatio, quæ singulorum salutem non pessumdet. Inde ubi alter exitio meo imminet, nulla est lex, quæ meam me salutem prodere jubeat, ut alterius malitia impune grassari queat. Et qui ex tali occasione læditur

" ti, non instituti sed imbuti sumus; ut si vita nostra " in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum " aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset " expediendæ salutis." *Pro. Milon.* c. iv.

[11] Conf. Grot. *de Jure B. & P.* L. II. c. i.

[12] *Omnia prius experiri quam arma sapientem decet.* Terent. *Eunuch.* Act. iv. Sc. 7. v. 9.

[13] Ob levem injuriam usque ad sanguinem quemvis odio persequi si juri naturali, tamen nequaquam evangelico, congruum videtur. Hoc modo Grotius; " Si cui periculum immineat accipiendæ alapæ, aut " mali similis, huic quoque jus esse id arcendi cum " cæde inimici, sunt qui putant. Ego, si mera jus- " titia

læditur aut occiditur, habet quod suæ pravitati imputet, quæ mihi isthanc necessitatem imposuit. Alias quippe omnia bona, quæ natura aut industria nobis peperit, frustra forent concessa, si alteri injuste illa invidenti vim non liceret opponere; & ut parata præda improbis expositi forent probi, siquidem hi istis numquam deberent vim opponere. Sicut violentam sui defensionem plane proscribere, exitio generi humano sit futurum".

Cap. 5.

VII. Non tamen semper, quando injuria intentatur, ad extrema licet provolare, sed *tutiora prius remedia tentanda*; puta ut aditum invasori intercludam, ut intra munita loca me contineam, ut invasorem moneam a furore desistere [14]. Sicut & hoc prudentis est, *levis injuriæ patientia*, si commode fieri possit, defungi, & de suo jure aliquid remittere potius quam intempestiva violentiæ oppositione majori sese periculo exponere; præsertim ubi impetatur id, quod facile reparari aut pensari queat [15]. Verum ubi hoc aut simili modo salus

Salvo tamen inculpatæ tutelæ moderamine.

c. 5. § 3.

" titia expletrix respiciatur, non dissentio. Quan-
" quam enim inæqualia sunt mors & alapa; tamen
" qui injuria me parat afficere, is mihi eo ipso dat
" jus, hoc est, facultatem quandam moralem adversus
" se in infinitum, *quatenus aliter malum illud a me arcere nequeo.* Caritas quoque per se non videtur nos
" obstringere in gratiam nocentis. At lex evangelica
" omnino tale factum illicitum reddidit. Jubet enim
" Christus alapam accipi potius quam adversario noceatur; quanto magis occidi eum vetat alapæ effugi-

 " endæ

Cap. 5. lus mea in tuto locari nequeat pro eadem expedienda vel extrema tentare licebit.

Hoc latius patet in naturali libertate. c. 5. §. 6.

VIII. Sed ut liquido judicari possit, an quis intra *limites inculpatæ defensionis* substiterit, despiciendum prius est, utrum quis *in naturali libertate*, nulli mortalium subjectus, an vero *imperio civili* obnoxius degat. Priori statu, ubi alter injuriam inferre pertendat, nec pœnitentia pravi conatus ductus ad pacem mecum colendam redire velit, hunc vel cum cæde repellere potero. Idque non solum si vitam meam impetat, sed & si vulnerare, aut lædere duntaxat, aut etiam res, salvo corpore, eripere conetur [14]. Nam neque cautum est mihi, quod ab istis injuriis ad majores non sit transiturus; & qui sese hostem profitetur, nullo amplius jure munitur, quo minus quovis modo a me repellatur. Ac revera tunc insociabilis esset hominum vita, si contra eum, qui modicas injurias continuare non desistit, extrema non liceret adhibere. Hoc modo enim modestissimus quisque deterrimo cuique perpetuum ludibrium deberet. In hoc porro statu

" endæ causâ." *De Jure B. & P.* L. II. c. i. § 10. Conf. Puf. *De Jure N. & G.* L. II. c. v. § 12. Procukdubio à nobis hoc efflagitat humanitas, ut vitæ invasoris parcamus, si absque nostræ periculo id fieri potest.

14 Similiter Grotius, " Si expletricem justitiam " respicimus, non negabo ad res conservandas rapto" rem, si ita opus sit, vel interfici posse, nam quæ in" ter

ſtatu non ſolum in præſens intentatum periculum repellere, ſed & hoc depulſo invaſorem eo uſque perſequi poſſum, quoad ab illo in futurum ſatis mihi cautum ſit. Super qua *cautione* ita habendum. Si quis, injuria intentata, ultro pœnitentia ductus veniam petat, & damni reſtitutionem offerat, in gratiam cum ipſo, fide accepta, redire debeo. Nam firmum eſt ſignum animi emendati, ſponte pœnitere, & veniam petere. Aſt qui tunc demum pœnitentiam præ ſe fert, quando reſiſtendi vires deficiunt, ejus nudo promiſſo fidere parum tutum videtur. Igitur tali vel vires nocendi ſubtrahendæ, vel aliud vinculum injiciendum, ne deinceps nobis exiſtat formidabilis. Cap. 5.

Multo reſtrictius eſt in imperio civili. c. 5. § 7.

IX. Qui autem imperio civili ſubjecti degunt, tunc demum violentam ſui defenſionem licite adhibent, quando tempus ac locus non fert auxilium magiſtratus implorari ad repellendam eam injuriam, qua vita, vitæque æquipollens, aut irreparabile bonum in præſentaneum periculum conjicitur. Et quidem ut periculum tantummodo depellatur; vindicta au-

" ter rem & vitam eſt inæqualitas, ea favore innocentis & raptoris odio compenſatur. Unde ſequitur, ſi id jus ſolum reſpiciamus, poſſe furem cum re fugientem, ſi aliter res recuperari nequeat, jaculo proſterni. Nec obſtat caritas per modum præcepti, lege divinâ humanâque ſepoſitâ: niſi res ſit, quæ minimum valeat, ut proinde contemni mereatur." *De Jure B. & P.* L. II. c. i. § 11.

Cap. 5. tem & cautio de non offendendo in posterum magistratus arbitrio relinquatur [15].

Etiam ex errore invadenti resistere liceat.

X. Licet autem defensionem suscipere tam adversus eum, qui dolo malo, quam qui *per errorem* exitium mihi intentat; puta, si quis insania agitatus me invaserit, aut quia me alium, quicum inimicitiæ ipsi intercedunt, crediderit. Nam sufficit, quod alteri non sit jus ad me invadendum, aut occidendum, neque in me sit obligatio ad mortem frustra subeundam.

c. 5. § 5.

Tempus tutelæ quod in libertate naturali?

XI. Circa *tempus*, intra quod defensio recte fieri potest, ita habendum est. Qui in naturali libertate utrinque degunt, etsi possint ac debeant præsumere, alios adversus se officia legis naturalis observaturos: tamen propter malitiam ingenii humani nunquam ita securi esse debent, quin sibi mature *innoxia* munimenta circumponant; puta, aditum præstruendo hostilia molientibus, arma virosque comparando, socios adjungendo, aliorum conatus

c. 5. § 8.

---

[15] Quoniam scil. hic status necessitatis, in quo magistratûs auxilium nequit implorari, rationem habeat statûs naturalis.

16 Hic recte perstringit auctor *Hobbesianum* dogma *spem unicuique securitatis conservationisque suæ in ea sitam esse, ut viribus artibusque propriis proximum suum vel palam vel ex insidiis præoccupare possit.* De Cive. cap. v. § 1. Quod ab omni æquitatis ratione abhorret. "Illud minime ferendum est (inquit Grotius) quod quidam tradiderunt, jure gentium arma recte sumi ad imminuendam potentiam crescentem, quæ nimium aucta nocere possit." Et monente Quintiliano, "Quis hoc statuit unquam aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum jure "potu-

natus vigilanter observando, & quæ sunt similia. Verum ista suspicio, orta ex communi hominum malitia, non sufficit, ut sub obtentu defensionis meæ alterum ultro armis opprimere possim, ne quidem si potentiam ipsius nimis gliscere videam [16]; præsertim ubi eandem innoxia industria, aut per benignitatem fati citra aliorum oppressionem adauxerit Quin si quis præter facultatem nocendi etiam voluntatem ostendat, non quidem adversus me, sed alium, non ideo statim meo nomine eum invadere ultro possum; nisi ad auxilium alteri, qui injuste a potentiore invaditur, ex fœdere tenear [17]. Quod eo promtius facere expedit, si probabile sit, istum altero oppresso in me quoque transiturum, & priore victoria pro instrumento sequentis usurum. Ast ubi liquido adparet, alterum circa inferendam mihi vim jam occupari; statim licebit violentam sui defen-

Cap. 5.

" potuerit occidere, à quo metuisse se dicat, ne ipse " posterius occideretur?" *Declam.* L. V. c. xiii. Quod si potentia crescens cum animo nocendi sit conjuncta, & ex circumstantiis conjicere liceat alterum, cùm possit, nos nostraque jura vel alios nobiscum fœderibus amicitiæ conjunctos lædere velle, tum proculdubio & lex naturalis & omnium gentium mores probatissimi nos permittunt, ut alterius potentiam nimis gliscentem imminuamus.

[17] Etsi non fœdus aliquod intercedit, tamen humanitatis vinculis adstringimur, ut alteri injuriis oppresso opem feramus juxta illud CICERONIS: *Qui non defendit nec obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, quam si parentes aut amicos aut patriam deserat.* De Offic. I. vii.

 sionem

Cap. 5. sionem auspicari, & noxam adparantem occupare; siquidem nulla spes sit fore, ut amice admonitus hostilem animum exuat, aut ejusmodi admonitio rebus nostris noxia sit futura. Unde heic pro aggressore erit habendus, qui prior voluntatem nocendi alteri concepit, & ad eandem exsequendam se comparavit; defensionis autem favor illum comitabitur, qui celeritate usus tardius molientem oppresserit. Neque enim ad defensionem requiritur primum ictum excipere, aut ictus, qui intentantur, eludere duntaxat & repellere [18].

Ejus quale spatium in civili societate? XII. Ast in civitatibus hautquidquam tam laxum spatium ad sui defensionem indulgetur. Nam heic licet quis intellexerit, civem sese comparare ad vim ipsi inferendam, aut atroces

f. 5. § 7. minas spargere: nequaquam occupare istum licebit;

[18] Hoc in loco sequentia addit Weberus: In hoc porrò statu non solum in præsens intentatum periculum repellere, sed & hoc depulso invasorem eo usque persequi possum, quoad ab illo in futurum satis mihi cautum sit. Super qua cautione ita habendum: Si quis injuriâ intentatâ, ultro pænitentiâ ductus veniam petat, & damni restitutionem offerat, in gratiam cum ipso fide acceptâ redire debeo. Nam firmum est signum animi emendati, sponte pænitere & veniam petere. Ast qui tunc demum pænitentiam præ se fert, quando resistendi vires deficiunt, ejus nudo promisso fidere parùm tutum videtur. Igitur tali vel vires nocendi substrahendæ vel aliud vinculum injiciendum, ne deinceps nobis existat formidabilis.

[19] " Periculum præsens hic requiritur, & quasi in " puncto. Fateor quidem si insultator arma arripiat, " & quidem ita ut appareat eum id facere occidendi " animo,

licebit; sed ad communem imperantem erit deferendus, & ab eodem cautio petenda [19]. Verum ubi quis ab altero jam invaditur, & in eas redigitur angustias, ut magistratus, aut aliorum civium implorandi subsidium facultas non sit; tunc demum ad repellendam vim vel extrema invasori licebit intentare: non quidem ea intentione, ut per cædem vindicta ob injuriam exigatur, sed quatenus vita citra ejusmodi cædem e præsenti periculo nequit eripi [20]. *Initium* autem temporis illius, quo quis in sui defensionem alium impune potest occidere, inde sumitur; quando aggressor voluntatem impetendi vitam meam præ se ferens, & a viribus instrumentisque nocendi instructus, jam intra illum locum exstiterit, ex quo reipsa nocere possit; computato quoque illo spatio, quo opus est, si ego prævenire quam præveniri Cap. 5.

" animo, occupari posse facinus. Nam in moralibus, " ut & in naturalibus punctum non invenitur sine a- " liqua latitudine: sed multum falluntur & fallunt, " qui metum qualemcunque ad jus occupandæ inter- " fectionis admittunt." GROT. *de Jure B. & P.* L. II. c. i. § 5.

[20] Addit auctor in opere majori, L. II. c. 5. § 7. vim vi repellere ad nostri defensionem licitum esse, si subsidium debitum nobis respuat magistratus; cui subjungit BARBEYRACCIUS ad locum, idem non tantum ad nostri sed etiam ad aliorum salutem tuendam licere. Hoc modo, *Mosen* in eo vindicavit CLERICUS, quod *Ægyptium* ob injuriam viro *Israelitico* allatam percusserit. " Noverat (inquit) *Moses Hebræos* ab Ægyptiis " judicibus æqui nihil impetrare potuisse; cumque " tyrannis eo devenit, ut jus non amplius dicatur, sub- " rutis

Cap. 5. præveniri malim [31]. Etsi propter perturbationem animi, quam tantum periculum excitat, modicus excessus in foro humano non curetur. *Perdurat* autem *spatium inculpatæ tutelæ*, quoad aggressor fuerit depulsus, aut ultro recesserit, vel pœnitentia in ipso facinoris momento tactus, vel quod conatum ejus eventus destituerit: ita ut in præsens nocere amplius nequeat, nobisque sit facultas in loca tuta nos recipiendi. Nam ultio injuriæ & cautio in futurum, ad imperii civilis curam & potestatem spectat.

Non fugere aliquando licet, non se sponte sistere. c. 5. § 9.

XIII. Quanquam autem dictum sit, non recte ad cædem provolari, ubi commodiore via periculum depelli potest: tamen propter *perturbationem animi*, quam imminens periculum parere solet, non omnia ad vivum resecari solent, cum in tali periculo trepidanti non ita accurate omnes evadendi vias liceat circumspicere, sicut ei qui tranquillo animo rem considerat. Inde uti ex loco tuto ad provocantem ultro descendere temerarium est; ita si in aperto me loco constitutum alter invadat, non præcise ad *fugam* obligor, nisi forte in

" rutis societatis civilis fundamentis res ad jus naturale redit; ex quo unusquisque se & suos tueri potest, nequaquam imploratâ eorum ope, qui auxilium eis ferre nolunt. Sed eo jure nefas est uti, nisi in summâ perturbatione omnium rerum, qualis erat tunc in *Ægypto*, ubi impune poterant a quolibet, silentibus *Ægyptiis* judicibus, male haberi Israelitæ." Cler. ad *Act. Apost.* vii. 24.

propinquo

propinquo sit tale suffugium, in quo me citra periculum possim recipere: neque semper cessim ire teneor. Nam & ibi nudum tergum ostendendum, & utrinque periculum lapsus imminet; ac ubi semel gradu sis depulsus, eundem iterum componere haut facile est. Uti autem aliquis favore defensionis non excluditur, quod ultro in publicum ad sua negotia obeunda prodiit, cum si domi mansisset, a periculo immunis erat futurus: ita eodem non fruitur, qui ab altero in *duellum* provocatus ubi comparuerit, ita premitur, ut ni illum transfodiat, ipsi sit pereundum. Nam cum leges id periculum subire vetent, ejus quoque ad excusandam cædem nulla habetur ratio [12].

XIV. QUOD pro defensione vitæ, idem & pro *defensione membrorum* conceditur; sic ut & ille innocens habeatur, qui violentum invasorem occidit, cui fortasse intentio fuit membro eum duntaxat mutilandi, aut grave vulnus infligendi. Nam & natura a mutilatione, & gravi læsione maxime abhorremus: & mutilatio membri, præcipue nobilioris, quandoque non multo minoris quam ipsa vita æstimatur. Quin

Cap. V.

Defensio vitæ atque membrorum suorum.

c. 5. § 10.

[11] *Melius est occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare.* Cod. L. III. T. xxvii. l. 1.

[12] Qui in *duello* contendunt, plerumque ad *honorem*, ut aiunt, *recuperandum* id agunt, ad quem finem cædem recte putant admitti. "Quod mihi (ait GROTIUS) "à ratione & pietate valde alienum videtur. Nam "honor est opinio de excellentia; at qui talem fert "injuriam, is patientem se excellenter ostendit: at-"que

Cap. 5. Quin in antecessum non constat, an non ex mutilatione ac vulnere mors sit secutura: ac talis patientia communem hominum constantiam superat, ad quam leges regulariter non solent obligare, in gratiam præsertim hominis malitiosi[23].

Etiam pudicitiæ, pari passu hic ambulant. c. 5. § 11. XV. Sed & quod pro vita, id & pro *pudicitia* licere judicatur: quippe cum nulla major contumelia honestæ fœminæ inferri queat, quam siquis invitæ eripere aggrediatur, cujus integritate ejus sexus decus maxime æstimatur; & efficiat, ut hosti ex suo sanguine prolem suscitare cogatur[24].

Rerum suarum defensio quousque pateat? c. 5. § 17. XVI. *Defensio* autem *rerum* inter eos quidem, qui in naturali libertate vivunt, etiam

---

" que ideo honorem auget magis, quàm minuit. Nec " refert si quidam corrupto judicio virtutem hanc in " probrum confictis nominibus traducant. Perversa " enim illa judicia nec rem nec rei æstimationem immutant. Nec Christiani veteres hoc tantum viderunt, sed & philosophi, qui dixerunt pusilli esse animi " contumeliam ferre non posse—— Quid si vero dicat " aliquis de nobis, quod creditum apud bonos existimationem nostram delibaret? Hunc quoque occidi posse sunt qui doceant: mendose admodum, " & contra naturæ quoque jus. Nam interfectio ista " non est modus aptus ad tuendam existimationem." *De Jure B. & P.* L. II. c. i. § 10.

[23] " Quid dicemus de periculo mutilationis membri? Sane cum damnum membri præsertim è præcipuis valde sit grave, & vitæ quasi æquiparabile: adde quod vix sciri queat, an non periculum mortis " post se trahat, si aliter vitari nequeat, putem intentantem periculum occidi recte posse." *Ibid.* §. 6.

ad

ad cædem usque invasoris procedere potest; modo res non sit ejusmodi, ut contemni mereatur. Nam citra res utique vita nostra servari nequit; & æque hostilem animum declarat, qui res, quam qui vitam per injuriam impetit. Verum in civitatibus, ubi erepta subsidio magistratus recuperari possunt, id regulariter non conceditur; nisi in eo casu, ubi qui res nostras ereptum venit, in judicium adduci non potest. Quo intuitu licitum est occidere prædones, & fures nocturnos [15]. Cap. 5.

Invasori quid juris ad se defendendum?

XVII. ATQUE hæc de defensione ab iis facta, qui ultro ab aliis per injuriam invaduntur. Quia autem prior alterum læsit, tunc demum recte se defendere, eaque defensione istum

---

14 "Pro pudicitia quin idem liceat, controversiam "vix habet, cum non tantum communis æstimatio, sed "& lex divina pudicitiam vitæ adæquet." *Ibid.* § 7. Nequeo igitur non mirari Cl. BUDDEUM in contrarias partes abire. *Pudicitia* inquit, *cum neutiquam vitæ hominis sit æquiparanda, meâ opinione violenter defendi nequit.* Philos. Pract. Cap. iv. S. 3. § 14.

15 Nocturnum furem occidere, diurnum non item, lex *Mosaica* permittit; *Exod.* xxii. 2. & SOLONIS; DEMOSTH. *Orat. contr. Timocr.* p. 476. & inde sumpta lex XII tabularum. CICER. *pro Mil.* c. iii. *Duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt.* Cujus legis rationem sic exponit GROTIUS: "Discrimen "nocturni & diurni furis in hoc positum est, quod "noctu vix sit copia testium adhibendorum; atque "ideo si occisus fur reperiatur, facilius credatur ei, "qui à se vitæ tuendæ causâ dicat furem interemptum, "repertum scilicet cum aliquo instrumento, quo nocere posset." *De Jure B. & P.* L. II. c. i. § 12. Vid.

Cap. 5. istum denuo lædere potest, postquam pœnitentia tactus reparationem damni dati, & cautionem de non lædendo in posterum obtulit, & læsus eandem per asperitatem animi respuit, ac manu sibi vindictam facere pertendit.

Conservatio sui multa præcepta restringit. c. 6. §. 1. XVIII. Denique & tanti habetur conservatio sui, ut si ea obtineri aliter nequeat, in plurimis casibus ab obligatione communium legum eximere censeatur. Quo nomine *necessitas* lege carere dicitur [26]. Scilicet cum tanto ardore ad sui conservationem homo rapiatur, non facile præsumitur, talem isti obligationem impositam, cui propria salus cedere debeat. Quamquam enim non Deus solum, sed &, ubi materiæ gravitas requirit, imperium civile tam rigidam nobis obligationem injungere queat, ut mors sit potius oppetenda,

Vid. Gronov. in loc. In statu naturali tempus nil mutat limites violentæ defensionis, sed in civitate res aliter sese habet. Latro diurnus facilius ad judicium adducitur, & violentia ejus minori cum periculo repellitur.

[26] Id est, qui in extremâ necessitate versatur, legibus ordinariis non subjicitur. *e. gr.* Lex est generalis, *alterius jus ne lædas.* Hæc autem nil obstat, quo minus summâ inopiâ victûs laborans & jam tandem fame periturus, id quod ad vitam sustentandam necessarium est ab altero, cui satis superque est, surripere possit. Sunt autem varia necessitudinis genera, de quibus sic disseruit Cicero. " Atque etiam hoc mihi videor " videre esse quasdam cum *adjunctione* necessitudines, " quasdam *simplices*, & *absolutas*. — Cum *simplex* erit " necessitudo, nihil erit, quod multa dicamus, cum " eam nulla ratione lenire possumus. —— Quod " *adjungitur*

da, quam latum unguem ab illa discedamus: tamen non semper tam rigida legum præsumitur obligatio. Has enim qui tulerunt, aut qui instituta quædam inter homines introduxerunt, cum utique salutem aut commoditatem hominum per ea promovere voluerint, regulariter quoque ob oculos censentur habuisse conditionem naturæ humanæ, & quam non possit non homo refugere & amoliri illa, quæ ad sui destructionem tendunt. Inde regulariter leges imprimis positivæ, & quævis instituta humana judicantur excipere casum necessitatis, seu non obligare, quando ipsarum observationem comitaturum esset malum, humanam naturam destruens, aut communi hominum constantia superius; nisi expresse, aut propter negotii naturam iste quoque casus sit comprehensus[27].

" *adjungitur*, omni tempore id pertinebit aut ad honestatem, aut ad incolumitatem, aut ad commoditatem. Ac summa quidem necessitudo videtur esse honestatis; huic proxima, incolumitatis; tertia ac levissima, commoditatis. Hasce autem inter se sæpe necesse est comparari, ut quanquam præstet honestas incolumitati, tamen utri potissimum consulendum sit, deliberetur. — Sunt res quædam ex tempore, & ex consilio; non ex suâ naturâ considerandæ: quibus in omnibus, quid tempora petant, aut quid personis dignum sit, considerandum est: & non quid, sed quo quidque animo, quicum, quo tempore, quamdiu fiat; attendendum est." *De Invent.* L. II. c. lvii, lviii.

[27] Ex. gr. cum in bello aliquis ad stationem periculosum missus sit, ea conditione, ut stationem non deserat, priusquam alter ejus vicem suppleat. BARBEYRAC.

Unde

Cap. 5. Unde necessitas non id quidem efficit, ut directe lex possit violari, & peccatum admitti; sed ex benevola legislatorum mente, simulque naturæ humanæ consideratione præsumitur, casum necessitatis sub lege generaliter concepta non contineri. Exemplo uno & altero res erit declaranda.

Sinit abscindere membrum pro salute totius: XIX. QUANQUAM alias homini non sit jus in sua membra, ut illa pro lubitu mutilet, perdatve: licebit tamen *abscindere membrum insanabili vitio correptum*, ne totum corpus c. 6. § 3. pereat, aut partes adhuc sinceræ trahantur, aut inutili appendice aliorum usus membrorum impediatur.[28]

Jactura hominum levare scapham degravatam: XX. SI in *naufragio plures in scapham* insiluerint, quam illa ferre possit, neque ad unum peculiari jure scapha pertineat; videntur sorte ducendi, qui projiciantur: & si quis sortis periculum subire detrectaverit, tanquam qui omnium interitum quærat, extra sortem præcipitari poterit.

Perituro alias secum mortem maturare: XXI. SI *duo in præsens vitæ periculum* incidant, in quo utrique sit pereundum; uni quid facere licet, ex quo alteri, alias perituro, fata admoveantur, ut ipse salvus sit. v. g. Si ego natandi peritus cum altero natandi imperito in profundas aquas incidissem, & ille me

---

[28] Eadem ratione licet magistratui civem noxium de medio tollere.

[29] Quod si imbecillior viribus prius tabulam occupaverit, minime licebit validiori illum tabulâ disturbare; quoniam

me circumplexus teneret, neque mihi tantæ sint vires, ut ipsum mecum aquis efferre valeam : potero talem a me violenter amoliri, ne cum ipso simul suffocer, etsi is per exiguum tempus a me utcunque sustentari potuerit. Sic in naufragio, ubi ego tabulam occupavi duorum non capacem, si quis adnatans eidem quoque se velit injicere, me simul secum perditurus, potero eum quavis violentia a tabula repellere[28]. Sic quando duobus fugientibus hostis necem intentans instat, unus vel porta post se clausa, vel ponte dejecto, alterum in periculo vitæ destituere potest, si uterque simul servari nequeat. Cap. 5.

XXII. Ex necessitate potest alteri *periculum mortis aut magnæ læsionis intentari indirecte* ; ita ut nobis non sit propositum ipsi nocere, sed duntaxat pro nostra conservatione talem actum suscipere, ex quo probabiliter noxa ipsi possit inferri ; ut tamen mallemus quavis potius alia ratione necessitate nostra defungi, & ipsam læsionem quantum in nobis temperemus. Sic si robustior mortem intentans me persequatur, ac in angusta via, qua fugiendum, forte quis occurrat ; ubi admonitus non cesserit, aut id temporis locive angustia non admiserit, licebit illum prosternere, & per eum jacentem fugam persequi, etsi probabiliter ex eo impulsu vehementer videatur

Innocenti periculum mortis intentare. c. 6. § 5.

---

quoniam in pari causa possidentis melior est conditio. Vid. LACTANT. *Instit.* L. V. c. xvi.

Cap. 5. affligendus. Nisi forte illi peculiari obligatione tenear, ut etiam ultro pro ipso periculum subire debeam. Quod si fugæ interpositus, admonitus licet, decedere via nequeat, puta si infans sit aut claudus; saltem excusationem merebitur, qui super eundem saltum molitur potius, quam moras nectendo corpus hosti præbet. At vero si quis petulanter vel inhumane mihi obstiterit, & viam fugiendi concedere noluerit, etiam directe impelli ac prosterni potest. Cæterum quibus per *istos* casus læsio conciliatur, eam tanquam fatalem calamitatem ferre debent.

In necessitate victum invito domino subducere. c. 6. § 6.

XXIII. SI quis præter propriam[30] culpam *in extrema inopia victus aut vestium* adversus frigus necessariarum versetur, neque ab aliis *locupletioribus* atque abundantibus, precibus, pretio, aut oblata sua opera, ut ultro sibi illas concederent, impetrare potuit; citra crimen furti aut rapinæ, vi vel clanculum illas subducere poterit; præsertim si intentionem habuerit earum æstimationem præstandi, quando occasio oblata fuerit. Nam locuples in ejusmodi

---

[30] Non opus est hac restrictione: non enim ideo pauperibus fame pereundum est, quoniam opum, quas prius habuerunt, prodigi fuerunt.

[31] Contrariam partem tuetur WOLLASTONUS, quia nemini licet jus alterius lædere. Sed respondeo in hoc casu, jus domini cessare, & ad inopem transferri. Si necessitas jus in alterius vitam dare possit (ut supra ostensum est) quidni etiam in bona? In extrema necessitate jus communiter omnibus competit in res, quæ singulorum propriæ prius factæ fuerunt. Cujus rationem

ejusmodi necessitate constituto ex officio humanitatis debebat succurrere. Quanquam autem regulariter, quae ex humanitate debentur, hautquaquam vi possint eripi: tamen extrema necessitas efficit, ut talia non minus asseri queant, quam quae ex obligatione perfecta debentur [31]. Necessum tamen est, ut egenus omnes prius vias tentet, quo volente domino necessitatibus suis succurrere queat; neve dominus pari necessitate teneatur, aut mox in eandem sit devolvendus. Et ut restitutio fiat: praesertim ubi alterius fortunae non ferant, gratis tale quid condonare.

Cap. 5.

Quid liceat in res alienas pro servandis nostris. c. 6. § 8.

XXIV. DENIQUE videtur & necessitas, circa res nostras versans, veniam indulgere *res alienas perdendi*: ita tamen ut citra nostram culpam id periculum rei nostrae exstiterit; ut idem commodiore via dispelli nequeat; ut ne pro viliori nostra re alterius pretiosiorem perdamus; ut aestimationem ejusdem praestemus, si quidem ista alias peritura non fuerat; aut in partem damni veniamus, si alterius res una cum nostra alias peritura erat, quae nunc sua

---

nem sic explicat GROTIUS. " Spectandum est, inquit, quae mens eorum fuerit, qui primi dominia singularia introduxerunt: quae credenda est talis fuisse, ut quam minimùm ab aequitate naturali recesserit. Hinc primo sequitur in gravissima necessitate revivíscere jus illud pristinum rebus utendi, tanquam si communes fuissent: quia in omnibus legibus humanis, ac proinde & in lege dominii, summa illa necessitas videtur excepta." *De Jure B. & P.* L. II. c. ii. § 6.

Cap. 5. jactura nostram servat[32]. Quam æquitatem fere *leges nauticæ* sequuntur[33]. Sic & orto incendio, eoque ædibus meis imminente, licebit vicini ædes diruere, ita tamen, ut quorum ædes hoc modo servatæ sunt, pro rata vicini damnum farciant[34].

CAP. VI.

De Officio quorumlibet erga quoslibet; & *primo*, De non lædendis aliis.

Officia hominis cujuslibet erga quemlibet. L. iii. c. 1.

I. SEQUUNTUR *Officia*, quæ homini *adversus alios homines* sunt exercenda. Eorum aliqua proveniunt *ex communi obligatione*, qua Creator omnes homines ut tales inter se devinctos voluit: aliqua autem *ex certo instituto* per homines introducto aut recepto, vel *ex certo hominum statu adventitio* promanant.

---

[32] Sic lege *Rhodiâ* cavetur; *ut si levandæ navis gratiâ jactus mercium factus sit, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est.* Digest. L. 15. Tit. II. l. i.

[33] "Sic in navigatione, si quando defecerint cibaria, quod quisque habet, in commune conferri debeat. Sic funes aut retia descindere possum, in quæ navis mea impulsa est, si aliter explicari nequit." Grot. *ubi supra.*

[34] Exemplis idem Seneca illustrat. *Controv.* L. IV. *Necessitas est, quæ navigia jactu exonerat; necessitas est, quæ ruinis incendia opprimit; necessitas est lex temporis.*

[1] Status est adventitius, qui hominibus vel naturâ contigit, ut patris & filii; vel vi pacti alicujus, ut magistratûs & subditi, mariti & uxoris.

nant [1]. Illa cuilibet erga quemlibet exercenda: hæc autem non nisi erga certos, posita certa conditione aut statu. Inde & illa possis vocare *absoluta*, hæc *hypothetica*. Cap. 6.

II. INTER officia absoluta seu quorumlibet erga quoslibet *primum* locum obtinet: *Ne quis alterum lædat*. Est quippe hoc officium omnium latissimum, omnes homines ut tales complexum. Idemque facillimum; utpote nuda actionis intermissione constans, nisi qua obluctantes rationi libidines quandoque compescendæ sunt. Quin & maxime necessarium idem est, quod citra illud socialis hominum vita nullo modo consistere queat [3]. Qui enim nihil boni in me confert, qui ne vulgaria quidem officia mecum miscet, cum eo tamen tranquille vivere possum, modo nulla ratione me lædat. Imo a maxima parte mortalium nihil amplius quam isthoc desideramus [4]. Bona fere inter paucos invicem communicantur. Ast cum eo, qui me lædit, nullo modo pacifice possum

Illorum primum, Alium non esse lædendum.

c. 1. § 2.

[3] Homini non licere hominis incommodo suum augere commodum demonstrat CICERO: tum quia contra naturam est, tum quia dissolvit omnem humanam societatem. *De Offic.* L. III. c. v, vi. Usque adeo alienum est à ratione & æquitate dogma *Hobbesianum*, naturam unicuique *jus in omnia* dedisse, i. e. in statu naturali, unicuique licere facere quæcunque & in quoscunque libet & potest. *De Cive.* c. i. § 20.

[4] Totum, præceptum juris naturæ stricte sic dicti negativum est; & prohibet ne alter alteri obsit, vel damnum quacunque ratione inferat. Affirmativa præcepta ad Principia honesti & humanitatis pertinent, ut

Cap. 6. possum vivere: cum natura cuique tam tenerum amorem sui, rerumque suarum inseverit, ut non possit non omnibus modis repellere eum, qui istis noxam inferre aggreditur.

Neque in naturalibus, neque acquisitis bonis: c. i. § 3. III. Hoc ipso autem officio velut muniuntur non illa tantum, quæ per ipsam naturam alicui adsunt; uti est vita, corpus, membra, pudicitia, libertas; sed & quæcunque instituto aliquo atque conventione humana sunt quæsita. Sic ut quocunque legitimo titulo aliquid nostrum sit, hoc præcepto idem auferri, corrumpi, lædi, usibus nostris ex toto aut parte subtrahi vetetur. Unde hoc ipso interdicta intelliguntur quævis crimina, quibus aliis noxa infertur: uti est cædes, vulneratio, verberatio, rapina, furtum, fraus, vis directe aut indirecte, mediate aut immediate illata, & quæ sunt similia [5].

Unde fluit, datum damnum esse resarciendum. c. i. § 4. IV. Ex hoc porro consequitur: *Si cui sit ab altero læsio illata, damnumve datum ullo modo, qui ipsi recte potest imputari; id quantum fieri potest ab eodem esse sarciendum* [6]. Alias enim vanum erit præceptum, ne quis lædatur

---

nempe alter alteri prosit; nec ad eadem in foro humano, nisi obligationis perfectæ vinculum ex facto humano & necessitate obveniat, cogi aliquis potest. Trever.

5 His subjungam, omissionem alicujus, quod alteri perfecto jure debetur, pro damno habendam esse. *Ibid.* § 3. Eodem modo Grotius: " Maleficium appellamus culpam omnem sive in faciendo sive *in non faciendo* pugnantem cum eo, quod aut homines communiter

datur, neve cui damnum detur; si ubi de facto læsus fuerit, damnum ipsi gratis sit devorandum; & qui læsit, fructu suæ injuriæ secure & citra refusionem gaudere queat. Neque etiam citra necessitatem restitutionis ab se invicem lædendis abstinebit unquam mortalium pravitas; nec ei, qui damnum passus est, facile fuerit animum ad agendam cum altero pacem componere, quamdiu istius reparationem non obtinuerit [7].

Damnum est ejus, quod nostrum est, læsio aut negatio. c. 1. §3.

V. *Damnum* etsi proprie ad rerum læsionem pertinere [8] videatur, ita tamen late a nobis heic accipitur, ut notet omnem læsionem, corruptionem, diminutionem, aut sublationem ejus, quod nostrum jam est; aut interceptionem ejus quod ex jure perfecto debebamus habere; sive id datum sit a natura, sive accedente facto humano aut lege attributum; aut denique omissionem ac denegationem alicujus præstationis, quam alter nobis ex obligatione perfecta exhibere tenebatur. Ast si intercipiantur, quæ ex obligatione duntaxat imperfecta debebantur; non censetur damnum datum,

" muniter, aut pro ratione certæ qualitatis facere de-
" bent." *De Jure B. & P.* L. II. c. xvii. § 1.

[6] Ut recte percipiamus, quinam ad damnum resarciendum tenentur, prius intelligere oportet, quibus & quando fit injuria. De qua re videsis cap. ii. § 15. *not.* 41.

[7] Non hoc tantum; sed eum tanquam hostem jure existimare potest. BARBEYRAC.

[8] In hoc enim sensu vocem usurpant Jureconsulti Romani, quibus solenne est *damnum, injuriam,* & *noxam* inter se distinguere. Vid. *Digest.* L. XXXIX. T. ii. l. 3.

Cap. 6. quod pensari debeat [9]. Inconveniens enim fuerit damni loco ducere, talia non accepisse, aut pensationem eorum postulare, quæ ab altero non nisi in locum ultronei beneficii expectare poteram, & quæ inter mea, antequam ea accepero, censere non possum [10].

Sive rei ipsius, sive provenientis inde fructus.

VI. Sub damni porro nomine venit non modo res nostra, aut nobis debita, quæ læditur, perditur, aut intercipitur; sed & *fructus* qui ex ipsa re proveniunt, sive jam sint percepti, sive adhuc sperentur, si modo dominus eos percepturus fuerat [11]: deductis tamen impensis quæ ad fructuum perceptionem fuerunt necessarii. Æstimatio autem fructuum speratorum intenditur aut remittitur, prout propius aut longius a fine incerti proventus remoti fuerint [12]. Denique & pro uno damno habetur, quicquid ex aliqua læsione velut naturali necessitate deinceps profluit [13].

---

9 Sic Aristoteles: πλεονεκτεῖ οὐδὲν ὁ οὐ βοηθήσας χρήμασι δι' ἀνελευθερίαν. *Non peccat contra justitiam, qui præ tenacitate pecuniâ alteri non succurrit. Eth. ad Nic* L. V. c. 4.

10 Conf. Grot. *De Jure Belli & Pac.* L. II. c. 17. §. 2.

11 Exemplo sit illud *Grotianum.* "Fur & raptor "tenentur rem substractam reddere cum suo incre"mento naturali, & cum sequente damno aut cessan"te lucro." *De Jure B. & P.* L. II, c. xvii. § 16.

12 "Spes lucri ex nostro æstimabitur, non ut illud "ipsum, sed secundum propinquitatem ad actum, ut "in semente spes messis." Grotius ubi supra § 5.

VII.

Cap. 6.

Datur per se, per alios: & cui imputetur?

c. 1. § 4.

VII. Potest autem quis alteri damnum dare non solum immediate & *per se*, sed & *per alios*. Potest & damnum immediate ab aliquo datum *alteri* imputari, quia ad istud factum aliquid contulit vel faciendo, vel non faciendo quod debebat facere [14]. Quandoque inter plures, qui ad idem factum concurrerunt, unus *principalis* causa habetur, alter *accessorii* in loco est: quandoque omnes *pari* passu ambulant. Circa quos observandum: illos ita teneri ad reparationem damni, si revera causa damni fuerint, & momentum aliquod attulerint ad totum damnum, aut ejus partem [15]. Ubi autem quis ad ipsum actum, quo damnum fuit datum, realis aliquid operæ non contulit, neque ut iste susciperetur antecedenter effecit, neque in partem emolumenti venit: is licet occasione istius actus aliquo peccato obstringatur, ad restitutionem tamen

[13] Exempla varia ad hanc rem illustrandam adduxit Grotius, quorum unum & alterum subjiciemus: " 1. Homicida injustus tenetur solvere impensas, si " quæ factæ sunt in medicos, & iis quos occisus alere " ex officio solebat, putà parentibus, uxoribus, libe- " ris, dare tantum, quantum illa spes alimentorum, " ratione habita ætatis occisi, valebat. 2. Qui mu- " tilavit, similiter tenebitur ad impensas, & ad æsti- " mationem ejus quod jam, qui mutilatus est, minus " poterit lucrari." Ubi supra. § 13, 14.

[14] Vid. Quæ supra commentabar de concursu ad alienum crimen ad Cap. I. § 27. *not.* 60, 61.

[15] Exempli causa: " Cui magistratûs collatio man- " data est, is reip. tenetur ad eligendum eum qui dig- " nus sit, & ad hoc exigendum resp. jus habet propri- " um;

Cap. 6. men damni non tenebitur: uti ſunt, qui alienis malis lætantur; qui patratum damnum laudant, excuſant; qui antequam fiat, optant; dum fit, favent, aut aſſentantur.

Plures ſi dederint, quo ordine teneantur? c. 1. § 5. VIII. Ubi *plures* ad unum actum ex quo damnum profluxerit, concurrerunt, primo loco tenebitur, qui imperio, aut alio modo neceſſitatis quid habente, ad factum alios impulit. Patrator facinoris, cui miniſterium detrectare non licuit, inſtrumenti tantum rationem habebit. Qui citra neceſſitatem ad facinus acceſſit, ipſe primo loco tenebitur; tum cæteri, qui ad facinus aliquid contulerunt. Ita tamen, ut ſi a prioribus reparatio damni fuerit facta, poſteriores ab eadem ſint immunes (quod in pœnis ſecus eſt.) Si plures per conſpirationem aliquod facinus patraverint, omnes pro ſingulis, & ſinguli pro omnibus tenentur; ſic ut ſi omnes comprehendantur, ſinguli ratam

---

" um: quare ſi ex indigni electione damnum fecerit " reſpublica, ille reſarcire tenetur." Grotius ubi ſupra, § 3.

16 Actus ſunt vel dividui, vel individui. 1. In *dividuis* quilibet in tantum tenetur, in quantum nocuit. Exemplum nobis ſupplevit ipſe auctor in opere majori: " Si plures aliquem fuſtibus invaſerint, quorum unus " capiti vulnus inflixerit, alter brachium fregerit, " tertius oculum excuſſerit, ſinguli non de tota læ- " ſione tenebuntur, ſed quiſque pro eo quod ipſe fe- " cit. Etſi ſæpe quando unus elabitur, qui deprehen- " duntur, in ſolidum damnentur; præſertim ubi con- " ſpiratum inter ipſos ad facinus patrandum fuerit." L. III. c. i. § 5. 2. *Individui* ſunt, ad quos multi concurrunt, ſed ita ut etiam ex unius opera integer actus fuerit

ratam partem ad damnum ſarciendum conferre debeant. Ubi reliquis elapſis unus tantum deprehendatur, hic pro omnibus ſolvere tenebitur. Ubi autem ex deprehenſis aliqui non ſint ſolvendo, locupletes in ſolidum tenebuntur. Quod ſi plures citra conſpirationem ad idem facinus concurrerint, ac diſcerni liquido poſſit quantum quiſque ad damnum contulerit; quiſque tantum tenebitur ad id penſandum, quod ab ipſo proceſſit. Quod ſi unus ſolidum ſolverit, reliqui a reparatione damni liberantur [16]. Cap. 6.

IX. Ad reparationem damni tenetur non ſolum, qui dolo malo alteri nocuit; ſed & qui præter directam intentionem per *negligentiam* ſeu *culpam*, quam evitare facile erat. Hæc enim non minima pars eſt ſocialitatis, ita circumſpecte agere, ut noſtra converſatio aliis non fiat formidoloſa, aut intolerabilis. Quin *Ex dato per negligentiam aliquis tenetur;* c. 1. § 7.

fuerit ſecuturus, neque ſingulis certa velut pars iſtius queat aſſignari; uti eſt incendium, perfoſſio aggeris, & ſimiles. Nam damnum inde datum idem fuiſſet ſecuturum, ſi vel maxime unus tantum ei facinori manus admoviſſet: ſic ut definiri nequeat, quota pars incendii vel inundationis à ſingulis provenerit. In tali actu ſinguli in ſolidum tenentur: ita tamen ut ſi ſinguli comprehendantur, æquales damni partes ſarcire debeant. Similiter Grotius: "Tenentur in ſolidum ſinguli qui ad actum cauſam dederunt, ſi totus actus ab ipſis, quanquam non ſolis, proceſſit." *Ubi ſupra*, § 11. Quam regulam hoc exemplo illuſtravit noſter. "Tres ſunt, qui faces ſimul alicui domui injecerunt. Heic actus incenſæ domûs totus videtur à ſingulis proceſſiſſe, etſi non à ſolis." *Ubi ſupra.*

&

Cap. 6. & sæpe ex peculiari obligatione quis ad accuratam diligentiam adhibendam astringitur [17]. Imo & levissima culpa ad reparationis necessitatem sufficere potest, si modo negotii natura exactissimam diligentiam non ultro velut adspernetur; aut ejus magis, qui damnum accipit, quam qui dat, culpa versetur; aut nisi magna perturbatio vel negotii circumstantia accuratam circumspectionem non admittat; puta si quis in fervore pugnæ, dum arma quatiat, proxime sibi adstantem lædat [18].

Non item ex eo quod casu fortuito accidit.

X. VERUM qui per *casum fortuitum* & citra suam culpam [19] læsit, ad reparationem non tenetur. Quia cum nihil sit admissum, quod imputari ipsi queat, nulla ratio est, quare potius is, qui invitus fecit, fatale malum luere debeat, quam alter, qui passus est [20].

Ex damno ab aliquo nostro homine dato;

XI. ILLUD quoque naturali æquitati congruum est, ut si *homo noster* citra culpam no-

---

[17] Sic ex neglectu tenentur reges ac magistratus, qui ad inhibenda latrocinia & piraticam non adhibent ea quæ possunt ac debent remedia. GROTIUS *ubi supra.* Si quid damni à latronibus fecerit viator, incolæ resarcire tenebuntur. Vid. supra, c. 1. § 18. not. 48.

[18] Exemplum ab ÆLIANO [*Var.Hist.* L. III. c. xliv.] adducit noster in opere majori. *Ubi supra.* " Adolescenti qui in socium ensem impulit, dum latronem " ferire conatur, ita *Pythia* respondit:

Ἔκτεινας τὸν ἑταῖρον ἀμύνων, οὔ σ᾽ ἐμίανεν
Αἷμα, πέλεις δ᾽ χέρας καθαρώτερος, ἢ πάρος ἦσθα.

Defendens socium verso mucrone necâsti;
Purior es manibus nunc, quàm prius esse solebas.

stram

ſtram alteri damnum dedit; id vel ipſi penſemus, vel iſtum læſo dedamus. Nam ſervus utique naturaliter reparationi damni a ſe dati eſt obnoxius. Cum autem ipſe non habeat bona unde reparatio fieri queat, ejuſque corpus domini ſit; æquum ſane eſt, ut dominus aut damnum ſarciat, aut iſtum dedat[21]. Alias enim ſervo daretur licentia omnes pro libidine lædendi, ſi neque ab ipſo, qui nihil, ac ne ſeipſum quidem habet, neque a domino reparatio damni obtineri poſſit. Nam ſi vel maxime ob læſionem dominus ipſum verberibus aut carcere velit plectere, læſo inde hautquidquam ſatisfieri poteſt. Cap. 6.

Aut ab animali noſtro, ad quid teneamur?

XII. Quin & idem circa *animalia noſtra* æquum eſſe videtur, ut quando illa etiam citra noſtram culpam, & contra naturam generis ſponte

---

[19] Addere oportet, *vel negligentiam.*

[20] Hæc ratio probare videtur, non ut lædens ab omni reſtitutione abſolvatur, ſed ut par ſit infortunium ex utraque parte. Juxta hanc regulam qui damnum dedit, dimidium rei valorem ferenti rependere debuit, ſi pares ſint circumſtantiæ: iis imparibus, æquum eſt diviſionem imparem pro ratâ fieri. Sunt qui volunt cauſam damni *phyſicam,* quà talem, ad reſtitutionem omnino teneri, etſi nulla huic culpa ineſt: quæ norma æquitati quadrare non videtur. Attamen res ſic ſtare poſſunt, ut qui fortuitò alteri damnum det, ad integram reſtitutionem ſaltem imperfecto jure teneatur; puta ſi a divite damnum fecerit pauper.

[21] Cenſet Grotius hoc ſolum eſſe ex jure civili; & dominum, qui in culpa non eſt, naturâ ad nihil teneri. *Ubi ſupra,* § 21. Sed mihi magis arridet opinio auctoris, qui dominum jure naturæ & æquitatis ratione

Cap. 6. sponte commota, alteri damnum dederint, dominus vel damnum sarciat, vel animal dedat. Nam si ab animali, quod in libertate naturali degebat, læsus fuissem, poteram utique qualitercunque damnum meum reparare illud capiendo vel occidendo: quod jus sane per alterius dominium tolli non potuisse videtur. Et cum dominus ex eo animali lucrum capiat, ego vero damnum ex eodem senserim, reparatio autem damni longe sit favorabilior, quam lucri adquisitio: adparet, recte a domino animalis postulari, ut damnum datum reparet, aut si tanti non sit ipsi animal, illud noxæ dedat [22].

Ex dato sine dolo malo, per malitiam, ad quid teneamur?

XIII. Sic igitur qui *damnum* alteri *citra dolum malum* dedit, ultro reparationem debet offerre, testarique malitiam abs se abfuisse, ne læsus ipsum pro hoste habeat, ac vicissim hostilia intentet. Qui autem *per malitiam* alterum læsit, is non solum ultro reparationem damni debet offerre, sed & pœnitentiam sui facti ostendere, veniamque petere. Vicissim

ratione teneri statuit. Cum enim natura cuiq; tribuat facultatem damni sibi illati reparationem aliquâ ratione quærendi, & cum servus nihil habeat de proprio, æquitati & rationi consonum videtur, ut dominus, qui omne lucrum ex ejus operâ sibi acquirit, damnum à servo datum resarciat, vel ipsum dedat.


22 Vult BARBEYRACCIUS non eandem esse animalium & servorum rationem, quippe in hos culpa cadere possit, in illa non item. Quæ distinctio tantum facit, ne animal pœnas det, (pœnâ propriè dictâ in irrationalia non cadente) non autem, ut dominus cui lucrosum est, à damno resarciendo absolvatur.

læsus

læſus, reparatione obtenta, pœnitenti ac petenti *veniam dare*, & cum ipſo in gratiam redire tenetur. Nam qui reparatione damni & pænitentia adquieſcere non vult, ſed vindictam utique manu ſibi quæſitum it, nihil aliud agit, quam ut acerbitati animi ſui obſequatur, adeoque ex cauſa ſupervacua pacem inter homines abrumpat. Quo nomine damnatur etiam naturali lege *vindicta*, quæ nullum alium finem habet propoſitum, quam ægre facere illis qui nos læſerunt, eorumque dolore noſtrum animum ſatiare. Eo proniores autem mortales ad condonandas mutuas offenſas eſſe decet, quo frequentius ipſi ſupremi Numinis leges violant, eoque & ipſi venia quotidie opus habent [13]. Cap. 6.

---

[13] Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. xx. § 5. qui ibidem oſtendit non chriſtianos modo doctores, ſed & philoſophos ultionem in hominibus improbare.



C A P.

CAP. VII.

DE AGNOSCENDA NATURALI HOMINUM ÆQUALITATE.

Officium alterum, Alios æstimandos sibi æquales.

I. EST homo animal non modo sui conservandi studiosissimum, sed & cui insita sit delicata quædam sui æstimatio; cui si quid detrahatur, non minus sæpe commoveri solet, quam illata corpori aut rebus noxa [1].

c. 2. §. 1. Quin in ipso hominis vocabulo judicatur inesse aliqua dignatio, sic ut ultimum simul atque efficacissimum argumentum, quo aliorum insolens insultatio retunditur, istoc habeatur: utique non canis sum, sed æque homo atque tu [a]. Cum igitur natura humana omnibus æque competat, & nemo libenter velit aut possit illi sociari, abs quo non saltem tanquam æque homo, & communis naturæ particeps æstimatur: ideo *secundo* loco inter officia quorumlibet in quoslibet habetur: *Ut quisque alterum hominem æstimet atque tractet, tanquam naturaliter*

[1] "Adjuncta est adpetitio quædam principatûs, ut "nemini parere animus bene à naturâ informatus "velit; nisi præcipienti aut docenti aut utilitatis cau"sa justè & legitimè imperanti: ex quo animi magni"tudo existit, humanarumque rerum contemptio." CICER. *de Offic.* I. 4.

[a] STAT. Theb. XII. 565.

Hominum

naturaliter sibi æqualem; seu ut æque hominem. Cap. 7.

Æqualitas hominum quo fundamento nitatur? c. 2. § 2.

II. CONSISTIT autem isthæc hominum *æqualitas* non in eo solum, quod hominum adultorum *vires* fere sint æquales [3] hactenus ut etiam imbecillior robustiori mortem adferre possit, per insidias, aut adjuvante dexteritate, armorumque habilitate: sed & in eo, quod licet unus præ altero variis *dotibus* animi corporisque a natura sit ornatus, non eo minus tamen legis naturalis præcepta adversus alios ei sint exercenda, atque ipse ab aliis idem exspectat; nec ideo plus licentiæ ipsi concedatur alios injuriis afficiendi. Sicuti & contra neminem parca in ipsum natura, aut tenuis fortuna per se ad id condemnat, ut deterioris conditionis circa fruitionem communis juris sit, quam alii. Sed quæ unus ab altero postulare aut exspectare potest, eadem alii quoque cæteris paribus, ab eodem debent; & quod juris quis in alios statuit, eo ipsum uti maxime convenit. *Obligatio* quippe *ad colendam cum aliis hominibus vitam socialem, omnes homines*

——— *Hominum, inclyte Theseu,*
Sanguis erant omnes, eademque in sidera, eosdem
Sortitus animarum, alimentaque vestra creati.

[3] Ratio ab æqualitate virium petita nihil omnino valet ad probandam naturalem hominum æqualitatem. Tantum abest à veritate, ut hæc sola sit causa, prout asserit HOBBESIUS. *De Cive.* cap. i. § 3. Aliud jus, aliud potentia. Superiores facultates (sint animi vel corporis)

Cap. 7. *homines æqualiter ſtringit*, nec uni magis licet leges naturales in alio violare, quam alteri. Etſi nec deſint populares rationes eam æqualitatem illuſtrantes; puta quod ex eadem ſtirpe omnes deſcendamus, eodem modo naſcamur, nutriamur, moriamur [4]; quodque Deus nemini de ſtabili & inconcuſſa fortuna caverit [5]. Sicut & ſcita religionis Chriſtianæ, parando Numinis favori non nobilitatem, potentiam, divitiaſve, ſed pietatis ſinceritatem commendant, quæ æque in humilem, quam illuſtri poſitum loco, cadere poteſt [6].

Cuique permittendum, ut alii eodem ſecum jure fruantur. c. ii. § 3.

III. Ex hacce porro æqualitate conſequitur eum, qui aliorum opera ad commodum ſuum uti vult, viciſſim quoque in eorundem uſus ſeſe diſpenſare debere. Nam qui poſtulat ut alii quidem ſibi inſerviant, ipſe contra ſemper immunis eſſe cupit, is alios utique ſibi inæquales ducit [7]. Inde uti ad ſocietatem quam maxime ſunt idonei, qui facile eadem omnibus permittunt;

---

corporis) æqualitatem non deſtruunt, ut exinde jus imperii in alterum oriatur. Vid. quæ notavi *ſupra* ad cap. ii. § 5. not. 10.

4 Claudian. in Rufin. ii. 473.

Huc poſt emeritam mortalia ſæcula vitam
Deveniunt, ubi nulla manent diſcrimina fati,
Nullus honos, vanoque exutum nomine regem
Proturbat plebeius egens———

5 Horat. 1 Carm. 34.

fatit

mittunt, quæ sibi: ita plane insociabiles sunt, Cap. 7.
qui dum aliis superiores sese existimant, omnia licere sibi solis volunt, & ante cæteros honorem sibi arrogant, partemque præcipuam ex rebus in medio positis, ubi nullo præ reliquis eximio jure pollent. Unde & id inter communia legis naturalis officia est: *Ut ne quis cui peculiare jus non est quæsitum*[8], *plus sibi, quam reliquis arroget, sed alios æquo secum jure frui permittat.*

IV. EADEM æqualitas quoque ostendit, quomodo quis sese debeat gerere, ubi *jus inter alios* ipsi sit *distribuendum*; nempe ut tanquam æquales eos tractet, & neutri præter merita causæ quid præ altero indulgeat. Secus enim si fit, is qui posthabetur contumelia simul & injuria afficitur, & dignatio á natura data eidem detrahitur. Unde consequitur, ut res communis æqualibus portionibus inter æquales jure sit dividenda. Ubi divisionem res non

In jure distribuendo omnes tractandi ut æquales.

c. ii. § 5.

——*Valet ima summis*
Mutare, & insignem attenuat Deus
Obscura promens——

[6] Conf. Auctoris *Eris Scandic.* p. 51.

[7] Valet hæc regula tam in statu civili quàm naturali. *Quæ conveniunt eidem tertio, conveniunt inter se,* norma est tam rebus moralibus quàm mathematicis conveniens; cui salvatoris mandatum quadrat; *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, eadem vos facite illis.* Mat. vii. 12.

[8] In statu civili quidam peculiari jure ab aliis exigere possunt, quod ab iis reciprocè nequit postulari.

Cap. 7. non admittit, eadem communiter uti debent, qui æquale jus habent; idque si quantitas rei permittat, quantum quisque velit. Sin res istud non ferat; ut tunc utantur ea re præfinito modo, & proportionate ad numerum utentium. Alius enim modus excogitari non potest æqualitatem observandi. Quod si autem neque dividi res, neque communiter haberi possit; usus ejus sit vel alternus; vel si ne hoc quidem succedat, aut reliquis æquipollens præstari nequeat, per *sortem* uni res erit adjudicanda. Nam in ejusmodi casibus commodius quam sors remedium inveniri nequit; quippe quæ opinionem contemtus removet; & cui non favet, de dignatione nihil detrahit.

In quo consistat superbia, in quo vera humilitas.

V. Contra hoc officium peccatur per *superbiam*, qua quis nulla de causa aut non sufficiente aliis se præfert, & velut inæquales eosdem præ se despicit. *Nulla de causa* dicimus. Nam ubi quis sibi rite jus quæsivit, quod ipsi præ aliis prælationem dat, recte illud exercere & tueri potest, citra tamen inanem fastum, aut aliorum contemtum. Sicuti & contra, quilibet alteri prælationem honoremque, qui ipsi debetur, merito præstat. De cætero,

c. ii. § 6.

Aliæ circumstantiæ alios mores requirunt; diversa conditio magistratûs & subditi, domini & servi, diversam obligationem secum fert.

9 Audi de hac re Cartesium. "Omnium injustissima est superbire absque causa; i. e. cum quis "etiam

cætero, veræ generositati semper comes est honesta quædam *humilitas*, quæ consistit in reflexione, quam facimus super infirmitate naturæ nostræ, & erroribus, quos olim potuimus commisisse, aut deinceps possumus committere; qui non minores sunt iis, qui ab aliis committi possunt. Per quam efficitur, ut nos nemini præferamus, reputantes, cæteros æque bene suo libero arbitrio, ac nos, uti posse, quo æque pollent; cujus legitimus usus unicum illud est, quod homo pro suo reputare possit, & quo sese æstimare aut despicere queat. Nulla autem de causa sese efferre, revera ridiculum est vitium [9]: quia & per se stultum, propter nihil se magni facere; & quia alios omnes pro stultis habet, quasi ipsum citra rationem essent æstimaturi. Cap. 7.

VI. MAGIS adhuc peccatur, si quis *contemtum* adversus alios ostendat signis exterioribus, factis, verbis, vultu, risu, ac quacunque contumelia. Quod peccatum eo deterius est censendum, quo asperius aliorum animi in iras ac ulciscendi libidinem concitantur. Adeo ut multi deprehendantur, qui vitam malint præsenti periculo exponere, multo magis pacem adversus alios abrumpere, quam con- *Superbia cum contumelia juncta, deterrima*, c. ii. § 7.

" etiam nihil cogitat sibi inesse meriti propter quod
" existimari debeat; solummodo quia meritum non
" magni facit, sibique imaginando gloriam nihil aliud
" esse quàm usurpationem, credit eos qui ejus sibi plus
" arrogant, ejus quoque plus habere." *De Passion.* Art. 157.

 tumeliam

Cap. 7. tumeliam inultam pati. Quippe cum per hanc violetur gloria & existimatio, cujus integritate & vigore omnis animi voluptas constat [10].

---

[10] Hoc loco notandum est auctorem omisisse utilissimum consectarium, quod ex naturali hominum æqualitate sequitur; viz. *omnes jure naturali liberos nasci*, & nullos esse natura servos. Hoc igitur ex opere majori supplebimus. "Citra pactum humanum nemo " potestatis quid in alterum habeat, sed quilibet sua- " rum actionum aut virium sit moderator. *Ibid.* § 9. Et § 8. " Longe absurdissimum foret credere, ab " ipsâ naturâ statim actu prudentioribus in hebetiores " esse imperium datum, aut saltem tale jus, ut illi " hosce etiam invitos ad serviendum adigere queant. " Nam ut actu constituatur imperium, factum ali- " quod humanum antecedere oportet. Et nequaquam " aptitudo naturalis ad imperandum statim alicui dat " imperium in eum, cui à natura ingenium est ser- " vitio aptum. Neque statim quod alteri utile est, " id licet mihi per vim ipsi imponere. Nam homines " naturali libertate ex æquo gaudent; cujus diminu- " tionem ut patiantur, necessum est ipsorum consensus " expressus vel tacitus aut interpretativus accedat, aut " aliquod ipsorum factum, quo aliis jus fuit quæsitum " eandem vel invitis eripiendi. Inde recte Quintil. " Declam. xiii. *Quid non liberum natura genuit?* " *Taceo de servis, quos bellorum iniquitas in prædam* " *victoribus dedit, iisdem legibus, eâdem fortunâ, eâdem* " *necessitate natos. Ex eodem cælo spiritum trahunt, nec* " *natura ullis sed fortuna dominum dedit.*"

CAP.

CAP. VIII.

De Promiscuis Officiis Humanitatis.

I. INTER officia quorumlibet erga quoslibet, & quæ propter communem socialitatem sunt exercenda, *tertio* loco id ponitur: *Ut quilibet alterius utilitatem, quantum commode potest, promoveat.* Cum enim cognationem quandam inter homines natura constituerit, parum fuerit alios non læsisse aut contemsisse; sed talia quoque in alios conferenda, aut invicem communicanda, ex quibus mutua inter homines benevolentia alatur[1]. Prosumus autem aliis vel *indefinite*, vel *defi-* *Officium tertium, Alterius commoda promovenda.* c. iii. § 1.

[1] Hæc sunt *officia humanitatis*, quæ, si leges humanas spectemus, non sunt *jure perfecto* debita: sed cùm utilitati communi necessaria videantur, perfectam obligationem à numine sibi adjunctam habent. Egregiè de hac re scripsit Cicero. "Non nobis solùm nati "sumus, ortusq; nostri partem patria vindicat, partem "parentes, partem amici. Atque, ut placet Stoicis, "quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia "creari; homines autem hominum causâ esse generatos, ut ipsi inter se, alius alii, prodesse possint. In "hoc naturam debemus ducem sequi, & communes "utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, "dando, accipiendo: tum artibus, tum operâ, tum "facultatibus devincire hominum inter se societatem." *De Offic.* I. vii.

Cap. 8. *nite*; idque ut vel *nihil* nobis, vel *aliquid decedat* [2].

Tum indefinite per utiles actiones & inventa; c. iii. § 2. II. *Indefinite* aliorum commoda promotum it, qui animam ac corpus suum probe excolit, ut utiles abs se actiones in alios proficisci queant; aut si ingenii per solertiam talia inveniat, quibus vita humana reddatur instructior. Unde contra hoc officium peccare sunt censendi, qui nullam honestam artem addiscunt, vitaque per silentium transita animam pro sale habent, ne putiscant; *numerus* tantum, & *fruges consumere nati* [3]: & qui opibus per majores relictis contenti, ideo impune abs sese ignaviæ litari credunt, quod aliorum industria jam sit partum, unde victitent:

Et qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis [4].

Item qui ad porcorum instar neminem nisi morte sua exhilarant. Et id farinæ alia otiosa terræ pondera.

---

[2] Hic addit WEBERUS: *Et quidem ut vel nihil nobis, scilicet per officia innoxiæ utilitatis, vel aliquid nimirum per beneficia alia decedat.*

[3] Ex HORAT. 1 *Epist.* ii. 27.

Nos numerus sumus & fruges consumere nati.

[4] VIRG. *Æneid.* vi. 610.

[5] VIRGILIUS recte in campis Elysiis eos locavit,

Inventas — qui vitam excoluêre per artes,
Quique sui memores alios fecêre merendo.
Æneid. vi. 663.

III.

III. Vicissim illis, qui de mortalium genere bene mereri instituunt, cæteri hoc debent, ut ipsis ne invideant, nec præclaris eorundem conatibus remoram injiciant. Tum si alia non sit via paria cum istis faciendi, saltem celebritatem memoriæ famæque eorum, qui præcipuus laborum fructus est, promotum eant 5. Cap. 8. *Quorum merita rite æstimare cæteri debent.* c. iii. § 3.

IV. [6] Imprimis autem illa bona, quæ citra nostrum detrimentum, molestiamque aut laborem præstari possunt 7, non libenter in alios dispensare, detestanda malignitas & inhumanitas habetur: Quæ vocari solent *res innoxiæ utilitatis*, seu quæ accipienti prosunt, præstantem non gravant. Uti sunt, non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, consilium fidele deliberanti dare, erranti comiter monstrare viam 8. Sic si quis rem aliquam amplius possidere nolit, propter nimiam copiam, aut quia asservatio ejus ipsi molesta est; cur non malit eam potius integram relinquere, ut aliis non hostibus usum præbere possit, *Tum humanitate in rebus innoxiæ utilitatis;* c. iii. § 4.

6 Hactenus de *indefinitis* officiis, quibus humani generis utilitati inservire possumus. Quæ sequuntur, ad officia *definita* pertinent.

7 Aliter Weberus: *Definitè quis inservit, quando certis hominibus indulget, quod ipsis utilitatem quandam afferre, & vel citra suum detrimentum, molestiamque aut laborem præstari potest, quale quid* non libenter, &c.

8 Ennius apud Cicer. *de Offic.* I. xvi.

Homo, qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit:
Nihilominus ipsi lucet, cum illi accenderit.

quam

Cap. 8. quam eandem corrumpere? Sic non fas nutrimentum perdere, ubi nos faturati fumus; neque fontem obturare, aut occultare, ubi nos affatim bibimus; neque figna navigationis itinerisque abolere, poftquam iis ufi fumus. Huc pertinent modicæ ftipes locupletum in egenos collatæ; item illa humanitas, quæ jufta de caufa peregrinantibus exhibetur, præfertim ubi aliqua ipfos calamitas oppreffèrit; & ejus generis alia [9].

Tum quoque beneficiis alicujus fumtus aut operæ.

V. Sublimior gradus humanitatis eft, ex fingulari benevolentia gratis quid in alterum conferre, impenfa aut opera laboriofa conftans, quo ipfius neceffitatibus obveniatur, aut eidem infignis quæpiam utilitas concilietur.
c. iii. § 15. Quæ καθ' ἐξοχὴν vocantur *beneficia*, aptiffima materia infignem laudem parandi, fi magnitudo animi & prudentia eadem rite temperaverit. Eorum difpenfationem ac modum fere conditio dantis atque accipientis moderatur. In quibus id comprimis obfervandum, ne obfit benignitas & iis ipfis, quibus benigne videtur fieri, & cæteris: deinde ne major benignitas fit, quam facultas; tum ut pro dignitate cuique tribuatur, & quidem ante omnia bene meritis; tum ut quifque noftræ opis indiget;

9 Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. ii. § 11.

10 Audiamus Ciceronem præclare de gratitudine differentem: " Nullum officium referendâ gratiâ magis neceffarium eft. Quod fi ea, quæ utenda acceperis majore menfurâ, fi modo poffis, jubet reddere " Hesiodus: quidnam beneficio provocati facere " debemus?

diget; observatis quoque conjunctionis gradibus inter homines. Videndum quoque, quid cuique maxime necesse sit, & quid quisque nobiscum, aut sine nobis possit consequi, aut non possit. Modus quoque dandi multum gratiæ beneficiis addit, si hilari fronte, promte, & cum contestatione benevolentiæ demus. Cap. 8.

VI. Vicissim in eo, qui beneficium accepit, existere debet *gratus animus*; quo is ostendit, istud sibi acceptum fuisse, dantique eam ob causam favet, & occasionem quærit paria reponendi, aut amplius, quantum ejus fieri potest. Nam id non necessarium est, ut præcise tantum reddamus, quanti id fuit quod datum est; sed sæpe studium & conatus obligationem explent [10]. Modo tamen nihil sit, quod ei, qui beneficium se dedisse prætendit, recte opponi possit. Nam qui me ex aquis extraxit, ei nihil debeo, si me in eas prius conjecerat.

Gratus animus in benefactorem quid involvat?

c. iii. §16.

VII. Cæterum quo magis ad devinciendos hominum animos apta sunt beneficia, eo acrius ad gratiam referendam incumbere decet, qui ista accepit. Saltem ne eum, qui fiducia nostri prior nobis benefecit, ob eam rem

Beneficium ad gratiam referendam obligat.

c. iii. §17.

———

" debemus? an imitari agros fertiles, qui multò plus " efferunt, quam acceperunt? Etenim si in eos, quos " speramus nobis profuturos, non dubitamus officia " conferre; quales in eos esse debemus, qui jam pro- " fuerunt?" *De Offic.* I. xv. Conf. Cartes. *de Passion.* Art. 194.

deteriore

Cap. 8. deteriore esse conditione patiamur; neve beneficiem accipiamus, nisi animo nitendi, ne dantem merito dati pœniteat. Nam si certam ob causam peculiariter alicui nolimus obligari, licebit oblatum beneficium dextre recusare. Et sane si absque necessitate gratiæ referendæ foret, contra rationem fecerit, si quis sua temere jactaverit, &, quod periturum prospicit, beneficium prior contulerit. Quo modo omnis tolleretur inter homines beneficentia & fiducia, unaque omnis benevolentia; neque esset inter eos quidquam gratuitæ opis, nec ullum gratiæ conciliandæ initium [12].

Ob ingratitudinem tamen actio in foro non datur.

VIII. Quanquam autem *in animo ingrato per se nulla sit injuria* [13]: fœdius tamen & magis odiosum ac detestabile habetur nomen ingrati, quam injusti. Censetur enim animi valde abjecti & degeneris, seipsum indignum declarare eo judicio, quod alter de ipsius probitate tulit: ac ne beneficiis quidem quæ e-

[12] Hoc comma maximâ ex parte huc transfertur ex Hobbesio. *De Cive*, cap. III. § 8.

[13] Quoniam gratia, quà gratia, nequit perfecto jure postulari.

[14] Similiter Seneca: " Primum omnium pars optima beneficii periit, si *actio*, sicut certæ pecuniæ, aut " ex conducto datur. Deinde cum res honestissima " sit referre gratiam, desinit esse honesta, si necessaria " est. Adjice nunc, quod huic uni legi omnia fora " vix sufficient." *De Benefic.* L. III. c. vii. *Persas* " autem in ingratos severè animadvertere auctor est Xenophon. *Cyropæd.* L. I. *Pr.* Conf. Grot. L. II. c. xx. § 20.

tiam

tiam bruta demulcent, moveri poſſe ad concipiendum humanitatis ſenſum. In foro tamen civili ob ſimplicem ingratitudinem, ſeu ubi quis nudi beneficii obliviſcitur, & occaſione id data referre negligit, *actio* non ſolet dari. Pars enim optima beneficii perit, ſi actio, uti certæ pecuniæ, detur: jam enim creditum eſſe incipiet. Et cum res honeſtiſſima ſit referre gratiam, deſinet eſſe ita ſplendide honeſta, ſi ſit neceſſaria. Denique huic uni legi vix omnia fora eſſent ſuffectura, ob difficillimam æſtimationem circumſtantiarum, quæ beneficium vel intendunt, vel elevant[14]. Et eam ipſam ob cauſam beneficium dedi, i. e. ejus quod dedi refuſionem mihi ſtipulatus non ſum, ut & alteri foret occaſio oſtendendi, ſe honeſti amore, non ex metu pœnæ humanæ aut coactionis, gratiam retuliſſe; utque ipſe non ſpe lucri, ſed ob humanitatem exercendam videar erogaſſe, de quo recipiendo mihi caveri noluerim[15]. Enimvero

Cap. 8.

---

[15] Hoc in capite tractari debent officia, quæ ad integras gentes ſpectant: qualia à gentibus erga gentes rectè exercentur; etſi non ſunt perfecto jure debita. Huc ſpectant plurima de quibus Grotius verba fecit, *De Jure B. & P.* L. II. c. ii. " I. Sic & terræ & " flumina, & ſiqua pars maris in proprietatem populi alicujus venit, patere debet his, qui tranſitu opus " habent ad cauſas juſtas; putà quia ſuis finibus ex- " pulſi quærunt terras vacuas, aut quia commercium " expetunt gente ſepoſita, aut etiam quia quod ſuum " eſt, juſto bello petunt." At verò hoc de innoxio tranſitu dicendum eſt, ut ubi pauci aliqui & inermes tranſire volunt: non autem de magnis exercitibus, à quorum tranſitu juſtus metus oriri poſſit. Grotius quidem

Cap. 8. nimvero qui non solum beneficium non rependit, sed & benefactori insuper malum reponit;

quidem existimat metum ad negandum transitum non valere. Sed mihi magis arridet opinio GRONOVII; quoniam (ut notat ipse *ad loc.*) si principi vel populo licet prohibere ipsis indigenis, ne sint armati intra fines; quamvis pauci, quamvis singuli, multo magis ei licet hoc non concedere exteris: Præterea si privatus prohibere potest, ne quis ingrediatur fundum suum venandi vel aucupandi gratiâ, multò magis princeps vel populus ne exercitus aut multitudo armata ipsius transeat fines. Porrò rectè animadvertit noster, "difficultatem non tolli, si quis dicat transitum esse dandum, ubi justo bello alter petatur; negandum, si injustum ei fiat bellum. Nam neque ista dijudicatio semper est satis expedita; & temerarium habetur ultrò se duobus armatis, velut arbitrum, interponere, & tantam litem suam facere. Accedit, quod concesso transitu in nostris terris belli sedes possit constitui." *De Jure Nat. & Gent.* L. III. c. iii. § 5.
II. Ad res innoxiæ utilitatis, quæ cuivis libenter indulgeri debent, à GROTIO refertur, *mercibus per terras nostras transitum concedere.* "Nam quo minus (inquit) gens quæque cum quavis gente sepositâ commercium colat, impediendi nemini jus est: id enim permitti interest societatis humanæ; nec cuiquam damno id est: nam etiam si cui lucrum speratum sed non debitum, decedat, id damni vice reputari non debet." Hoc autem nimis laxè nimisque liberaliter pronunciatum decernit GRONOVIUS. Etsi enim concedit interesse societatis humanæ, esse commercia ut plurimum libera, nec ulli genti omnino præcludi: attamen hanc vel illam gentem excludi à commerciis certarum gentium, quæ tamen aliunde habeant, non esse iniquum judicat. Ut mihi videtur, hanc rem acu tetigit BUDDEUS. Dispiciendum, inquit, an merces ad gentis alterius conservationem sint necessariæ, an verò saltem ad

ponit, ille ob hocce factum eo graviore pœna Cap. 8.
est afficiendus, quo fœdiorem animi malignitatem sibi inesse ostendit.

CAP.

---

ad voluptatem, luxum, lucrum sint comparatæ. Si prius sit, tantum abest ut transitus denegari queat, ut ad eum concedendum jure perfecto obligati sint imperantes. Si posterius, rursus videndum, an forte transitus ejusmodi rempublicam nostram insigni quodam commodo aut lucro privet. Si non privet, inhumanum foret eundem petentibus denegare. Sin privet, & certa spes sit me transitum denegando insigne commodum in meam rempublicam derivare posse, non puto aliquem ad eum concedendum obligatum esse. Licet enim jus perfectum ad ejusmodi lucrum nemo habeat; nemo tamen obligatus est, alterius commoda potius quam sua promovere. Quod si verò videam transitûs denegatione, & meam rempublicam, & alteram gentem lucro & commodo privatum iri; rursus inhumanum est alteri invidere, quod nos impetrare non possumus. *Philos. Pract.* c. iv. § 9. III. Quæritur à Grotio; *an ita transeuntibus mercibus terra aut amne aut parte maris, quæ terræ accessio dici possit,* Vectigalia *imponi possint ab eo, qui in terrâ imperium habet?* In quâ quæstione sic decernit: " Certe quæcunque onera ad illas merces " nullum habent respectum, ea mercibus istis imponi " nulla æquitas patitur. Sic nec capitatio [*i. e.* census, " vel stipendium in capita hominum descriptum] ci- " vibus imposita ad sustentanda reipublicæ onera ab " exteris transeuntibus exigi potest. Sed si aut ad " præstandam securitatem mercibus, aut inter cætera " etiam ob hoc onera sustinentur, ad ea compensanda " vectigal aliquod imponi mercibus potest, dum mo- " dus causæ non excedatur." Sic cum sumptus sunt faciendi ad vias muniendas, ad pontes struendos, ad ripas munimentis, præsidiis vel arcibus tuendas, cæteraque ejusmodi, omnino æquum est vectigalia exigi.

IV. Rem

CAP. IX.

De Officio Paciscentium in genere.

Officia hominis nonnulla ex pactis oriunda. L. iii. c. 4.

I. AB Officiis absolutis ad hypothetica fit velut transitus per pacta intermedia; quippe cum omnia officia, præter jam enumerata, pactum expressum aut tacitum videantur præsupponere [1]. Igitur hoc loco agendum erit *de natura pactorum*, & quid illa ineuntibus observandum sit [2].

II. Fuisse

IV. Rem esse innoxiæ utilitatis existimat Grotius *moram aliquantisper prætervehentium, aut prætereuntium,* valetudinis aut aliâ quâ justâ de causâ permittere. Cui & hoc consequens est, ut tugurium momentaneum ponere liceat; putà in litore, etiamsi litus a populo occupatum concedamus. Adjungit præterea, *perpetuam habitationem* his, qui sedibus suis expulsi receptum quærunt, denegandam non esse externis; dum & imperium, quod constitutum est, subeant, & quæ alia ad vitandas seditiones sunt necessaria. V. In hoc jure gentium erga gentes inesse censet Grotius, *libertatem matrimonia ambiendi & contrahendi apud vicinas gentes.* Hoc autem caute capiendum esse rectè monet Buddeus: nimirum si qui matrimoniorum libertatem expetunt, iisdem nobiscum utantur sacris, nec scelestum vitæ genus sectentur, aut aliis vitiis status hujus indoli adversis laborent, tum salvo humanitatis jure, illis non potest dari repulsa. VI. Ad officia humanitatis refert Buddeus, *jus sepulturæ,* idque ad jus naturæ (quod quatenus ad integras gentes pertinet, *jus gentium* vocatur)

Cap. 9.

Pacta ad mutua socialitatis officia necessaria. c. iv. § 1.

II. Fuisse autum *necessarium pacta inter homines iniri*, satis manifestum est. Quanquam enim officia humanitatis late sese per vitam humanam diffundant: hautquaquam tamen ex eo solo fonte deduci omnia possunt, quæ hominibus ab se invicem utiliter percipere licebat. Nam neque quibusvis ea est ingenii bonitas, ut omnia quibus aliis prodesse possunt, ex sola humanitate velint præstare, citra exploratam spem paria recipiendi. Et frequenter illa, quæ ab aliis in nos proficisci queunt, ejusmodi sunt, ut gratis eadem nobis exhiberi salva fronte postulare nequeamus. Sæpe quoque nostram fortunam aut personam non decet, alteri tale beneficium debere. Adeoque ut plurimum alter dare non potest, sæpe nos accipere nolumus, nisi iste paria a nobis reci-

catur) spectare existimat. Nimirum, licet post mortem corpus nihil sentiat, adeoque perinde esse videatur quicquid ei eveniat: nihilo secius sufficit, quod homines dum vivunt, horrore quodam percellantur, si intelligant corpora sua insepulta abjectum iri. Adeoque ut recte nonnulli per sepulturæ denegationem puniuntur; ita per ejus concessionem humanitas exercetur. Contrariorum enim contraria est ratio. Accedit quòd moribus & consuetudine hominum, in sepulturâ signum & monumentum honoris positum sit. *Philos. Pract.* cap. iv. § 9.

[1] Officia vocantur *absoluta*, quæ homines quà homines obligant, ideoque pro universalibus haberi debent, qualia sunt, suum cuique tribuere, alterum non lædere, &c. *Hypothetica* vero, quæ statum adventitium præsupponunt, &, non nisi accedente aliquo instituto humano, obligant: quorum tractationi jam auctor se accingit.

[2] Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. xi.

Cap. 9. piat. Non raro denique alios latet, qua ratione commodis nostris inservire queant. Igitur ut mutua inter homines officia, qui fructus est socialitatis, eo crebrius & ad certas velut regulas exerceatur, n ecessum fuit homines ipsos inter se convenire super ejusmodi rebus invicem præstandis quæ ex sola humanitatis lege certo sibi polliceri ab aliis non poterant[3]. Adeoque in antecessum determinandum fuit, quid alteri quis præstare, quidque ab eodem iterum exspectare suoque jure exigere deberet. Id ipsum autem fit per *promissa* & *pacta*.

In promissis & pactis data fides est servanda.

c. iv. § 2.

III. Circa isthæc generale officium ex lege naturali debitum est: *ut quilibet fidem datam servet*, seu promissa & pacta expleat[4]. Citra hoc enim si esset, plurima pars utilitatis periret, quæ humano generi communicatis invicem operis

3 Vult Treverus duplicem solummodo esse pactorum finem; nimirum vel ad tollendam vel ad constituendam obligationem. Sed Titius cum nostro eorum usus & beneficia in quatuor partes rectiùs dispescit; quæ sic breviter complecti possumus. 1. Exinde novæ obligationes creantur. 2. Imperfectæ redduntur perfectæ. 3. Abruptæ & intermissæ renovantur. 4. Obligationes tolluntur & irritæ fiunt.

4 Hæc regula generalis est, quæ tamen exceptionibus subjicitur. Istæ circumstantiæ incidere possunt, quæ fidem datam violare jusserint. Ad eam sententiam Ciceronem allego testem. " Incidunt sæpe tempora, cum ea quæ maxime videntur digna esse justo " homine, eoque quem virum bonum dicimus, com- " mutantur, fiuntque contraria; ut reddere depositum, " promissum facere, quæque pertinent ad veritatem " & ad fidem, ea migrare interdum & non servare fit " justum

operis ac rebus enasci apta est. Et ni promissa servandi necessitas foret, hautquaquam liceret rationes suas firmiter aliorum hominum subsidiis superstruere. Quin & ex decepta fide justissimæ querelarum bellique causæ pullulare sunt idoneæ. Nam ubi ego ex pacto aliquid præstiterim, altero fidem fallente, mea mihi res aut opera frustra periit. Sin vero, nihil adhuc præstiti, rationes tamen & destinata mea turbari molestum est; cum alio modo rebus meis potuissem consulere, nisi iste se mihi obtulisset. Et indignum est ludibrio haberi, quia alterum cordatum ac bonum virum credidi [5].

Cap. 9.

IV. Observandum autem, ea quæ ex solo humanitatis officio debentur, in hoc potissimum differre ab iis, quæ ex pacto aut promisso

Ea demum pariunt perfectam obligationem & jus. c iv. § 5.

"justum. Referri enim decet ad ea, quæ proposui
"in principio, fundamenta justitiæ, primum ut ne
"cui noceatur, deinde ut communi utilitati serviatur.
"Cum tempora commutantur, commutatur officium,
"& non semper est idem; potest enim accidere pro-
"missum aliquod & conventum, ut id effici sit inutile,
"vel ei cui promissum sit, vel ei qui promiserit."
De Offic. I. x. Non autem merè ob utilitatem ejus qui promiserit, promissum violare licebit: sic enim ruit justitia; omnisque inter homines fiducia & vitæ incolumitas unà funditùs tollitur. Itaque omnino cautè agendum est, qui de eo, quod licitum est, in promissorum violatione statuit. Quid in hac re præstandum sit, & in quibus circumstantiis promissum violare liceat, docebitur infra, § 17—19.

5 His rationibus accedit consensus veterum philosophorum. Aristot. *Rhetor.* L. I. c. xv. Ὥστε ἀκύ-

Cap. 9. misso perfecto debentur; quod ista quidem recte petantur, & honeste præstentur: sed ubi alter ea ultro præstare neglexerit; de inhumanitate duntaxat, feritate, aut duritia ejusdem queri possum; non tamen per violentiam propriam aut superioris, eundem ad præstandum cogere. Id quod tamen licet, ubi ultro non præstantur, quæ ex promisso perfecto, aut pacto debentur [6]. Inde etiam ad illa *jus imperfectum*, ad hæc *jus perfectum* habere: sicut & ad illa *imperfecte*, ad hæc *perfecte obligari* dicimur [7].

Fides datur vel promisso gratuito, vel pacto. C. V.

V. Fidem damus vel *per actum solitarium* seu μονόπλευρον, vel *per actum reciprocum* seu δίπλευρον.

ρων γιγνομένων τῶν συνθηκῶν ἀναιρεῖται ἡ πρὸς ἀλλήλους χρεία τῶν ἀνθρώπων, Sublatis pactis tollitur usus hominum inter se. Teste Grotio, Platonici sæpe justitiam vocant ἀλήθειαν, quod *fidelitatem* transtulit Apuleius, *Apol. de Plat. Phil. Mort.* Cicer. *de Offic.* I. vii. "Fundamentum est justitiæ fides; id est, dictorum "conventorumque constantia & veritas. Ex quo "quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, "tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sint ducta: credamusque quia "*fiat quod dictum est*, appellatam fidem."

6 Ut recte percipi possit doctrina de pactis & promissis, auctor noster in opera majori obligationem divisit tripliciter. 1. Naturalis est, vel adventitia aut civilis. 2. Mutua vel non mutua. 3. Imperfectè mutua, vel perfectè mutua. De quibus non opus est, ut verba faciam, cùm voces magis sint claræ, quàm quæ definitionibus indigent.

7 Quid denotant termini, *Jus perfectum & imperfectum*, videas quæ supra notavimus ad cap. II. § 15. not 36.

διπλευρον. Quandoque enim unus se duntaxat ad quid præstandum obstringit; quandoque autem duo pluresve mutuo se ad quid præstandum obligant. Prior actus vocatur *promissum gratuitum*, posterior *pactum* [8]. Cap. 9.

VI. *Promissio* potest dividi in *imperfectam* & *perfectam*. Illa est, quando ipsi quidem qui promittimus, utique obligari volumus; ut tamen alteri jus ad exigendum non demus, sed ut nolimus ad promissum nostrum implendum violenter compelli. v. g. Si ita concipiam promissum, ego serio destinavi hoc vel illud tibi præstare; & peto, ut mihi credas [9]. Sic enim videor obligatus magis ex lege veracitatis

Promissio imperfecta, quæ non dat jus rem exigendi.

c. v. § 6.

36. Quibus addendum est hoc in loco officia *perfectæ* obligationis vocari, quæ leges civiles à nobis exigunt, *imperfectæ* verò, quæ lex naturæ præcipit, civiles autem in medio relinquunt. Sed quisquis horum naturam penitius perspectam habeat, huic manifestò constabit ea non minùs obligare, quam quæ obligationem secum ferre vulgò dicuntur, eorumque neglectum civilis societatis commodo haud minùs officere. Cujus rei testem appellamus Senecam: "ut scias per se expetendam esse grati animi affectionem, per se fugienda res est ingratum esse; quoniam nihil æque concordiam humani generis dissociat ac distrahit, quam hoc vitium." *De Benef.* L. IV. c. 18.

[8] Huic affinis est divisio *Grotiana* in actus beneficos, & permutatorios. *De Jure B. & P.* L. II. c. xii. § 2. In jure Romano aliæ sunt pactorum divisiones, quas tutò præterire possumus, quippe sint extra juris naturalis disciplinam.

[9] Magis accurata est divisio promissionis *de futuro*, quam Grotio acceptam referimus. "*Primus* gradus est assertio explicans de futuro animum qui nunc "est:

Cap. 9. tis, quam justitiæ; maloque videri propriæ constantiæ & gravitatis impulsu ferri ad faciendum officium, quam propter jus alterius. Huc spectant pollicitationes virorum potentum aut gratiosorum, quibus alicui non per verba honoris, sed serio suam commendationem, intercessionem, promotionem, aut suffragium spondent: quæ tamen hautquaquam velut jure aliquo abs se volunt exigi, sed in solidum suæ humanitati ac veracitati cupiunt imputari; ut officii sui gratia eo major sit, quo longius ab eodem coactio absfuerit.

Perfecta, quæ dat omnino. c. v. §. 7. VII. Perfecta autem promissio est, quando non solum ipse utique obligari volo, sed & simul

---

" est: & ad hanc ut vitio careat, requiritur veritas " cogitationis pro tempore præsenti, non autem ut in " ea cogitatione perseveretur. Habet enim animus " humanus non tantum naturalem potentiam mutandi " consilium, sed & jus. Quod si in mutatione sen-" tentiæ vitium sit aliquod, aut accedit, id non est, " intrinsecum mutationi, sed ex materiâ, putà quia " prior sententia erat melior. *Secundus* gradus est " cum voluntas seipsam pro futuro tempore determi-" nat, cum signo sufficiente ad indicandam perseve-" randi necessitatem. Et hæc pollicitatio dici potest, " quæ sepositâ lege civili obligat quidem aut absolute " aut sub conditione, sed jus proprium alteri non dat. " Multis enim casibus evenit, ut obligatio sit in nobis " & nullum jus in alio: sicut in debito misericordiæ " & gratiæ reponendæ apparet, quibus simile est hoc " debitum constantiæ sive fidelitatis." *De Jure B. & P.* L. II. c. xi. § 2, 3. Itaque malè, ut opinor, statuit Hobbesius de promissis *de futuro*, ea nihil transferre: cujus hoc exemplum profert. " Qui de " futuro sic dicet, *cras dabo*, apertè significat, se non " dedisse

simul jus in alterum confero, ut rem promissam velut debitam plene me poscere queat.

Cap. 9.

Promissa & pacta, ut obligent, consensum requirunt. c. vi. § 1.

VIII. Porro ut promissa & pacta nos obligent ad aliquid dandum aut faciendum, quod antea non debebamus; aut omittendum, quod antea jure poteramus facere; maxime requiritur *ultroneus noster consensus* [10]. Nam cum cujusvis promissi & pacti impletio cum aliquo onere sit conjuncta, nulla propior ratio est quare super eo conqueri recte nequeamus, quam quia ultro in id consensimus, quod evitare penes nos erat.

Qui quandoque expressus est, quandoque tacitus. c. vi. § 2.

IX. Consensus etsi regulariter per *signa*, puta voces, literas, nutusque exprimi soleat [11]: aliquando

---

" dedisse. Toto itaque hodie jus immotum est, ma-" netque etiam crastino die, nisi interea actu dederit. " Quod enim meum est, meum manet, nisi post de-" derim. Quod si de præsenti loquar, putà hoc mo-" do, *do* vel *dedi habendum cras*, illis verbis significatur " me dedisse, & jus habendi cras transtulisse hodie." *De Cive*, c. 2. § 6. Sed non video, quare verbo futuro nequit transferri jus. Qui sic dicit, *cras dabo*, significat se jus hodie alteri dedisse, quod crastino die actu possidebit.

[10] Consensus est convenientia duarum pluriumve voluntatum circa rem eandem ejusq; circumstantias. Requisita ejus sunt, primo ut declaretur § 9. Secundo ut sit verus, § 10——15. Tertiò, ut sit mutuus, § 16. Otto.

[11] " Sunt & signa quædam muta ex consuetudine " significantia, ut olim vittæ & rami olivarum. Virg. " *Æneid.* viii. 127. Apud Macedones hastarum erec-" tio. Liv. xxxiii. 10. Apud Romanos scuta capiti " imposita, signa supplicis deditionis, quæ proinde " obligant

Cap. 9. aliquando tamen contingit, ut ille citra isthæc signa ex ipsa negotii natura, aliisque circumstantiis liquido colligatur. Sicuti interdum *silentium*, cum certis circumstantiis consideratum, loco signi consensum exprimentis valet. Unde & dantur *pacta tacita*, quando nempe consensus noster non per ejusmodi signa, quæ regulariter in commercio hominum recepta sunt, exprimitur; sed quando idem ex negotii natura, aliisque circumstantiis liquido colligitur. Sic & principali pacto sæpe adhæret pactum tacitum, quod ex ipsa negotii natura profluit. Sicut & usitatissimum, ut in pactis tacitæ quædam exceptiones, & conditiones necessariæ sint subintelligendæ[12].

Promissa & pacta infantum, amentium, ebriorum. c. vi. §4,5.

X. Ut autem aliquis liquido consentire possit, requiritur *usus rationis* hactenus, ut præsens negotium intelligat, an sibi conveniat, & abs se præstari queat, eoque perpenso consensum suum sufficientibus signis exprimere possit. Unde sequitur, promissa & pacta *infantum*, ut & *amentium* ac *furiosorum*, nisi ubi dilucidis

" obligant ad arma ponenda." Grot. *De Jure B. & P.* L. III. c. xxiv. § 5.

12 Ex eo oritur tacitus consensus, quod ex quibusdam circumstantis agens consensum præbuisse præsumitur. Exempla attulit auctor in opere majori, ubi supra § 2. " 1. Si quis peregrinus in civitatem aliquam exteros " amicè tractare solitam amicâ sub specie accedat, etsi " nunquam expresse fidem dederit, tacitè tamen & ex " ipso accessionis actu fidem dedisse censetur, quod pro " ratione statûs sui velit sese legibus ejus civitatis at- " temperare. 2. Si quis cum altero paciscatur de tuto " accessu

dilucidis intervallis furor distinguitur, nulla esse. Id quod & de promissis *ebriorum* est pronunciandum, si ebrietas jam eo usque processerit, ut ratio sit plane obruta & sopita. Nam pro vero & deliberato consensu haberi nequit, si quis vel maxime momentaneo & inconsulto impetu in aliquid inclinet, aut signa quædam edat consensum alias exprimentia, eo tempore, quando mens velut medicamine quodam loco mota fuerat. Sed & impudens foret, tale promissum, præsertim cum magno onere conjunctum, exigere velle [13]. Quin si quis ebrietatem eam captavit, & observata alterius facilitate promissum astute elicuit, ne abs doli quidem fraudisque crimine immunis erit. Ast qui, discussa crapula, per ebrietatem acta rata habuerit, utique obligabitur, non tam ex eo quod ebrius, quam quod sobrius egit.

Cap. 9.

XI. Cæterum quousque in *pueris* duret imbecillitas rationis, contrahendam obligationem impediens, lege naturali adeo accurate definiri nequit; cum in aliis citius, in aliis tardius

Quæ ætas obligationi contrahendæ idonea? c. vi. § 5.

" accessu in aliquem locum, etiam de reditu convenisse " judicatur, etsi de hoc expressa mentio nunquam " fuerit facta: quod alias priore pacto nihil foret actum. " 3. Qui cubiculum in ædibus suis alicui locat, con" cessisse etiam judicatur usum earum partium, quibus " ille carere nequit; putà januæ & viarum quæ ad " illud ducunt, saltem hactenus ut foras prodire ac " redire liceat." Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. III. c. xxiv.

13 Prudenter in *Flandria* (teste Burgundo in *Præf. ad consuetud. Flandr.*) nullus contractus in cauponâ initus obligat

Cap. 9. tardius judicium maturescat. Sed illud est ex cujusvis quotidianis actionibus judicandum. Etsi in plerisque civitatibus leges civiles certum heic temporis terminum in universum constituerint [14]. Sicuti & alicubi salutariter est receptum, ut aliorum prudentiorum autoritatem adhibere necessum haberent in contrahendis obligationibus, quousque inconsultus ille juventæ impetus deferbuisse censeretur. Quippe cum ea ætas, etiam quando negotium quod geritur intelliget, vehementi fere ac parum provido impetu feratur, ac in promissa sit facilis, spei plena, liberalitatis famam captans, in amicitias ambitiose colendas prona, ac diffidere nescia. Unde & dolo vix caret, qui istius ætatis facilitati imminet; & juniorum dispendiis locupletari vult, quæ isti per judicii imbecillitatem prævidere aut æstimare non norunt.

Error quousque consensum impediat? c. vi. § 6.

XII. Consensum quoque impedit *error* [15]. Circa

---

obligat, nisi die sequente ratihabeatur. Similem fuisse morem *Persarum* testatur Herod. I. 133. *Cretensium*, Athen. 4. 5. & veterum *Germanorum*, Tacit. *de Mor. Germ.* c. 22. Otto.

[14] Diversis gentibus diversæ sunt leges, quæ certum maturæ ætatis terminum designant, prout indoles singuli populi fert. Sic apud Hebræos adolescentis, qui annum XIII implevisses; puellæ, quæ XII annum, promissio valebat. Apud Persas, Indos, & Atheniense, post annum XVIII; apud Britannos non nisi post annum XXI infantes vel *minores* (ut aiunt) esse definunt. Notandum est autem non eandem ætatis periodum ad omnia negotia exigi: sic in Anglia matrimonium contrahere vel guardianum eligere possunt annos XIV nati,

Circa quem hæ regulæ sunt observandæ. I. Ubi in promissione aliquid tanquam conditionem supposuerim, citra cujus intuitum promissurus non fueram, naturaliter promissionis nulla erit vis. Nam promissor consensit non absolute, sed sub conditione: qua non adparente, promissio quoque nulla est. II. Si ex errore ad paciscendum aut contrahendum fuerim impulsus, eumque re integra, & quando nihil adhuc fuit præstitum, deprehendero; æquum sane fuerit, ut facultas pœnitendi mihi concedatur: præsertim ubi præ me tulero, dum ad paciscendum accedo, quæ me causa impellat; nec alter ex mea pœnitentia detrimentum patiatur, aut id pensare ego paratus sim. Verum ubi res non amplius est integra, & ubi error tunc demum patuerit, quando jam pactum est impletum, ex toto aut ex parte; qui erravit, a pacto resilire non poterit, nisi quantum alter ex humanitate velit indulgere [16]. III.

Cap. 9.

nati, quorum promissiones in plerisque negotiis usque ad annum XXI irritæ ac nullæ sunt.

[15] Ad hunc locum recte nos monet TREVERUS errorem impellentem pactum non dirimere. 1. Quia causa paciscendi ad naturam pacti non pertinet, sed extra negotium est. 2. Quia sic multi, ubi facti eos pœniteret, ad ejusmodi errorem provocare possent ad eludendam pacti molestiam. 3. Nulla causa subest, cur alteri error meus magis imputari debeat quàm mihi. 4. Aliud est, quid officio humanitatis aliquis præstiturus sit, & an juri suo velit renunciare, quod pacto sibi acquisivit; aliud an jure perfecto ad id teneatur.

[16] Ex lége naturali nihil omnino valet, utrum res sit integra, an pactum sit impletum vel ex toto vel ex parte.

Cap. 9. III. Ubi error contigerit circa ipſam rem, de qua convenitur; pactum vitiatur non tam ob errorem, quam quia legibus pacti non fuit ſatisfactum. Nam in pactis ipſa res, de qua convenitur, ejuſque qualitates debent eſſe cognitæ; citra quam cognitionem liquidus conſenſus intelligi nequit. Unde defectu deprehenſo, qui lædendus fuerat vel a contractu reſilire poteſt, vel alterum ad defectum ſupplendum adægere, vel etiam ad priſtandum id quod intereſt, ubi ipſius dolus aut culpa intervenit.

Dolus an, & quis. promiſſa & pacta violet? c. vi. § 8.

XIII. Quod ſi quis *dolo* & malitioſa fraudulentia alterius inductus fuit ad promittendum aut paciſcendum, ita eſt habendum. I. Si tertius dolum adhibuerit, non colludente eo, quicum paciſcimur; negotium erit firmum: ab eo tamen, qui dolum adhibuit, poterimus

---

parte. Nam ſi in hoc caſu firmus ſtabit aſſenſus, quare & non in altero? Tota res pendet ex ipſâ naturâ erroris; ſive circa ipſam rem verſetur, ſive circa circumſtantiam rei non eſſentialem. Sic ſi me virginem emere putarem, cum eſſet jam mulier, emptio valebit, in ſexu enim non eſt erratum. Cæterum ſi ego mulierem venderem, tu puerum emere exiſtimaſti, quia in ſexu error eſt, nulla emptio, nulla venditio eſt. *Digeſt.* L. XVIII. Tit. i. Itaque error circa eſſentiam rei pactum vitiat. Attamen hoc intelligendum volui non tantum de phyſicâ rei eſſentiâ, de qua pactum initur, ſed etiam de qualitatibus iſtis, quas paciſcens præcipue vel unice reſpexerit. Unde non ſolum irritus erit contractus, ſi ab altero Davum emi, & ille mihi Syrum tradiderit; ſed etiam ubi profeſſus ſum me ſervum quærere coquendi peritum, & ejus artis imperitus mihi

terimus repetere id quod intererat, nos non Cap. 9. fuisse deceptos. II. Qui dolo suo malo causam dedit ut ipsi quid promitterem [17], cum eove pacifcerer, ei ex isthoc actu hautquaquam obligor [18]. III. Si quis ultro quidem & liquida cum destinatione animi ad paciscendum accesserit; in ipso tamen negotio, puta, circa objectum, ejusve qualitates & æstimationem dolus intercesserit; hactenus pactum erit vitiosum, ut in arbitrio decepti sit illud penitus dissolvere, aut læsionis pensationem exigere. IV. Quæ ad essentiam negotii non faciunt, nec expresse fuerunt designata, actum de cætero rite conceptum non vitiant; licet forte alter de iis, dum paciscitur, tacite cogitavit; aut ejus opinio astu fuit confirmata, quousque contractus conclusus foret.

XIV. *Metus* qui circa promissa & pacta in- *Metus deceptionis quantum iis detrahat:*

---

mihi traditus fuerit. Ibid. § 7. Sed, ut rectè nos monet Grotius, si promissor negligens fuerit in re exploranda, aut in sensu suo exprimendo, & damnum c. vi. §10. inde alter passus sit, tenebitur id resarcire promissor, non ex vi promissionis, sed ex damno per culpam dato. Si vero adfuerit quidem error, sed in quo fundata non fuerit promissio, ratus erit actus. *De Jure B. & P.* L. II. c. xi. § 6.

[17] Jure naturæ perinde est, an dolus causam dederit contractui, an in contractum *inciderit*, Sed Leges Romanæ illam servant differentiam, ut contractus bonæ fidei, actione ex contractu natâ, possint rescindi: in contractibus verò stricti juris opus est clausulâ de dolo, quam Cicero *everriculum omnium malitiarum* vocat. *De Nat. Deor.* iii. 30. Otto.

[18] Quoniam scil. nemo ex delicto meliorem suam conditionem facere potest; ut loquuntur jurisconsulti. *Digest.* Lib. L. Tit. xvii.

terverit

Cap. 9. tervenit *dupliciter* sumitur: vel pro *suspicione* probabili fore, ut ab altero decipiamur; idque vel quia ejusmodi vitium in animo ipsius hæret, aut quia malignam suam voluntatem sat perspicue significavit: vel pro *vehementi animi terrore* orto ex intentato gravi malo, ni promissum aut pactum inire velimus. Circa *priorem* speciem metus ita habendum. I. Qui confidit illius promissis & pactis, cui fidei religio in universum nihili sit, imprudenter quidem facit; sed eam solam ob causam pactum non redditur irritum [19]. II. Ubi pactum jam sit initum, ac nulla nova emergant indicia intentatæ deceptionis; non licebit a pacto resilire ex obtentu vitiorum, quæ ante pactum erant cognita. Nam quæ causa aliquem non prohibuit, quo minus pacisceretur; eadem quoque prohibere non debet, ne pactum impleat. III. Ubi post pactum initum certissima emergant indicia, alterum id agere, ut mihi, quando meum priore loco præstitero, illudat; non

[19] Cum quocunque pactum initum est, id violare non licet; nam in pactis nullus habendus est ad personas respectus. Fuerunt inter philosophos, qui idem docebant: refertur discipulorum Zoroastris hoc fuisse dogma. *Ne putes tecum dicere, quamvis pactum fregero, id tamen non erit mihi peccatum, & sive sit cum aliquo in religione nostra, sive extra eam, res perinde est.* Hyde de Relig. Vet. Persar. Imprudenter quidem agit, qui pactum init, cum iis, qui vel sæpe fidem violârunt, vel apertè dogmata profitentur, quæ omnem religionem pactorum destruunt. Recte Cicero: *Primo decipi incommodum est, iterum stultum, tertiò turpe. Summa igitur amentia est in eorum fide spem habere, quorum perfidiâ toties deceptus sis.*

non prius ad præstandum adigi potero, quam contra eam deceptionem mihi cautum sit[20]. Cap. 9.

Metus ex intentato malo an ea reddat irrita? c. vi. § 14.

XV. Circa *alteram* speciem metus hæ regulæ observandæ. I. Pacta, quæ ineuntur propter metum a tertio incussum, valida sunt. Nam in hoc utique nullum residet vitium, quo minus alter jus ex pacto sibi adversus me adquirere queat; & metum ab altero intentatum discussisse, pensatione utique dignum est[21]. II. Quæ pacta ex metu aut reverentia imperii legitimi ineuntur, aut ob auctoritatem eorum quibus magnopere devincti sumus, valida sunt[22]. III. Pacta, ad quæ ab illo ipso, cui promittit aut quicum paciscitur, injusta ejusdem vi quis compellitur, invalida sunt. Nam injuria, quam alter incusso metu injusto mihi infert, incapacem eum reddit, ut jus sibi adversus me ex illo actu quærere possit. Et cum quis alias teneatur pensare damnum abs sese datum; per compensationem velut tolli obligatio

sis. De Invent. I. xxxix. Quod si cum talibus paciscor, eo ipso declaro ea vitia nihil obstare, quo minùs his fidem habere possim; ideoque pacto stare adstringor.

[20] Conf. Puf. *De Jure Nat, & G.* L. III. c. vi. § 9. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c xi. § 7. Rachelii Notas ad *Cic. de Off.* I. x. Gundlingii Tract. *de efficientiâ metûs.* Bohmeri Dissert. de *Exceptione metûs injusti in statu naturæ.*

[21] *Nibil enim* (ut loquitur Seneca) *meâ refert, an tu cogaris, si non à me cogeris. Meam culpam esse oportet, ut mea pœna sit.* Controv. IV. xxii.

[22] Exemplis sint, quæ affert noster in opere majori. *Ubi supra,* § 11. " Si princeps aliquis milites suos " extraneo

Cap. 9. gatio intelligitur, si non solvitur id, quod statim restitui debebat [23].

Mutuus consensus etiam in promissis requiritur. c. vi. §16.

XVI. PRÆTEREA oportet *consensum* non in pactis solum; sed & promissis esse *mutuum*; sic ut consentire debeat non solum qui promittit, sed & cui promittitur. Quando enim hujus consensus abest, seu quando is oblatum promissum acceptare detrectaverit, res promissa penes promissorem manet. Qui enim alteri rem suam offert, neque invito eam vult impingere, neque pro derelicta habere. Ergo si alter non acceptet, juri promittentis in rem

" extraneo cuipiam velit præsidii causâ adjungere, & " ad majorem securitatem compellat eos isti quoque " fidem dare: non poterunt hi promissa eludere ob- " tentu metûs sibi injecti, utpote ab eo profecti cui " talia quocunque modo exigendi jus erat. Sic si po- " namus patrem filiæ etiam invitæ sponsum dare posse, " ubi ea metu paterni imperii sponso invita fidem " dederit, hautquidquam illum deinceps fallere possit. " Nam in sponso nihil hæret vitii, quare sibi ex eo " promisso jus non potuerit quærere; & debebat filia " ultrò patris jussa capessere."

23 Sic statuunt jurisconsulti Romani. *Nihil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus, quem comprobare contra bonos mores est.* Digest. Lib. L. Tit. xvii. Idem sentit CICERO. *Jam illis promissis standum non esse, quis non videt, quæ coactus quis metu, quæ deceptus dolo promisoerit? Quæ quidem pleraque jure prætori liberantur, nonnulla legibus*; i. e. XII tabularum De Offic. I. x. Sed de hac re magna est sententiarum varietas. Ego GROTII [*ubi supra*, §7.] sententiæ maximè accedo, qui existimat, sepositâ lege civili (quæ obligationem potest tollere aut minuere) eum, qui metu promisit aliquid

rem oblatam nihil decedit[24]. Quod si rogatio antecessit, censebitur ea durare, nisi expresse fuerit revocata; eoque casu in antecessum acceptatio facta intelligitur; ita tamen ut rogationi respondeat oblatio. Nam si hæc discrepet, expressa requiritur acceptatio; quia sæpe mihi non consulitur, nisi tantundem quantum rogavi accepero. Cap. 9.

Promissi pactique materia non nisi possibilis c. vii.

XVII. CIRCA *materiam* promissorum & pactorum requiritur, ut quod promittimus aut paciscimur *non sit supra nostras vires*, neve id patrare lege aliqua prohibeamur: alias enim

---

quid, obligari: quia consensus hic adfuit, nec conditionalis sed absolutus. Nequit cogi voluntas, & qui metu coactus promittit, eo ipso obligatur, quod consensum præbuit, tanquam e duobus malis minus eligens. Sepositis igitur omnibus ambagibus, quibus in tenebris occultari solet hæc quæstio, luculentissimè patet, nulla pacta vel promissa metu dissolvi vel irrita fieri posse. V. *infra*. cap. xi. § 6.

[24] Similiter GROTIUS: "Ut promissio jus transferat, *acceptatio* hic non minùs quàm in dominii translatione requiritur; ita tamen ut hic quoque præcedens rogatio durare intelligatur, ac vim habere acceptationis. — Illud etiam quæri solet, an satis sit acceptationem fieri, an verò etiam innotescere debeat promissori, antequam promissio plenum effectum consequatur. Et certum est utroque modo fieri posse promissionem; aut hoc modo, *volo ut valeat, si acceptetur*: aut hoc modo; *volo ut valeat, si acceptatum intellexero*. Et in his quidem quæ ad mutuam pertinent obligationem, posterior sensus præsumitur; in promissis verò merè liberalibus potius est, ut prior sensus credatur adfuisse, nisi aliud appareat." *De Jure B. & P*, L. II. c. xi. § 14, 15.

Cap. 9. aut stolide aut improbe promittimus[25]. Exinde consequitur, neminem sese obligare posse ad id, quod ipsi est impossibile. Quod si autem res, quæ tempore pacti initi possibilis habebatur, post impossibilis aliquo casu citra paciscentis culpam facta sit; re integra pactum erit nullum. Ubi quid præstitum ab altero jam fuit, id restituendum, aut æquipollens reponendum. Si ne hoc quidem fieri possit, summus erit conatus adhibendus, ne alter detrimenti quid capiat. Nam in pactis primario respicimus ad id, de quo expresse fuit conventum; ubi hoc obtinere non possumus, sufficit æquipollens exhiberi: saltem ne damnum sentiamus, omnimodo cavendum est. Qui vero dolo aut gravi culpa sibi ipsi vires præstandi detraxit, non solum ad summum conatum tenetur, sed & velut in supplementi vicem malo insuper poterit mactari[26].

XVIII.

---

25 Circa materiam pacti *impossibilem* videndum. 1. An impossibilitas illa ortum traxerit ex culpâ vel dolo paciscentis cujusdam, an omnis culpa exulet. 2. An uterque paciscentium sciverit rem esse impossibilem necne. 3. An sit impossibile *ex se*, & quidem vel impossibilitate naturæ vel juris vel facti, an *ex accidenti*. Trever.

26 Exemplum attulit ipse auctor in opere majori, quod hanc rem probè illustrat. " Debitores obærati " ubi casu fortuito & citra suam culpam solvendo esse " desierint, summum solvendi conatum debent. Ubi " tamen æquitas & humanitas requirit, ut mora aliqua " ipsis

XVIII. Patet quoque ad *rem illicitam* præstandam obligari nos non posse. Nam nemo valide se potest obstringere ulterius quam ipsi est potestas. Ast qui lege actionem prohibet, adimit utique potestatem eam suscipiendi, & de eadem præstanda obligationem admittendi. Contradictorium quippe est, ex obligatione per leges confirmata aliquid necessario debere facere, quod per easdem leges est omittendum. Unde peccat quidem, qui illicita promittit; sed bis peccat, qui eadem præstat. Ex quo & hoc colligitur, non servari debere promissa, quæ illi, cui fiunt, noxæ sunt futura; cum naturali lege prohibitum sit, ne quis alteri, etiam stolide volenti, malum inferat. Si igitur pactum circa rem turpem fuerit initum, neuter ad id explendum tenebitur. Quin & ubi turpe facinus ab uno fuit præstitum, alter ad solvendam conventam mercedem

Cap. 9. *Atque licita; ut turpium nulla sit obligatio.* c. vii. § 2.

" ipsis indulgeatur, circumspiciendis & parandis sol-
" vendi mediis. Sicuti & nefas fuerit tales omni suâ
" substantiâ exutos ad mendicitatem redigere. Quin
" & alias certarum personarum favori hoc dederunt
" leges Romanæ, ut non condemnarentur, nisi *qua-
" tenus facere possunt*. Nisi tamen creditor, quæ præ-
" sentes facultates excedunt, condonaverit, ad residua
" solvenda tenebuntur, quando in re lautiore esse
" cœperint. Dolus autem & culpa decoctorum etiam
" malo aliquo potest coerceri, in quos demum illud
" tritum valet; *qui non habet in ære, luat in corpore.*"
L. III. c. vii. § 3. Conf. Grotium *ubi supra*, §
8, 9.

Cap. 9. non obligabitur[27]. Quod tamen illo intuitu jam est datum, repeti nequit[28], nisi forte dolus aut enormis læsio accesserit[29].

Pacta & promissa circa res alienas, frustranea, c. vii § 11.

XIX. Denique & hoc manifestum est, frustra promittere nos aut pacisci circa *res alienas*, in quantum illæ non nostræ, sed alterius directioni & arbitrio sunt subjectæ. Quod si autem ita promisero, me operam daturum, ut alter, (cui pro imperio me quid imperare non posse præsupponitur) præstet; tunc teneor omni modo moraliter possibili, (i. e. quantum alter honeste a me postulare potest, & quantum vitæ civilis ratio fert) laborare, ut ad eandem præstandam alter permoveatur. Sed & super rebus aut actionibus nostris, in quas jam alteri jus fuit quæsitum, tertio valide promittere non possum, nisi forte in eum casum, quo

---

27 E contra docet Grotius, crimine perpetrato eum qui conduxit, ad mercedem solvendam obligari: cujus rei exemplum affert in *Juda* Jacobi filio, qui *Thamari*, quam meretricem putabat, promissam mercedem, tanquam debitam, persolvit. *Ubi supra.* Cui affinis est *Ulpiani Observatio* ad L. IV. § 3. *D. de cond. ob turp. caus.* "Meretricem turpiter facere, quòd sit "meretrix, non turpiter accipere, cum sit meretrix." Sed me judice, præferenda est nostri sententia, quoniam dari non potest actio de re illicitâ. *ex. gr.* Si quis sicario pactam mercedem solvere recusaverit, actio non datur sicario, quoniam id ipsum, quo querelæ causam defensurus est, nequit non ex injustâ actione & re illicitâ promanare.

28 Cujus hanc rationem afferunt jurisconsulti, *in pari turpitudine melior est conditio possidentis.* Similiter Grotius: "Non quicquid vitiose fit, effectu juris caret, "quod

quo alterius jus exſpiraverit. Nam qui prioribus promiſſis aut pactis jus ſuum in alterum jam tranſtulit, ipſe utique nullum tale jus reliquum amplius habet, quod in tertium poſſit conferre. Ac nullo negotio omnia promiſſa & pacta poſſent fieri irrita, ſi liceret aliud inire, in quo contraria priori diſponerentur, ac quicum prius ſimul expleri nequit. In quo fundatur tritum illud: *qui prior tempore, potior jure.* Cap. 9.

XX. EST præterea circa promiſſa potiſſimum obſervandum, illa concipi ſolere vel *pure & abſolute*, vel ſub *conditione*; ut ſcilicet validitas promiſſionis conferatur in aliquem eventum a caſu aut arbitrio humano pendentem. Sunt autem *conditiones* vel *poſſibiles* vel *impoſſibiles*. Illæ ſubdividuntur in *caſuales* ſeu fortuitas, *Promiſſa ſub conditione poſſibili, impoſſibili.* c. viii.

" quod in prodiga donatione apparet. Hoc intereſt, " quod donatione factâ jam ceſſat vitioſitas: nam ſine " vitio res relinquitur apud donatarium." *Ubi ſupra.*

29 Vid. quæ notavit cl. BARBEYRACC. ad opus majus. L. III. c. vii. § 6. *n.* 2. Ubi prolixiùs de hâc re diſſerit, quoniam materiam de pactis circa res illicitas non ſatis explanatam eſſe ab auctore exiſtimat. Sed neque ab eo rem penitus confectam eſſe vult TREVERUS ob neglecta juſta principia. Itaque rem totam evidenter enucleatam eſſe judicat, ſi ad Ideam relativam *illiciti* attendamus, quæ involvit comparationem actionis cum lege, per quam aliquid prohibetur vel illicitum redditur; adeoq; pacta tunc ſolum de rebus illicitis fieri, cùm materia illorum juri perfecto alterius detrahat. Sed mihi ſufficere videntur, ſi modo diligenter in animo perpenſa ſint, quæ de hac re auctor diſſeruit

Cap. 9. tuitas, quæ ut exiſtant vel non exiſtant penes nos non eſt[30]: *poteſtativas* ſeu arbitrarias, quæ ut exiſtant vel non exiſtant, penes eum eſt, cui promittitur[31]: & *mixtas*, quarum impletio partim ab arbitrio ejus, in quem confertur, partim a caſu dependet[32]. *Impoſſibiles* autem ſunt vel *phyſice* tales, vel *moraliter*; i. e. quædam per rerum naturam fieri a nobis non poſſunt, quædam per leges & honeſtatem fieri non debent. Et impoſſibiles quidem conditiones,

diſſeruit. Et nequeo non profiteri, me tam hebetis eſſe ingenii, ut, lectis relectiſq; utriuſq; horum doctiſſimorum ad hunc locum notis, ne hilum quidem ipſe profecerim, nec quiddam majus, quàm quod ex ipſo Pufendorfio percepi, de naturâ pactorum circa res illicitas intellexerim. Plurima verba rem per ſe ſatis manifeſtam perturbant & obſcurant. Quis autem, qui quid ſit illicitum, percipit, de hoc axiomate errare poteſt: *ad rem illicitam præſtandum nequit dari obligatio?*

30 Exempli cauſâ: Dabo tibi decem libras, ſi intra triduum non pluet. Ad conditionem vero requiritur, ut eventus ſit incertus, nam adjectio conditionis, quam certò eventuram eſſe ſcimus, (v. g. ſi ſol cras oriatur) abſoluto promiſſo æquipollet.

31 Verbi gratiâ: Dabo tibi decem libras, ſi Titiam uxorem non duxeris.

32 Verbi gratiâ: Dabo tibi decem libras, ſi Titiam duxeris.

33 Quod ſi per alterum paciſcentium ſteterit quo minus conditio pacti impleri queat, alter rectè ab eo poſtulare poteſt, ut pactum integrum maneat. Hoc modo ſtatuunt Romani juriſconſulti. " Labeo ſcribit, " ſi mihi Bibliothecam ita vendideris, ſi Decuriones Campani locum mihi vendidiſſent, in quo eam " ponerem;

tiones, si naturalem interpretandi simplicitatem sequamur, orationem promittentem faciunt negativam [33]. Etsi per leges fieri possit, ut si adjectæ sint negotio alicui serio, habeantur pro non adjectis; ne per actus nullum eventum sortituros, hominibus illudatur [34].

Promissa & pacta per internuncium facta obligant.

XXI. Denique promittimus & paciscimur non solum per nosmetipsos, sed etiam aliorum hominum interventu, quos ipsi voluntatis nostræ *internuncios* atque interpretes constituimus [35]. c. ix.

" ponerem; & per me stet, quo minùs id à Campanis " impetrem; non esse dubitandum, quin præscriptis " verbis agi possit. Ego etiam ex vendito agi posse " puto, quasi impletâ conditione, quum per emptorem stat, quo minus impleatur." *Digest.* L. XVIII. T. i. *De contrab. Empt.* l. 50.

34 Sic leges Romanæ (ut recte observat noster in opere majori. L. III. c. viii. § 5.) in testamentis adjectas conditiones impossibiles, turpes aut ludicras pro non adjectis declarant; quòd absurdum videretur in tali actu, quem maximè serium gravemq; conveniebat esse, ita petulanter per inanes clausulas illudi. " Conditiones contra Edicta Imperatorum, aut contra leges, " aut quæ legis vicem obtinent scriptæ, vel contra " bonos mores, vel derisoriæ, aut hujusmodi quas Prætores improbaverunt, pro non scriptis habentur, & " perinde ac si conditio Hæreditati sive Legato adjecta non esset, capitur Hæreditas Legatumve." *Digest.* L. xxviii. tit. vii. *De condit.* leg. 14. Apud Petronium *Eumolpus* testamento suo ita cavet: *Omnes, qui in testamento meo legata habent præter liberos meos, hac conditione percipient, quæ dedi, si corpus meum in partes conciderint, & adstante populo comederint.* Apud Horat. 2. Serm. 5. 84. *Tiresias* ita dicit:

Cap. 9. mus [35]. Per quos, ubi bona fide egerint [36] quod a nobis in mandatis habebant, valide obligamur apud eos, qui cum istis velut nostras vices gerentibus egerunt [37].

Officia reliqua statum institutum hominum supponunt. XXII. ATQUE hæc sunt officia hominis absoluta, ut & per quæ velut transitus ad alia fit. Reliqua præsupponunt aliquod institutum humanum, generali pacto subnixum, & in genus humanum introductum; vel etiam statum aliquem peculiarem. Institutorum istorum deprehenduntur potissimum tria; *sermo*, *dominium rerum*, earundemque *pretium*, & *imperium humanum*. De singulis, ut & quæ inde resultant officiis, deinceps exponendum.

CAP.

Me sene, quod dicam, factum est; anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata: Cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres;
Scilicet elabi si posset mortua: credo,
Quod nimium institerat viventi.——

35 Hic rectè notat TITIUS, personas intermedias aliquando solius instrumenti rationem habere, aliquando verò suo etiam consensu pacisci. Illo casu pactum eas plane non attinet; hoc autem, quamdiu qualitas intermediæ personæ in iis durat, ipsæ etiam ex pacto agere & convenire possunt: quorsum pertinent procuratores, & institores similesve personæ.

36 Non tantum qui *bonâ fide* agunt: nam fieri potest, ut nos obliget qui negotio præpositus est, agendo contra voluntatem nostram sibi significatam. "Distincti "(inquit GROTIUS) sunt actus volendi; unus quo "nos obligamus ratum habituros, quicquid ille in "tali negotiorum genere fecerit; alter, quo illum "nobis obligamus, ut non agat, nisi ex præscripto, "sibi

CAP. X.

De Officio Sermocinantium.

I. QUAM utile ac plane necessarium sit instrumentum societatis humanæ Sermo, nemo est qui ignorat: cum multi vel ea sola facultate collegerint, hominem ad agendam vitam socialem a natura destinatum [1]. Circa hujus ergo legitimum & societati humanæ proficuum usum, id officii lex naturalis hominibus dictitat *ut ne quis sermone, aut aliis* *Officium sermocinantis, Ne alterum decipiat.* L. iv. c. i.

" sibi non aliis cognito. Quod notandum est ad ea, " quæ legati promittunt pro regibus ex vi instrumenti " procuratorii, excedendo arcana mandata." *De Jure B. & P.* L. II. c. xi. § 12.

[37] Si cui venditio commissa est, assignatio & receptio pretii huic mandata esse videtur, nisi de contrario expressè constet.

[1] Nimirum Aristoteles, Cicero, aliiq; quos laudat auctor in opere majori. Οὐδὲν γὰρ μάτην ἡ φύσις ποιεῖ, λόγον δὲ μόνον ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζώων. Τοῦτο γὰρ πρὸς τὰ ἄλλα ζῶα τοῖς ἀνθρώποις ἴδιον, τὸ μόνον ἀγαθοῦ τε καὶ κακοῦ καὶ δικαίου καὶ ἀδίκου καὶ τῶν ἄλλων αἴσθησιν ἔχειν. ἡ δὲ τούτων κοινωνία ποιεῖ οἰκίαν καὶ πόλιν. κ. τ. λ. *Natura nihil facit frustra; homini vero soli inter omnia animalia competit sermonis facultas. Hoc enim præter cætera animalia hominibus proprium est; ut boni & mali, justi & injusti, aliorumq; ejusmodi sensum soli habeant. Horum enim communio facit domum & civitatem.* Aristot. Polit. L. I. c. ii. Non vult Philosophus sermonem hominibus

Cap. 10. *aliis signis ad exprimenda animi sensa institutis, alterum decipiat.*

Verbis in recepta significatione cur utendum?

c. i. § 4.

II. Sed ut indoles sermonis penitius intelligatur, sciendum est, circa sermonem voce viva aut literis expressum, duplicem obligationem occurrere. *Una* est, qua isti, qui eadem lingua utuntur, certæ rei certum vocabulum, prout usus cujusque linguæ fert, adplicare tenentur. Cum enim neque voces, neque certi literarum ductus certam rem natura notent[2]: (alias enim omnes linguæ aut scripturæ genera coincidere deberent;) inde, ne usus linguæ foret inanis si quisque quo vellet vocabulo quamlibet rem nuncuparet, necessum est inter eos, qui eadem lingua utuntur, tacitam intercessisse conventionem, ut certam rem certo, & non alio vocabulo denotent[3]. Ni enim in uniformem vocum adplicationem fuerit

hominibus naturâ ingenitum esse (quæ opinio longè à veritate aberrat) sed naturam facultatem discendi sermonem humano generi indulsisse, quo melius societatem inire possint: quippe sine sermone vix aut ne vix quidem subsistere potest vita socialis. Quo sensu dixit Cicero; "Moderatio vocis, conciliatrix est humanæ maximè societatis." *De Leg.* I. 9.

[2] Similiter Grotius: "Voces naturâ ipsâ & citra hominum voluntatem nihil significant; nisi forte vox sit confusa & ἄναρθρος, qualis in dolore, quæ ipsâ rei magis appellatione venit quam locutionis. Addendum est non solis vocibus tale fieri indicium, sed & nutibus, ut apud mutos, sive illi nutus aliquid habent cum re significatâ commune ipsâ naturâ, sive tantum ex instituto significant." *De Jure B. & P.* L. III. c. i. § 8.

rit

rit conſpiratum, impoſſibile eſt ex ſermone alterius ſenſa animi colligere. Unde vi iſtius pacti quilibet tenetur ita adhibere in ſermone communi vocabula, prout receptus ejus linguæ uſus fert [4]. Ex quo etiam hoc conſequitur, ut quanquam ſenſa animi a ſermone diſcrepare queant, id tamen in vita humana quiſque voluiſſe cenſeatur, quod verba ejus præ ſe ferunt, etſi fortaſſe intrinſeca mentis deſtinatio ab iſtis diſcedat. De hoc enim cum niſi per ſigna conſtare nequeat; omnis uſus ſermonis redderetur irritus, ſi interna animi cogitatio, quam ſibi quiſque pro lubitu fingere poſſit, id quod ſigna præ ſe ferunt in communi vita elidere poſſet.

Cap. 10.

III. *Altera* obligatio, quæ in ſermone intervenit, in eo conſiſtit, ut quis alicui per ſer-

Obligatio ad alteri mentem aperiendam unde? c. i. § 7.

[3] Sermonem naturâ ſuâ nihil ſignificare, ſed vim ejus ſignificativam eſſe ab impoſitione hominum ſatis quidem certum eſt. Sed an illa impoſitio ſimplici conſenſu, an obligatorio facta ſit, quæritur? Autor poſterius aſſerit, ſed prius magis verum eſt. Nam 1. Homines, impoſitionis faciendæ cauſâ, nunquam convenerunt; ſed potius ſucceſſive impoſitio facta eſt, adeo ut ſæpe ab uno hodie illa fiat, reliqui vero eam ultro ſine ullâ ſe obligandi intentione admittant, non ſecus ac uno hiſtoriam vel fabulam narrante, multi ejus redduntur participes, atque ita communis notitia ſed nulla obligatio exiſtit. 2. Si conventione facta eſſet impoſitio, tum innoxia etiam mutatio in vitio eſſet, quod tamen nemo dixerit & experientia refellit. Titius. Hiſce varias rationes ſubjungit Treverus, quibus Titii obſervationem confirmat.

[4] Bene loquitur Quintilianus. Inſtit. I. vi. *Utendum eſt ſermone, ut nummo, cui publica forma eſt.*

Cap. 10. monem animi sui sensa ita debeat pandere, ut hæc ex illo liquido cognoscere queat. Cum enim non loqui tantum, sed & tacere homo queat, & cum non semper, quod quis in animo volvit, id coram quibusvis aperire teneatur: igitur necessum est, ut peculiaris existat obligatio, quæ alicui necessitatem adferat tum ad loquendum, tum ad ita loquendum, ut alter sensa animi nostri intelligat. Oritur autem illa obligatio, vel *ex peculiari pacto*, vel *ex communi præcepto legis naturalis*, vel *ex præsentis negotii indole*, cui contrahendo sermo adhibetur [5]. Sæpe enim expresse cum aliquo convenitur, ut quis animi sui sensa super aliquo negotio mihi aperiat; ut, si quem informatorem mihi in aliqua disciplina adsciscam. Sæpe quoque præceptum aliquod legis naturalis meam scientiam alteri communicare jubet, ut hoc modo ipsi prosim, vel noxam ab eodem avertam, aut ad noxam accipiendam causam

---

[5] Vid. Quæ prolixiùs & distinctiùs de obligatione ad sensa animi verbis exprimenda commentatur vir doctissimus J. Barbeyraccius, in *notis* ad opus majus, L. IV. c. i. § 7. n. 1.

[6] Exempla proferam ex auctoris opere majori. L. IV. c. i. § 7. " Sic si quem misero ad explorandum " certæ rei statum, is ex pacto tenetur indicare om- " nia, quæ super eâ re ipsi comperta fuerint. Sic si " an exhibendum sit officium humanitatis, quod ser- " mone peragitur, ad sensa animi nostri verba quoque " esse conformanda in aperto est. Sic denique in " commerciis hominum & quibusvis negotiis, in qui- " bus ex consensu jus vel obligatio est nascitura, circa " ea

causam vel occasionem non præbeam. Aliquando denique præsens negotium, quod cum alio susceptum est, aliter expediri nequit, ni judicium meum super eo pandam; ut circa celebrandos contractus contingit [6]. Cap. 10.

IV. Quia autem non semper usu venit, ut ex aliquo horum capitum quævis cogitata mea alteri sint significanda; patet, me non alia teneri alteri sermone meo indicare, quam ad quæ ex me intelligenda *jus perfectum aut imperfectum* habet. Adeoque recte tacendo dissimulare [7] me posse, utut maxime interroger, quæ ut ex me sciat alter jus non habet, neque ad id aliqua obligatione ego teneor. *Hac cessante licet dissimulare silendo:*

V. Imo quia sermo *non solum* est inventus *propter alios, sed & propter nos ipsos:* ideo ubi aliqua mea in eo versatur utilitas, neque cujusquam alterius jus læditur, licebit mihi sermonem ita formare, ut diversum ab eo, quod animo volvo, exprimat [8]. *Diversumque ab eo, quod animo volvitur, exprimendo.*

VI.

" ea quæ ad præsentem rem spectant, sensa animi nos-
" tri liquido sunt exprimenda illis, quibuscum a-
" gitur.

[7] Ad hunc locum differentiam inter *simulare* & *dissimulare* notat Lehmannus; de quâ citat Servium ad *Virg. Æn.* 1. 516. *Dissimulamus nota, simulamus ignota; dissimulamus quod sumus, simulamus quod non sumus:*

[8] Hanc *magnam quæstionem, latebrosam tractationem, disputationem inter doctos alternantem agnoscit* Augustinus; quæ ab isto aliisque quamplurimis viris celeberrimis nimis rigidè determinatur. Quasi veritas per se prosequenda sit, & omnis omnino ab eâ deviatio per se prava & fugienda. August. *Enchirid. ad Laurent.*

c.

Cap. 10. VI. DENIQUE quia sæpe isti, ad quos loquimur, ita sunt dispositi, ut si sermone simplici & aperto rem ipsam perciperent, detrimento hoc ipsis futurum esset, nec nobis bonum quem intendimus finem adsequi liceret: igitur hisce in casibus licebit uti ficto coloratoque sermone, & qui nostram sententiam & intentionem audientibus directe non repræsentet. Nam qui alicui prodesse vult & debet, non

Ficto sermone quo, & quo casu, uti liceat.

c. xxii. Eandem partem tuentur ARISTOTELES, (*Eth.* L. IV. c. ii.) GREGORIUS, (*Moral.* L. XVIII. c. iv.) WHITBEIUS, (*Eth.* L. II. c. v.) VANDER MUYLEN, (*ad* GROTIUM, L. III. c. i. § 9.) WOLLASTONUS, (*De Relig. Nat.* S. i. Prop. 4.) &c. Neque deest virorum doctissimorum auctoritas, qui pro parte nostri auctoris steterunt; viz. QUINTILIANUS, (*Instit.* XII. i.) GROTIUS, (*ubi supra*) BUDDEUS (*Philos. Pract.* c. iv. § 6.) & inter Philosophos veteres SOCRATES, PLATO, XENOPHON, CICERO; cujus testem habemus GROTIUM, *loc. cit.* Mirum sane, tantam esse in re satis per se clarâ sententiarum varietatem. Nam luce clarius videtur veritatem non esse *ultimum finem*, non esse *per se* optabilem, sed quasi *medium* quod huic fini, nimirum utilitati publicæ, inservit: unde sequitur ipsam veritatem, si quando noxia sit, deserendam esse. Plurimæ sunt causæ, in quibus falsiloquio uti possumus, quas hic à GROTIO adducam, qui eas plenè & accuratè enumeravit. " *Primum* est, etiamsi " quid dicatur, quod falsam habeat significationem, " infanti aut amenti, in eo mendacii culpam non " esse. Ratio proxima est, quia cum in infantibus & " amentibus non sit judicii libertas, non potest eis " circa eam libertatem injuria fieri. *Secundum* est, " quoties sermo ad eum dirigitur, qui non decipitur, " etiamsi

non utique id tenetur facere eo modo, quo finem suum non erat obtenturus. Cap. 10.

VII. Ex hisce colligitur, in quonam consistat *veritas*, cujus studio boni viri tantopere commendantur: nempe ut verba animi nostri sensa commodè repræsentent alteri, cui eadem intelligendi jus; quæque ut ipsi aperiamus, nobis obligatio perfecta aut imperfecta incumbit; idque eo fine, ut vel idem intellectis ani- *Veritas moralis quæ? à logica distinguenda.*

" etiamsi tertius inde falsam hauriat persuasionem, nul-
" lum esse mendacium: non ratione ejus ad quem
" sermo est; quia illi libertas manet integra, planè ut
" illis quibus id intelligentibus fabula narratur, aut
" apud quos profertur sermo figuratus: — neque ra-
" tione ejus qui obiter id audit; quia cum eo non a-
" gitur, ideoque nulla est ad illum obligatio. *Ter-*
" *tium* est, quoties certum est eum ad quem sermo
" est libertatis suæ in judicando læsionem non ægre
" laturum, imo gratias habiturum eo nomine, ob
" commodum aliquod, quod inde assequitur, tunc
" quoque mendacium strictè dictum, id est, injurio-
" sum non committi. *Quartum* & superiori affine est,
" quoties qui habet jus supereminens in omnia jura
" alterius, eo jure bono ipsius sive proprio sive publi-
" co utitur. *Quintum* esse potest, quoties vita inno-
" centis, aut par aliquid aliter servari, & alter ab im-
" probi facinoris perfectione aliter averti non potest.
" Latius quam quæ jam diximus patet, quod passim
" statuunt sapientes, apud hostem falso sermone licere
" uti. Sciendum verò quæ de falsiloquio diximus ad
" *asserentem* sermonem & quidem talem qui nulli nisi
" publico hosti noceat, non ad *promittentem* referenda.
" Nam ex promissione jus speciale ac novum confertur
" ei cui fit promissio, idque inter hostes etiam locum
" habere." *De Jure B. & P.* L. III. c. i. § 12
— 18.

Cap. 10. mi nostri sensis debitum aliquod commodum nanciscatur; vel ne, ubi diversum fuerit significatum, damno præter meritum multetur. Ex quo & hoc obiter patet, non semper mendacium admitti, quando etiam data opera non dicitur, quod vel cum ipsa re, vel cum cogitatis nostris examussim congruit: adeoque veritatem quasi *logicam*, quæ in congruentia verborum cum rebus consistit, cum veritate *morali*[9] non per omnia coincidere[10].

Mendacium, ejusque requisita.

VIII. *Mendacium* contra est, ubi de industria sermo aliam præ se fert sententiam animi nostri, quam quæ revera est; cum tamen hanc ipsam is, ad quem sermo dirigitur, intelligendi jus haberet, nobisque obligatio incumberet efficiendi, ut ille nostram sententiam utique intelligeret[11].

Mendacio annumerandus fictus sermo: non quivis.

IX. Ex dictis igitur constat, mendacii notam hautquaquam contrahere, qui fictis sermonibus, fabulisque utuntur adversus pueros aut

---

[9] Veritas *moralis* est concordia verborum cum mente loquentis. Unde patet eum, qui verum dicit judicans esse falsum, aut nesciens utrum verum sit an falsum, *formaliter* mentiri.

[10] *Non per omnia*] Legit WEBERUS, *non semper*.

[11] Essentia *mendacii* consistit in eo, quod juri alterius aliquid detrahendi habeamus animum, suppressione veritatis quam intelligendi jus habet: non vero in ratione damni, quod exinde promanat. Nam id quoque mendacium erit, quando sine alterius damno veritatem reticeo, quam sciendi jus habebat. Contra, non semper mendacium est secundum jus naturæ, quando falso sermone damnum alicui infertur, qui juri omni excidit intelligendi

aut similes, ad eorum meliorem informationem, quatenus nudæ veritatis non sunt capaces[12]. Et qui alii fictum sermonem bono fine adhibent, quem plano adsequi non licebat; puta, si innocens protegendus, iratus placandus, mœstus demulcendus, meticuloso animus addendus, fastidiosus ad medicamenta capienda movendus, pertinacia alicujus frangenda, aut malum propositum alterius intervertendum, aut si arcana reip. & consilia, quæ interest aliorum notitiæ subtrahi, fictis rumoribus velut obvelanda, & aliorum importuna curiositas sit amolienda; aut si hosti, quem aperta ratione lædere poteramus, fabulis in stratagematis vicem illudamus.

Cap. 10.

Sed is qui illi illuditur, cui mentem aperire tenebar.

X. Contra si aliquis utique tenebatur alteri sensa animi sui liquido significare; culpam non effugit, si vel partem duntaxat veri dicat, aut ambiguo sermone alteri illudat, aut tacitam quandam restrictionem, a communi usu abhorrentem, in mente reservet[13].

C A P.

---

intelligendi veritatem. E. C. Si quis latronem vel hostem falsis narrationibus vel rumoribus in insidias trahat. Qui jus perfectum non habet in nostram veritatem, illi non fit injuria, si falsa dicamus. Trev.

[12] Hanc rem pulchrè illustrat Lucretius, i. 935.

Sed veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus; interea perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valescat.

[13] Æquivocationes & mentales reservationes nihil

CAP. XI.

De Officio Jurantium.

Officium jurantium ex natura jurisjurandi. L. I A. c. ii. Grot. L. II. c. xiii.

I. PER *Jusjurandum* ſermoni noſtro, omnibuſque actibus, circa quos ſermo intervenit, inſigne accedere firmamentum judicatur. Eſt quippe illud *aſſertio religioſa, qua divinæ miſericordiæ renunciamus, aut divinam pœnam in nos depoſcimus; niſi verum dicamus*[1]. Dum autem omniſcius & omnipotens teſtis ſimul vindex invocatur, præſumtio

aliud ſunt quam *ars mentiendi*. Whitb. Eth. L. II. c. v. § 12. Hujuſmodi ſermonum exempla ab auctoris opere majori huc transferam. L. IV. c. i. § 14 " Quid hoc vel rationis vel ſubtilitatis habet, ſi interrogatus an fecerim, jurem non feci, nempe aliud quidpiam, aut alio die? Aut ſi petenti pecuniam dicam, non habeo, ſcil. quam tibi dem. Aut promitto me tibi daturum ſcil. dicis cauſâ? Stultum autem eſt, quod ejuſmodi hominem a mendacii & perjurii crimine volunt eximere ideo, quia is tantum non dicit unam veritatem determinatam, quam audientes concipiunt, ac verba illa ſignificare videntur, ſed aliam veritatem diſparatam.

[1] Sic rectius definitur quàm a cel. Sandersono qui hoc tantum in definitione poſtulat, ut Deus tanquam *teſtis* invocetur, ἁπλῶς & præciſe, non ut judex & vindex. Deus proculdubio ut judex & vindex invocatur, pœnas graviſſimas jurisjurandi religionem inſuper habentibus inflicturus. Quod quidem non negat

tio veritatis ideo excitatur, quod nemo temere tam impius credatur, ut ita petulanter gravissimam Numinis indignationem in se deposcere sit ausurus [2]. Inde officium jurantium hoc esse intelligitur, *ut & ad jurandum cum reverentia accedant, & quod juratum est religiose observent.* Cap. 11.

II. *Finis* porro & *usus juramenti* in hoc maxime vertitur, ut homines ad enunciandum verum, aut servandum promissum pactumve eo firmius adstringantur, metu divini Numinis omniscii & omnipotentis [3]; cujus vindictam, si scientes fallant, per jusjurandum in se invocant, ubi alias metus ab hominibus imminens non satis efficax videbatur; quippe

Ejus finis firmamentum addere pactis & dictis.

c. ii. § 2.

negat Sandersonus, sed fatetur utrumque facere eum qui jurat, *viz.* Deum & testem adducere veritatis ejus quod dicitur, & *vindicem* falsitatis; illud quidem primariò & per se, hoc secundariò & ex consequenti. *De Juramenti oblig.* Præl. i. § 4.

[2] Apud ipsos philosophos ethnicos maxima semper vis fuit & sanctimonia jurisjurandi. "Nullum (inquit Cicero) vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in XII Tabulis, indicant sacratæ, indicant fædera, quibus etiam cum hoste devincitur fides: indicant notiones animadversionesque censorum, qui nulla de re diligentiùs quam de jurejurando judicabant." *De Off.* III. xxxi. Conf. Herod. L. VI. c. lxxxvi. Hesiod. Theog. v. 231. Et admiranda vicissim est impietas Hobbesii, qui *extra statum civilem juramento non esse locum*, vel ullam obligationem profitetur. *De Hom.* p. 57.

[3] Eodem modo *Apostolus. Hominibus omnis controversiæ finis est ad confirmationem juramentum.* Hebr. vi. 16.

Cap. 11. quorum vires contemnere aut declinare, vel scientiam fallere se posse sperabant.

Per Deum quo sensu; quo sensu per res alias juretur. c. ii. § 3.

III. QUIA vero præter Numen nihil est omniscium, aut omnipotens, inde absurde juramentum concipitur *per rem* aliquam, *quæ opinione divinitatis destituitur*, hoc sensu, ut ea res testis atque ultrix perjurii invocetur. Etsi hoc frequens sit, ut in juramentis *certa res nominetur*, *per quam juretur*, hoc sensu, ut Deus, si jurans fefellerit, vindictam suam in istam potissimum rem exserat, tanquam juranti charissimam, & maximi æstimatam [4].

Jurandi formula jurantis religioni aptanda. c. ii § 4.

IV. IN juramentis *formula* illa, qua Deus, dum

4 Audiamus SANDERSONUM, qui hanc rem præclare (ut solet) expedivit. " Sciendum est in istiusmodi formulis, in quibus fit creaturæ alicujus mentio, " quasi per modum jurandi, per Deum tamen reverà " sæpe jurari interpretativè. Ut in omnibus iis quæ " ex communi more concipiendi habent in se vim " quandam execratoriam: ut *per animam*, *per salutem* " *meam* hoc vel illud faciam; quæ sunt perinde intel- " ligenda ac si diceretur, *ne sit Deus animæ meæ pro-* " *pitius*, *ne mihi Deus salutem æternam donet*, *ni fecero*." De Juram. Oblig. Præl. V. § 2. De formulâ quidem, quâ quis per animam suam jurat, positum hoc est extra omnem controversiam: sensus enim est, quod Deus animæ nostræ gravissimas immittere adflictiones debeat, nisi veritas dictis constet. Per aliorum autem salutem si jusjurandum concipiatur, supponitur eam nobis charissimam, immo ipsâ vitâ nostrâ chariorem esse. Sic per salutem *Pharaonis* juravit *Josephus*. Gen. xlii. 15. Ad quem locum sic commentatur doctissimus CLERICUS: " Est jusjurandum *per salutem Pharaonis*, " quemadmodum postea *per salutem Cæsarum* jurabant " Romani

dum testis & vindex invocatur, describitur, Cap. 11. *accommodanda est ad persuasionem* seu religionem, *quam circa Deum fovet, qui jurat.* Frustra quippe jurando quis adigitur per Deum, quem non credit, adeoque nec metuit 5. At nemo per Deum jurare se putat alia sub formula, aut alio sub nomine, quam quod suæ, i. e. ex opinione jurantis, veræ religionis qræceptis continetur. Inde quoque est, quod qui *per falsos Deos* jurat, quos ipse tamen pro veris habet, utique obligetur; & si fefellerit, revera perjurium admittat. Quia sub quocunque speciali conceptu generalem Numinis notionem ante oculos habuit; adeo-

" Romani & qui iis parebant. Sic. 1. *Sam.* xx. 3. " *Vivit Jehova & vivit anima tua*, similis est jurandi " formula. Sensus hujus jurisjurandi est: ut verum est " vivere Pharaonem, sic vere hoc vestri sumam expe- " rimentum, vel [potiùs] *ut verè salutem Pharaoni* " *precor, ita verè*, &c. Sic & veteres Christiani per " salutem Cæsarum jurare non dubitabant. *Juramus* " *sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum,* " *quæ est augustior omnibus geniis, ait* Tertullia- " nus. *Apol.* c. 32. ad quem vid. *Des. Herald.*" Cæterum qui per creaturam jurat absolutè ita ut constituatur in aliquâ creaturâ finis & vis juramenti sine relatione ad Deum, id, quod simpliciter illicitum est, agit; cujus hanc rationem affert Sandersonus: quia exhibetur eo pacto creaturæ reverentia Deo soli debita, Unde istiusmodi juramentum planè est idololatricum.

5 Unde atheorum juramentis nulla fides habenda est. Ipse Hobbesius fatetur frustra aliquem adigi ad jusjurandum per Deum, quem non credit, ideoque non metuit. *De Cive*, c. ii. § 21.

Cap. ii. que dum sciens pejeravit, divinæ majestatis reverentiam, quantum in se, violavit [6].

Juramenti obligatio deliberatum animum poscit. c. ii. § 5.

V. Ad juramenti obligationem requiritur, ut *animo deliberato* id susceptum sit [7]. Unde juramento hautquidquam obstrictus erat, qui simpliciter juramentum *recitando* protulerit, aut ejusdem verba concepta in prima persona alteri præiverit [8]. Ast qui speciem serio juraturi præ se tulit, is utique obligabitur, quicquid demum in animo suo dum jurat agitaverit. Nam alias omnis usus juramentorum, imo omnis ratio intervenientibus signis sese obligandi ex humana vita tolleretur, si quis tacita sua intentione posset impedire, ne effectus ille actum aliquem sequatur, cui producendo idem est institutus.

Jusjurandum obligationem firmat, non parit. c. ii. § 6.

VI. Juramenta in se non producunt novam

6 Vel, ut loquitur Grotius, quia quanquam sub falsis notis, generali tamen complexione numen intuetur; ideoque Deus verus, si pejeratum sit, in suam injuriam id factum interpretatur. *De Jure B. & P.* L. II. c. xiii. § 12.

7 Quæ suprà de promissis docentur, (vid. Cap. ix.) hic locum habere possunt; & iis intellectis, facilè intelligitur, quid sentiendum sit de obligatione juramenti. Hinc planè patet infantium, amentium, omniumque, qui vel intellectu vel voluntate ne uti quidem possunt, juramenta esse irrita & prorsus nulla.

8 Sic Ovid. *Heroid.* xxi. 139.

Sed si nil dedimus præter sine pectore vocem,
Verba suis frustra viribus orba tenes.
Non ego juravi, legi jurantia verba.

9 Jus jurandum novam obligationem creare non posse, etsi vim quandam addit obligationi prius validæ,

ex

vam & peculiarem obligationem; ſed obliga- Cap. II.
tioni in ſe validæ velut *acceſſorium quoddam vinculum* ſuperveniunt[9]. Semper enim dum juramus, ſupponimus aliquid, quo non præſtito divinam pœnam in nos provocamus. Quod ineptum eſſet, niſi illicitum foret non præſtare id, quod ſupponitur; adeoque niſi jam antea obligaremur. Ex quo ſequitur, quod actus, quibus in ſe vitium adhæret obligationem impediens, per juramentum accedens obligatorii non fiant. Sicuti nec per ſubſequens juramentum antegreſſa obligatio valida eliditur, aut jus per eandem quæſitum alteri tollitur. Inde fruſtra quis juraverit, ſeſe alteri debitum non ſoluturum. Nec obligabit juramentum, ubi conſtat eum qui juravit factum aliquod

ex ipſâ naturâ obligationis facilè patebit. In omni negotio vel datur obligatio ad veriloquium, priuſquam juravimus: vel ex ipſo juramento nulla oritur obligatio. Si aſſertorium ſit, res in aperto jacet; ſi promiſſorium, caſus eſt paulò difficilior, quoniam obligatio cum actu jurandi coæva eſſe poteſt. Attamen vim obligandi recipit jusjurandum à naturâ promiſſi; hoc obligante, illud eſt obligatorium, & vice verſâ: juxta hanc regulam quæ ex naturâ pactorum elicitur: *ubicunque obligatio in pactis ceſſat, ibi jusjurandum quoque non obligat.* Et hinc facile judicari poterit, quid de juramentis per dolum, metum, errorem, aut ſuper rebus illicitis & impoſſibilibus conceptis cenſendum ſit. Neque obſtant dubia, quæ huic ſententiæ à GROTIO opponuntur, qui per jusjurandum novam obligationem creari autumat, ſemper quidem adverſus Deum, aliquando etiam adverſus alios homines. Cui recte reſpondet BUDDEUS, in jurejurando nihil promitti Deo, ideoq; intelligi non poſſe, quo pacto nova inde erga

 Deum

Cap. 11. aliquod suppofuiffe, quod revera ita se non habebat; ac nisi id credidisset, non fuisse juraturum; imprimis ubi per dolum ejus, cui juratur, in errorem fuerit adductus. Nec qui injusto metu me ad jurandum adigit, ex eo juramento jus sibi adquirit ad aliquid a me recte postulandum [10]. Nullas quoque habebit vires jusjurandum super præstanda re quapiam illicita; imo & super omittendo aliquo bono, quod legibus divinis aut humanis præcipitur. Denique juramentum non immutat naturam &

Deum oriatur obligatio. Interim vi imperii, quod Deo in homines competit, non tantum ut legibus ejus obtemperent, sed & ne quisquam aliquid, quo omnipotentia aut omniscientia ejus lædatur, admittat, meritò ab omnibus postulat; & secus se gerentes gravissime puniendi causam habet justissimam. Sed nec erga alios homines jusjurandum novam producit obligationem; cum nec illis novi quid promittit jurans, sed quæ promisit sancte se observaturum asseverat. Relinquitur ergo, quod jusjurandum obligationem saltem antea jam existentem confirmat. Vid. BUDDEI *Theol. Moral.* P. II. cap. iii. S. v. § 12.

[10] Eandem sententiam tuetur CICERO. *Si prædonibus*, inquit, *pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si juratus quidem, id non feceris. Nam pirata non est perduellium numero definitus; sed communis hostis omnium. Cum hoc nec fides debet, nec jusjurandum esse commune.* De Offic. III. xxix. Cui opinioni suffragatur SENECA: *Nemo jurejurando tenetur, ad quod per necessitatem adactus est.* Controv. i. 6. Hic autem in eundem errorem delabuntur viri celeberrimi, quem supra commisit noster de promissis *ex metu*, Huc igitur applicari possunt, quæ notavimus ad Cap. ix. § 15. n. 23. Quibus adjungam sententiam cl. SANDERSONI. " 1. Si juramentum contineat in se quid illiciti, ne vel " mortis

& substantiam promissi pactive, cui accedit. Inde frustra jurantur impossibilia. Et promissio conditionata per juramentum non mutatur in absolutam, seu puram. Et æque in jurato promisso requiritur acceptatio. Cap. 11.

VII. Hoc autem efficiunt juramenta propter interpositam Dei invocationem, quem neque astu quis deceperit, & cui nemo impune illuserit, ut non solum *atrocior pœna* censeatur manere eum, qui juratam, quam qui injuratam fidem fefellit; sed ut a negotiis, quibus *Effectum juramenti circa juratam fidem.* c. ii. § 12.

" mortis vitandæ causâ à viro honesto suscipi debere; " nec susceptum posse sine peccato servari. 2. Si res " exigatur intentata vi aliqua aut gravi metu, quæ " nec illicita est, nec cuiquam injuria, sed ipsi tantum " juranti plus minusve incommoda: ut siquis iter faciens incideret in latrones, qui mortem ei strictis " gladiis minarentur, nisi promissâ sub juramento " certæ pecuniæ summâ vitam redimat: licitum esse " in hoc casu pecuniam promittere, & promissionem " jurejurando firmare. Ratio est, quia è duobus malis licet & prudentem decet minus eligere. 3. " Juramentum istiusmodi obligare & pactum cum " prædonibus pretium omnino esse persolvendum. " Nam qui jurat rem licitam & possibilem, tenetur id " præstare." Et sic deinceps. Idem sentit Augustinus. Epist. 124. Et Grotius. *De Jure B. & P.* L. II. c. xiii. § 14. Et L. III. c. xix. § 5. Restat autem casus; qui forsan magis difficilis videbitur: " Si quis (inquit Sandersonus) incidens in latrones " cogatur, ne ab eis occidatur, juramento silentium " promittere. Quæro, licuitne ei in tam certo vitæ " discrimine jurare silentium vel non licuit? Si non licuit, certo pereundum ei fuit: & quis tum superesset, " qui magistratui latrones indicaret? At si licuit, licebit & juramentum observare; nisi forte (quod fieri " potest) casus aliquis insperato emergens rem, quo " tempore jurabatur, licitam reddiderit postea ex " accidente illicitam." *De Juram.* Præl. IV. § 15—17.

ad.

Cap. 11. adjiciuntur, omnis dolus & *cavillatio* sit excludenda [11].

Jusjurandum quandoque stricte interpretandum. c. ii. § 13.

VIII. Non tamen semper late, *sed & stricte quandoque* juramenta sunt interpretanda, siquidem subjecta materia id requirere videatur; puta si juratum sit in odium alterius, & non tam promissioni, quam minis juramentum sit adjectum [12]. Quin nec juramentum excludit tacitas conditiones & limitationes, quæ ex ipsa rei natura rite fluunt: Puta, si alicui quidquid velit petendi optionem jurato concessi, ubi iste iniqua aut absurda petierit, hautquidquam tenebor. Qui enim aliquid indefinite alteri roganti promittit, antequam noverit, quid iste sit petiturus; præsupponit alterum petiturum honesta, moraliter possibilia, non absurda, non sibi aut aliis perniciosa.

Jurandum sensu illius qui juramentum defert. c. ii. § 15.

IX. Id quoque notandum, in juramentis *sensum totius orationis valere, prout capere se illum profitetur is, qui juramentum defert*, seu cui

---

[11] Vid. *supra*, Cap. x. § 10.

[12] Hoc vult auctor, non necesse esse, ut ultra literam & receptum loquendi morem extendatur jurisjurandi significatio, si modo materia ejus sit inutilis vel perniciosa. Sic *Davus Terentianus* herum decipere voluit, neque tamen juramenti verba violare. *Andr. Act.* 4. *Sc.* 4. Frustra. Nam interpretandi regulæ prorsus eædem sunt in pacto jurato, quæ in injurato. Qui jurando vult alium decipere, perjurii reus postulatur, etsi contra literam jurisjurandi & verba strictè sumpta non peccat, quoniam in juramentis interpretatio

cui juratur. Hujus enim præcipue, non jurantis causa juramentum præstatur. Unde ejusdem quoque est concipere verba juramenti; & quidem quantum fieri potest planissime; sic ut ipse significet, quomodo illa intelligat & jurans annuat se istius sensum probe percipere; eaque mox ab hoc liquido sunt exprimenda, sic ut nulla ratione eadem cavillari & eludere queat. Cap. 11.

X. *Divisio* juramentorum commode desumitur *ab usu*, cui illa in vita communi adhibentur. Quædam enim promissis pactisque adduntur, ut eo majore cum religione observentur. Quædam autem adhibentur ad confirmandam alicujus assertionem circa factum illiquidum, & ubi veritas aliis rationibus commodius investigari nequit. Quale exigitur a testibus, sive qui alieni facti conscii habentur. Quandoque etiam ipsi, qui inter se disceptant, deferente judice, aut altera parte, suo juramento litem solvunt [13]. *Divisio juramentorum ab usu duplici.* c. ii. § 18.

tio fieri debet ad mentem ejus, cujus causa juratur. Itaque mallem auctorem dixisse de hujusmodi juramentis, quod si eorundem materia sit illicita, iis stare non liceat.

[13] Hinc ritè dividitur jusjurandum in *assertorium* & *promissorium*; & tutò negligi potest multiplex divisio in judiciale, & extrajudiciale; publicum & privatum; simplex & solenne; nudum & execratorium; absolutum & conditionale, & similia. Sed frustra contendit HOBBESIUS omne jusjurandum esse promissorium. *De Cive*, c. ii. § 20.

CAP.

CAP. XII.

De Officio circa adquirendum Rerum Dominium.

Permissum homini rebus uti, easque usu destruere. I. CUM ea sit conditio corporis humani, ut adsumtis extrinsecus rebus indigeat, queis nutriatur, & contra ea, quæ ipsius compagem destructum eunt, muniatur; per complures quoque res isthæc vita commodior & mollior reddi possit: inde tuto colligitur, volente utique summo universi Moderatore fieri, quod homo alias creaturas ad usus suos adhibeat: quin ut etiam multas earundem destruat.

L. iv. c. 4.

[1] De vegetabilibus nullus est dubitandi locus; tum quia sensu destitutis nequit iis inferri injuria, tum quia necessaria sunt ad vitas hominum sustentandas. Sed de animalibus neque hæc neque illa valebit ratio. 1. Nobis non videntur necessaria ad victum, quippe vegetabilia, lac, ova, & similia ad vitam humanam sustentandam abunde sufficere possint; neque queri debent homines parcam esse naturam, aut necessitatibus suis haud satis prospicientem, licet jus in vitas animalium iis non concessum fuisset. 2. Cùm animalibus sensus sui inest, ut voluptatibus frui, & doloribus affligi possint; & præsertim cùm vitis, quas creatori visum est iis indulgere, non sine cruciatu destituantur; non video, quomodo ex lege naturali jus in eorum vitas possit hominibus competere. Nec sapientia, nec alia quævis perfectio (ut nonnullis placet) jus imperii in alterum tradit; quod omnino ab aliis principiis originem trahit. Vid. *supra*, cap. ii. § 5. not. 10. Nec majori

struat. Neque id solum obtinet circa vegetabilia, & quæ citra sensum corrumpuntur; sed & circa innoxia animalia, quæ utut cum dolore moriantur, citra peccatum tamen ab homine cibi causa occiduntur & consumuntur [1]. Cap. 12.

II. Cæterum ab initio omnes istæ res intelliguntur abs Deo *velut in medio hominibus expositæ*, ita ut non magis ad hunc, quam ad alterum pertinerent. Ita tamen ut sic circa eas disponerent homines, prout conditio humani generis, & ratio pacis ac tranquillitatis, bonique ordinis in eodem conservandi videretur exigere. Inde cum adhuc intra paucos genus mortalium subsisteret, placuit, *ut illa quidem cujusque fierent, nec ab altero ipsi eripi deberent, quæ quis adprehendisset*, hac intentione,

Res primum in medio positæ qui factæ hominum? c. vi. § 4.

majori vi pollet argumentum, quod affert noster, (*De Jure N. & G.* L. IV. c. iii. § 5.) nullum hominibus brutisque jus, nullam obligationem invicem intercedere: unde sequi voluit statum belli inter eos, qui se mutuo lædere possunt. Dogma quidem Hobbesii placitis quod nimium favet, sed rationi & æquitati minùs convenit. Quid enim? Licetne potentiori dolorem pro arbitrio alteri infligere, vel vitam eripere? Si homines adversus homines ita se præstare tenentur, ut nec aliorum felicitatem imminuant, nec vitas adimant; quidni & adversus bruta? Ex alio igitur fonte jus hominum in animalia, ut ea occidant & carnes edant, derivare oportet: nimirum ab expressâ illâ licentiâ, quam Deum Noacho statim post diluvium concessisse sacris literis traditum est. *Genes.* ix. 3. *Quicquid reptat & vivit, id vobis victui erit; omnia non secus ac virentem herbam vobis do.* Ante diluvium jus quidem fuit homini in animantia; ut scilicet lacte, lanâ,

Cap. 12. tione, ut eadem ad uſus ſuos adplicaret [2]; ipſa tamen corpora, ex quibus illæ res provenirent, in medio ad neminem peculiariter ſpectantia manerent [3]. Sed poſtea, multiplicatis hominibus, & cum cultura cœpiſſet adhiberi rebus, ex quibus homini alimenta & tegumenta proveniunt; ad evitandas rixas, & introducendo bono ordini, *ipſa* quoque *corpora*

lanâ, & mortuorum ſuo fato exuviis, utque viventium labore, quo ſuus imminueretur, ad ferenda aut trahenda onera uteretur; at non ut ea in cibum verteret. Fruſtra alioquin hoc Noacho permitteretur, quod dudum licitum erat; cum præſertim Moses antea ſatis indicâſſet (*Gen.* i. 29.) herbas & fructus antediluvianis hominibus in victum datos. Vid. Grotium *in loc.*

[2] *Intentio*, ſive merus animi actus non per ſe ſufficit, ut res in dominium venire poſſint; quippe actu externo opus eſt, quo ſignificare & teſtari poſſumus rem occupatam & apprehenſam noſtri propriam nos facere voluiſſe. Conf. Grot. *de Jure B. & P.* L. II. c. ii. § 2.

[3] Fructuum proprietas non involvit dominium rei, unde proveniunt; quarum vero rerum ſuſus ſufficit omnibus, communes in ſtatu ſuo naturali relinquuntur. Sic in mundi primordiis, cum pauci fuerunt telluris incolæ, ſolum commune manebat, licet quiſque colligendo fructus occuparet, & ad proprium uſum applicaret. Sic quercus communis eſſe potuit, cum glandes, quæ decidebant, ejus fiebant, qui legendo eas occupaſſet, ſibique ſecluſo aliorum jure feciſſet proprias.

[4] Recte notat Vander Muylen ad Grot. *ubi ſupra*; non opus eſſe fictione alicujus tacitæ conventionis ſive conſenſûs, quo conveniſſe homines fingendum, ut occupatio juſta eſſet, ſive legitimus acquirendi dominii modus: quaſi ſine ejuſmodi pacto aut conventione,

pora rerum inter homines divisa, & cuilibet Cap. 12.
sua portio propria assignata; hac addita
conventione, ut *quæ in prima rerum divisione in medio forent relicta, deinceps ejus possent fieri, qui primus eadem sibi asseruisset.* Sic igitur volente Numine, prævio consensu hominum, pactoque saltem tacito 4, *Propri-*

---

one, sola occupatione proprietas acquiri nequit. Immediata origo dominii proculdubio est *occupatio*: cum enim omnibus in omnia jus non potuit competere, neque res singulæ, quæ successivè existunt, communiter haberi; intelligendum est voluntatem fuisse creatoris, ut homines terrâ ejusq; fructibus uterentur; quod sine dominio fieri nequit. Voluit utique Deus res non communes manere; ideoque nec pacto quovis vel expresso vel tacito opus est, ut in proprietatem transire possint. Occupatio justus est acquirendi titulus. Luculenter hoc explicat Titius. "Origo dominii singularis a facto hominum repetenda est, & hoc quidem non aliud fuit quam *Occupatio*. Hoc sanè pro primo & antiquissimo meritò habetur. Nam quando universitati, quæ non simul & semel sed successive existit, nec res communiter habere potest aut debet, (qualem universitatem genus humanum repræsentat) aliquid indefinite donatur; tum ex voluntate donantis primi homines eâ utique prærogativâ gaudent, ut occupando dominium contra alios valiturum sibi acquirere queant: imo in universum, ea vis occupationi voluntate donantis tribuitur, ut quivis per eam rem nullius sibi comparare possit; modò plus justo sibi non afferat, sed intra leges socialitatis subsistat; nec opus est cæterorum, qui excluduntur, consensu; nam ex ordinatione donantis vim excludendi occupatio sortitur. Jam si præsupponas originem generis humani, prout eam S. Literæ tradunt (nam sine ejusmodi præsupposito ra-
" tio

Cap. 12. *Proprietas rerum sive Dominium* fuit introductum [5].

Dominium quid? & quas patiatur restrictiones? c. iv. § 2.

III. Est autem Dominium *jus, quo alicujus rei velut substantia ita ad aliquem pertinet, ut eodem modo in solidum non pertineat ad alium.* Ex quo consequitur, ut de rebus, quæ tanquam proprie ab nos pertinent, pro arbitrio nostro disponere, & ad eorundem usu quosvis alios arcere possimus [6]; nisi quatenus per pacta singulare jus a nobis sibi quæsiverint. Etsi in civitatibus contingere soleat, ut domi-

" tio hìc philosophari nequit) tum probabile est primos " homines statim occupando sibi aliquas res asseruisse. " Hinc Adamo, Evæ, eorumque liberis, sub imperio " paterno licèt adhuc existentibus, proprias res tribu- " ere nil vetat. (Vid. *Gen.* iv.) Reliqua quæ primi " homines non attigerunt, remansère in statu conces- " sionis divinæ; seu res *nullius*, donec multiplicatis " hominibus, successive occupata dominium vel com- " munionem subirent. Quod si adhuc res incognitæ " vel saltem nondum acceptatæ occurrant, illæ erunt " nullius; quemadmodum in illum statum recidunt, " quæ a dominis derelinquuntur. Si verò quædam " omnium usibus sufficiant, ut vastus oceanus, illæ " accuratè loquendo non sunt ampliùs *nullius*, quia " homines sibi eas asseruerunt, sed potius sunt commu- " nes universaliter & negativè."

5 Sunt, qui Deum humano generi dominium singulare & definitum contulisse volunt statim à mundo condito, atque iterum mundo post diluvium reparato. Quorum doctrinam (nec veritati nec naturali hominum æqualitati consonam) sic refellit noster. *De Jure N. & G.* L. IV. c. iv. § 10. " Sane accepit homo jus " in res ex concessione numinis, sed indefinitum, ge- " nerale, indifferens, neque ad proprietatem aut

" com-

dominium non ſemper penes quoſvis ſit illibatum, ſed certis limitibus circumſcriptum per imperium civile [7] aut ex diſpoſitione & conventione hominum inter ſe [8]. Quando autem res una ad plures indiviſim eodem modo pertinet, illa iſtis pluribus vocatur *communis*. Cap. 12.

IV. SICUTI autem res non ſimul & ſemel in proprietatem iverunt, ſed ſucceſſive, & prout uſus humani generis poſtulare viſus eſt: ita non neceſſum fuit, ut omnes & ſingulæ res

Res nonnullæ ex natura ſua relinquendæ communes. c. v. § 4.

"communionem; & quod homines, prout ratio & "neceſſitas ſuaderet, in peculiarem quaſi formam "redigere poſſent. Neque ſequitur: primus homo "non accepit aut uſurpavit jus in res ſub formali "ratione proprietatis, ergo poſteri ipſius ſub ea formalitate id non potuerunt exercere. Neque conceſſio "illa divina ſacris literis expreſſa definitum aliquem "modum dominii deſignat, ſed indefinitum jus res "adhibendi ad uſus rationi & neceſſitati congruentes, "quod jus æquè in communione negativâ, quam in "proprietate exerceri poteſt. Male autem infertur; "mortales acceperunt jus in res ex conceſſione divinâ, "ergo proprietas non fuit nata ex occupatione & "diviſione." Conf. LOCKE *de Civ. Imp.* Summa omnium huc redit: Deus dominium *generale* ſeu facultatem rebus creatis ad ſui conſervationem utendi immediate hominibus conceſſit, ſed *particularia* dominia per occupationem introducta ad inſtituta humana referenda ſunt.

[6] Quod vocatur dominium *plenum*.

[7] Quod dominium eſt *minus plenum* aut reſtrictum; ut *uſusfructus*, *ſervitus*, *pignus*, *hypotheca* & hujuſmodi, de quibus agunt Romani juris interpretes. Vid. *infra*, § 8.

[8] Ut in contractibus, teſtamentis, donationibus, & ſimilibus.

Cap. 12. propriæ fierent, sed salva pace generis humani *aliquæ potuerunt, aliquæ debuerunt intra primævam velut communionem permanere.* Nam quæ utilia licet hominibus, *inexhausta* tamen sunt, sic ut omnium usibus possint patere, nec tamen singulis usus iste reddatur malignior; ea dividere velle supervacuum simul ac ineptum foret. Uti est lumen calorque solis, aer, aqua profluens, & si quæ sunt similia 9. Quo refertur etiam vastus oceanus, magnis continentibus interjectus, quoad partes a litoribus remotissimas. Quippe cum ille non solum omnium usibus promiscuis sufficientissimus, sed & uni

c. v. § 4

---

9 Ovid. Met. vi. 349.

Quid prohibetis aquas? Usus communis aquarum est;
Nec solem proprium natura, nec aëra fecit,
Nec tenues undas; ad publica munera veni.

Similiter Romani jurisconsulti: *Naturali jure communia sunt omnium hæc; aër, aqua profluens, & mare, & per hoc litora maris.* Instit. L. II. tit, i. § 1.

10 Quæstio sæpius versata est à viris doctissimis, utrum mare sit capax dominii. Jure *liberum* esse contendit Grotius; *clausum* esse posse disputat Seldenus. Quæ contentio sic breviter dijudicari potest. Quod nec limitum nec custodiæ capax est, atque omnium usibus inservire potest; idem nequit esse dominii objectum. Hujusmodi est ipse oceanus; qui omnium navigationi & mercaturæ sufficit, & omnibus liber & communis esse debet, quippe occupationem nec natura nec usûs publici ratio permittat. Sed alia ratio est maris juxta litora; quod instar munimenti esse potest, & in eorum proprietatem venire, quorum terras alluit; ideoque exteris in eo vel navigandi vel piscandi jus

uni alicui populo ejus *custodia moraliter sit impossibilis* [10]. Ubi enim aliqua res ita sit comparata, ut nullo modo alii ab ejus usu arceri queant; illam dividi, aut propriam cujuspiam fieri non supervacuum solum est, sed & inanibus litigiis materiam præbere aptum. Cap. 12.

V. *Modi adquirendi* dominii sunt vel *originarii* vel *derivativi*. Per illos ab initio in rem aliquam proprietas introducitur. Per hos dominium jam constitutum ab uno in alterum transit. Priores modi iterum sunt vel *simpliciter tales*, quibus dominium in corpus alicujus rei adquiritur [11]; vel *secundum quid*, queis

Modi adquirendi dominii originarii & derivativi. c. vi. § 1.

---

jus rectè prohiberi potest. "In diverticulo maris "(quod fatetur ipse Grotius) sicut in diverticulo flu- "minis, si locum talem occupârim, ibique piscatus "sim, maximè si animum privatim possidendi plurium "annorum continuatione testatus fuerim, alterum eo- "dem jure uti prohibebo; non aliter quam in lacu "qui mei dominii est." *Mare lib.* c. v. Et alibi. "Videtur mare occupari potuisse ab eo, qui terras ad "latus utrumque possideat; etiamsi aut supra pateat "ut sinus, aut supra & infra ut fretum: dummodo "non magna sit pars maris, ut non cum terris compa- "rata portio earum videri possit. Et quod uni po- "pulo aut regi licet, idem licere videtur & duobus "aut tribus, si pariter mare intersitum occupare vo- "luerint. Nam sic flumina, quæ duos populos inter- "luunt, ab utroque occupata sunt, ac deinde divisa." *De Jure B. & P.* L. II. c. iii. § 8. Unde plane sequitur omnes maris partes quæ ad terram jacent, in dominium venire posse, earumque proprietatem rectè iis attribui, quorum sunt terræ adjacentes.

[11] Scilicet *occupatione*, quæ solus est originarius modus dominium acquirendi.

Cap. 12 incrementum aliquod ad rem noſtram adjungitur[12].

Ille eſt occupatio; quæ ad quas res ſe extendat. c. vi. § 3.

VI. Post recepta inter homines diviſa rerum dominia, ita inter homines conventum, ut quæcunque ſub primævam diviſionem non venerunt, ea cederent occupanti, i. e. ei qui primus eadem corporaliter adprehendiſſet animo ſibi habendi. Sic ut hodie originarius modus dominium in corpus alicujus rei adquirendi, ſit ſola *occupatio*[13]. Hoc igitur modo adquiruntur regiones deſertæ, quas nullus unquam homo ſibi aſſeruit: quæ fiunt illius qui primus eas ingreditur animo ſibi habendi, ita ut culturam eis adhibeat, & certos limites conſtituat, quouſque eas ſuas eſſe velit. Ubi autem cœtus multorum hominum junctim occupaverit partem quampiam terræ, uſitatiſſimum

[12] Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L: II. c. iii.

[13] Modi, quibus res occupantur, varii ſunt pro rerum varietate. "Occupatio (teſte Grotio) in mo-
"bilibus eſt apprehenſio, in immobilibus inſtructio
"aut limitatio." *Mare lib.* c. v. "Tunc demum,
"inquit noſter, occupaſſe rem aliquam dicimur, quan-
"do poſſeſſionem ejus adprehendimus; cujus initium
"eſt corporis ad corpus immediate, aut per idoneum
"inſtrumentum adjunctio. Igitur regulare eſt, ut
"occupatio rerum mobilium fiat manibus, rerum
"[immobilium ut] ſoli pedibus, cum intentione cul-
"turam iiſdem adhibendi, ac conſtitutis limitibus vel
"exactè vel cum aliquâ latitudine," *Ibid.* § 8. *Mobilia* vocantur, quæ ſolo non adhærent, ut animalia, arbores exciſæ, fructus decerpti, &c. *Immobilia* autem, vel ſolum, vel quæ ſolo adhærent; ut ædificia, arbores, fructus pendentes, &c. Romani juriſconſulti

imum est, ut singulis ex eo cœtu aliqua portio adsignetur; quæ supersunt, ad totum cœtum pertinere censeantur. Per occupationem quoque adquiruntur feræ bestiæ, aves, pisces, in mari, fluminibus aut lacubus versantes; item si quæ a mari in litus solent ejici [14]; modo tamen per imperium civile promiscua ejusmodi rerum captura non sit interdicta, aut certo alicui assignata. Quas necessum est, si nostræ debent fieri, ut corporaliter adprehendamus, & in nostram potestatem redigamus. Occupatione quoque adquiruntur res, in quibus dominium, cui ante subjectæ fuerant, plane est extinctum. Puta, si quæ abjiciuntur ea intentione, ne amplius ea sint nostra; aut quæ ab initio inviti amittimus, sed post pro derelictis habemus [15]. Quo etiam pertinet *thesaurus* [16], seu

---

ti immobiles dicunt *res, quæ soli sunt.* Digest. L. XXI. tit. i. leg. 1. § 1.

[14] "Feræ bestiæ & volucres & pisces & omnia animalia, quæ mari, cœlo & terrâ nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt. Quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur." *Inst.* L. II. tit. i. § 12. Sed quænam animalia pro *feris* haberi debent, nequit tam certo definiri. Ex jure Romano pavones, columbæ, cervi & apes sunt *feræ naturæ.* Digest. L. XLI. t. i. l. 5.

[15] "Pro *derelicto* habetur, quod dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit, ideoque statim ejus dominus esse desinit." *Instit.* L. II. tit. i. § 47. Unde rectè occupantis fieri manifestò patet.

[16] Vulgò vocatus, *Treasure-trove.*

Cap. 12. pecunia, cujus dominus ignoratur; qui inventori cedit, ubi per leges civiles aliter non est dispositum [17].

Accessionum idem, qui rei dominus est. §. vii.

VII. Cæterum plurimæ res, quæ dominio subjectæ sunt, non in eodem semper statu persistunt; sed variis *auctibus* suam *substantiam dilatant* [18]: quibusdam extrinseca *incrementa* accedunt [19], aliæ *fructus* proferunt [20]; multis per *formam* industria humana superinductam

---

[17] "*Thesaurus* est vetus quædam depositio pecuniæ, "cujus non extat memoria, ut jam dominum non ha-"beat; sic enim fit ejus qui invenerit, quod non alte-"rius sit. Alioquin si quis aliquid vel lucri causâ vel "metûs vel custodiæ condiderit sub terrâ, non est "*thesaurus*, cujus etiam furtum fit." *Digest*. L. XLI. t. i. leg. 31. Rebus hisce, quæ ex occupatione in proprietatem veniunt, addunt Romani jurisconsulti, ea, quæ ex hostibus capimus. *Bello capta ejus fiunt. qui primus eorum possessionem nactus est*. Instit. L. II. tit. i, § 17.

[18] Ut aurifodinæ, lapidicinæ, &c. quæ perpetuò augescunt. Tales etiam sunt arbores & plantæ, quæ à parvo semine ad immanem magnitudinem, certo temporis intervallo, adaugentur.

[19] Sic quæ per alluvionem accrescunt, ejus fiunt, qui est dominus & possessor agri.

[20] Ut animalia & vegetabilia. Notandum est autem ex jure Romano *fructus* intelligi deductis expensis, quæ quærendorum, cogendorum, conservandorumque eorum gratiâ fiunt. *Digest*. L. V. tit. iii. leg. 36.

[21] Ut si artifex horologium ex ære; vel pictor ex panno vilissimo pretiosam tabulam conficiat.

[22] Sed hæc regula non est perfecta & adæquata, quoniam sæpe fit quandam esse communionem dominii, & *accessionem* ex plurium dominorum concursu produci. Unde oriri necesse est communionem quandam fructuum

ductam pretium accrescit [n]. Quæ omnia vocabulo *accessionum* comprehendi possunt; & in duas classes dividuntur. Quædam enim citra factum hominis ex sola natura istarum rerum proveniunt: quædam facto & industria hominum in solidum, aut ex parte procurantur. Circa quas ista est regula, ut qui est dominus rei, ad eundem quoque pertineant accessiones & quævis emolumenta [11]; & qui ex sua Cap. 12.

---

fructuum aut accessionum, nisi transferendi voluntas interveniat. Exempla quædam ex jure Romano adducam. 1. Si equam meam equus tuus prægnantem fecerit, non est tuum, sed meum, quod natum est. *Digest.* L. VI. tit. i. leg. 5. Nam *fœtus* (ut aiunt) *sequuntur ventrem*; i. e. ad dominum matris pertinent. Sic statuunt jurisconsulti: hoc autem non esse naturale existimat Grotius, nisi quatenus plerumque pater ignoratur: at si probabili ratione de eo constaret, partus ex parte ad eum pertinet. *De Jur. B. & P.* L. II. c. viii. § 18. 2. Si Titius alienam plantam in solo suo posuerit, ipsius erit; & ex diverso, si Titius suam plantam in Mævii solo posuerit, Mævii planta erit; si modo utroque casu radices egerit. *Instit.* L. II. tit. i. § 31. Hoc verò Grotius ex jure positivo non ex naturali ita esse censet: quoniam alimentum rei jam ante existentis partem duntaxat facit; atque ideo sicut ex alimento jus quoddam in rem soli domino nascitur; ita domino seminis, plantæ aut arboris jus suum naturaliter certè ob id non perit. *Ibid.* § 22. 3. Si quis in alieno solo ex suâ materiâ domum ædificaverit, illius fit domus, cujus & solum est. *Instit. L.* II. tit. i. § 30. Sed ex mente Grotii, in ædificio, cujus partes sunt solum & superficies, cummunio locum habebit; & si mobile sit, nullum in eo jus habebit soli dominus. *Ibid.* 4. Si quis in alienâ tabulâ pinxerit, nobis videtur melius esse tabulam picturæ cedere. Ridiculum est enim pictu-

 ram

Cap. 12. sua materia speciem fecit, ejus speciei sit dominus.

Dominio detrahentes servitutum species. c. iiiv. VIII. FREQUENTER tamen contigit, ut alii ex contractu, aut alia via jus sibi quæsiverint ex re nostra certum commodum percipiendi, aut etiam impediendi ne nostra re omni modo utamur[23]. Quæ jura solent vocari

---

ram *Apellis* vel *Parrhasii* in accessionem vilissimæ tabulæ cedere. *Instit.* L. II, tit. i. § 34. 5. cum res constent ex materia & specie tanquam suis partibus, si alterius sit materia, alterius species, sequitur naturaliter rem communem fieri pro ratâ ejus quanti unumquodque est. GROTIUS, *ubi supra*, § 19. 6. Confusis materiis, ut si qui vina sua confuderint, aut massas argenti vel auri conflaverint, communio inducitur pro ratâ ejus quod quisque habeat. GROTIUS, *ubi supra*. De bonæ fidei possessore vid. *infra*, c. xiii. § 4.

[23] Hoc dominium *imperfectum*, vel jus minùs plenum vocatur, cujus quinque genera numerari solent. 1. Jus Emphyteuticum, quod nostrates dicunt, *The Right of holding in Fee*. Nam *Emphyteusis* contractus est à ZENONE Imp. primùm nominatus, cum ager eâ lege fruendus datur, ut quamdiu merces solvatur, nunquam ad dominum redeat. 2. Jus superficiarium, quo ædes in conducto solo certâ pensione annuâ positæ sunt. 3. Jus bonæ fidei possessoris. 4. Pignus seu Hypotheca. 5. Servitutes.

[24] Servitutes aut *personarum* sunt ut usus & ususfructus; aut *rerum*, ut servitutes rusticorum prædiorum & urbanorum. *Digest.* L. VIII. tit. i. leg. 1.

[25] Ususfructus est jus alienis rebus utendi & fruendi, salvâ rerum substantiâ. *Digest.* L. VII. tit. i. leg. 1, Constituitur autem ususfructus non tantum in fundo & ædibus, verum etiam in servis & jumentis & cæteris rebus; exceptis iis, quæ usu consumuntur. Nam hæ res neque naturali ratione neque civili recipiunt usumfructum; quo in numero sunt vinum, oleum, frumentum,

cari *Servitutes*. Ac dividuntur in *personales*, ubi utilitas ex re aliena ipsi personæ immediate obvenit; & *reales*, ubi ex re aliena, mediante re nostra, utilitas capitur [24]. Inter illas numerantur usus fructus [25], usus [26], habitatio [27], operæ servorum [28]. Reales iterum dividuntur in *servitutes prædiosum urbanorum*, & *rusticorum*. Cap. 12.

---

frumentum, vestimenta; quibus proxima est pecunia numerata, namque ipso usu assiduâ permutatione quodammodo extinguitur. *Instit.* L. II. tit. iv. § 2. Porro statuunt jurisconsulti, eum, ad quem usus fructus fundi pertinet, non aliter fructuum dominum effici, quàm si ipse eos perceperit. Et ideo, licet maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit: ad hæredes ejus non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur. *Instit.* L. II. tit. i. § 36.

[26] Minus est juris in *usu*, quam in usufructu. Nam is qui fundi nudum habet usum, nihil ulterius habere intelligitur, quam ut oleribus, pomis, floribus, fœno, stramentis & lignis ad usum quotidianum utatur. Nec ulli alii jus, quod habet, aut locare aut vendere, aut gratis concedere potest. *Instit.* L. II. tit. v. § 1.

[27] "*Habitatio* jurisconsultis Romanis jus est, per "quod omne emolumentum ex inhabitatione ædium "alienarum provenire solitum percipitur. Ea arcti"us patet, quàm *usus fructus*; quia ad hunc pertinet "emolumentum, quod ex mercium receptione aliis"ve causis provenit. Latius tamen quam nudus *usus* "extenditur, quod ædes ejusmodi aliis suo loco inha"bitandas locare quis possit. Puf. *De Jure N. & G.* L. IV. c. viii. § 9. Vid. *Institut.* L. II. tit. v. § 5. *Cod.* L. III. tit. xxxiii. leg. 13.

[28] "Leges Romanæ jus *operæ servorum* arctius quàm "eorum usumfructum esse tradunt: quia aliâ quoque "viâ quàm per suas operas præstare utilitatem servus "potest." *Ibid.* § 10. Vid. *Digest.* L. VII. tit. vii. *De operis servorum.*

Illæ

Cap. 12. Illæ ſunt, v. g. ſervitus oneris ferendi [29], luminum [30], ne luminibus officiatur [31], proſpectus [32], ſtillicidii recipiendi [33], &c. Hæ ſunt, v. g. iter [34], actus [35], via, aquæductus, aquæ hauſtus, pecoris ad aquam appulſus, jus paſcendi, &c. Quæ omnes fere ex occaſione viciniæ introductæ ſunt.

Modus adquirendi derivativus varius. c. ix.

IX. Inter modos adquirendi *derivativos* alii ſunt, quibus res devolvitur in alium ex *diſpoſitione legis*; alii, quibus *facto prioris domini*. Et quidem ut vel *bonorum* alicujus *univerſitas*, vel certa eorundem *portio* transferatur.

Mortis cauſa, vel per ſucceſſionem ab inteſtato. c. xi.

X. Universitas bonorum lege tranſit per mortem prioris domini in *ſucceſſionibus ab inteſtato*. Cum enim & communi hominum inclinationi repugnet, & ad pacem generis humani minime omnium conducat, bona, quæ quis tanto cum labore, dum viveret, quæſiviſſet, a domini morte haberi pro derelictis, & cuivis occupanti patere; inde ſuadente ratione apud omnes populos receptum, ut, ſi quis de ſuis bonis ipſe nihil diſpoſuiſſet, ejus bona

---

[29] Quâ vicini paries, vel columna onus noſtrarum ædium ſuſtinere debet. *Digeſt.* L. VIII. tit. v. leg. 6. § 2. Eum debere columnam reſtituere, quæ onus vicinarum ædium ferebat, cujus eſſent ædes, quæ ſervirent. L. VIII. t. ii. leg. 33.

[30] Quâ quis noſtras feneſtras cogitur excipere. *Ibid.* leg. iv.

[31] Quâ quis nequit aliquid facere, quo quævis noſtrarum ædium lumina obſcurentur & minuantur. *Ibid.*

[32] Quod in proſpectu quis habet, ne quid ei officiatur

bona devolvantur ad eos, quos pro communi hominum affectu chariſſimos habere judicatur [36]. Quales ſunt regulariter, qui ex nobis deſcendunt, & juxta hos alii ſanguine nobis juncti, pro gradu quiſque propinquitatis. Et licet aliqui homines dentur, qui vel propter accepta beneficia, vel ob peculiarem affectum alienos quoſdam magis ament, quam ſuos conſanguineos: tamen pacis interfuit, non conſiderato paucorum quorundam affectu, communem potius mortalium inclinationem ſequi, modumque ſuccedendi obſervare planiſſimum, & nullis impeditis diſceptationibus obnoxium: Quæ emerſuræ erant, ſi benefactores & amici cum iis, qui ſanguinis jure nituntur, poſſent concurrere. Et ſi quis omnino benefactores aut amicos cognatis volebat præferre, debebat expreſſe ſuper ea re diſpoſuiſſe.

Cap. 12.

In qua quo ordine hæredes ſuccedant; c. xi.

XI. Ex his conſequitur, proximos cuique *hæredes* eſſe ſuos *liberos*, quos & natura parentibus alendos educandoſque ſolicite commendavit, & quibus quiſque parentum cenſetur quam lautiſſime voluiſſe proſpicere, ac quæ

tur ad gratiorem proſpectum & liberum. *Ibid.* leg. xv.

33 Quâ quis aquam oneroſam in ſuam aream recipere tenetur. *Inſtit.* L. II. t. iii. § 1.

34 Jus eundi ad prædium noſtrum per alienum.

35 Jus agendi jumentum aut vehiculum. Cætera definitionibus vix indigent.

36 Nihil eſt tam conveniens naturali æquitati (ut loquuntur jureconſulti Romani) quam voluntatem domini, volentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi. *Inſtit.* L. II. tit. i. § 40.

ſibi

Cap. 12. sibi supersunt ipsis potissimum relinquere [37]. Per liberos autem intelliguntur præcipue, qui ex legitimo matrimonio nati sunt. His enim & ipsa ratio, & decor vitæ civilis, & leges populorum cultiorum præ naturalibus favent. Ista tamen ita demum obtinent, nisi pater aliquem pro suo filio ob sufficientes rationes noluerit agnoscere, aut nisi ob atrocissimam malitiam eundem abdicaverit. Sub liberis etiam comprehenduntur ii, qui sunt ulteriorum graduum; quos ut alere, ipsorum parentibus defunctis, avus tenetur; ita ut & ipsi cum patruis & avunculis ad hæreditatem avi concurrant æquissimum est; ne super calamitatem mature defuncti patris, etiam avi hæreditate excludantur. Ubi descendentes desunt, par est ad *parentes* defunctorum liberorum bona devolvi. Quibus liberi & parentes non sunt superstites, iis *fratres* succedunt. Ubi & hi deficiunt, hæres erit, prout quisque defunctum sanguine propius contingit. Etsi ad lites evitandas, quæ heic exoriri possunt frequentissimæ, simulque ut ea res ad usum reip. probe attem-

---

37 Si quæratur de jure primogeniti supra alios, ut mihi videtur, successio ejus in bona parentum neutiquam ex lege naturæ, sed arbitrio parentum, aut consuetudine, aut lege civili, aut denique pactis & conventionibus pendet. Naturaliter enim quoad successionem ab *intestato*, omnes liberi ejusdem sunt conditionis, eodemq; haberi debent loco. Eodem itaque jure, quo per testamenta inæqualitas quædam introduci potest, nititur etiam prærogativa, qua præ reliquis gaudent primogeniti. De origine autem & fundamento huju

attemperetur, in plerisque civitatibus super ordine successionis accurate deprehenditur dispositum. Et hunc ordinem ut sequantur privati, tutissimum est, nisi graves causæ peculiariter disponere subigant. Cap. 12.

Vel per testamentum dominium transit: c. x.

XII. Facto domini prioris universitas rerum mortis causa transit per *testamentum*[38]. Nam & illud in qualecunque solatium mortalitatis apud plerosque est receptum, ut quis vivus sua bona transferre posset in eventum mortis, in eum, quem maxime amaret. Cæterum cum antiquissimis temporibus usitatum fuisse videatur, ut imminente jam fato palam suos hæredes nuncuparent; & patrimonium de manu in manum ipsis traderent; postea graves ob rationes multis populis aliud testamenti genus magis arrisit. Ut nempe quocunque tempore placeret, ultimam suam voluntatem vel palam significare, vel literis tacite consignare possent; quam mutare pro libitu liceret, & ex qua hæredibus nuncupatis aut scriptis tunc demum jus nasceretur, quando testator exspiraret[39]. Atque tales ultimæ voluntates

hujus Juris vide quæ de hac re ex professo disseruit Buddeus in dissert. de successionibus primogenitorum, quæ exstat in *Selectis Juris Nat. & Gent.* p. 151.

[38] Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit. *Digest.* L. XXVIII. tit. i.

[39] "Possum rem meam alienare non purè modò, "sed & sub conditione; nec tantum irrevocabiliter, "sed & revocabiliter; atque etiam retentâ interim "possessione, & plenissimo fruendi jure. Alienaio "autem

Cap. 12. luntates licet merito magnum habeant favorem; ita tamen temperandæ erunt, prout necessitudinum ratio, & utilitas civitatum requirit[40]. Quæ & inde legibus sueverunt cavere, quomodo cuique testamenta sint ordinanda. A quorum dispositione qui discesserit, queri non potest, suæ voluntatis non fuisse habitam rationem.

Inter vivos vero donatione vel contractu.

XIII. INTER vivos facto prioris domini res transeunt vel *gratis*, vel *interposito contractu*. Prioris

---

" autem in mortis eventum ante eam revocabilis, re-" tento iiternm jure possidendi ac fruendi, est *testamen-" tum.*" GROT. *De Jure B. & P*, L. II. c. vi. § 14.

40 Inter eruditos non convenit de testamentis, utrum ex jure naturali, an positivo originem trahant. Ex hac parte stat noster in opere majori (L. IV. c. x. § 4.) " quia non necessarium videtur, ut dominium in se " contineret facultatem disponendi, quid circa res " alicujus post mortem debeat fieri: sed sufficere po-" test, si quis res suæ potestati subjectas haberet, quo-" usque viveret, nec eam ultra vitam extendere posset; " de bonis autem eorum, qui inter homines esse desi-" erunt, vivis disponendi cura relinquitur." Quæ rationes non satis validæ videntur ad sententiam auctoris stabiliendam; & rectiùs, ut opinor, decernit GROTIUS: " Quanquam testamentum, ut actus alii, for-" mam certam accipere possit à jure *civili*, ipsa tamen " ejus substantia cognata est dominio, & eo dato, juris " *naturalis.*" *De Jure B. & P.* L. II. c. vii. § 14. Easdem partes tuetur BUDDEUS; quo judice, non tantum licet testamenta condere, sed naturaliter quoque vim habent & efficaciam rerum dominium ad eos, qui in illis hæredes scripti sunt, transferendi. Nulla enim profectò vis esset dominii, nisi domino liceret ejusmo-di

Prioris generis translationes vocantur *donationes* [41]. De contractibus infra erit agendum [42]. Cap. 12.

XIV. Quandoque etiam *invito priore domino* res transferuntur, & quidem in civitatibus potissimum per modum pœnæ; dum ob delicta damnatis interdum omnia bona, interdum certa eorum portio eripiuntur, & vel publico, vel læso adplicantur. Sic & in bello invitis res per hostem viribus superiorem eri- *Invito domino res quandoque transferuntur.* c. vi. §. 14.

di quid sancire, quod etiam post mortem ejus valeret. Et hoc sensu testamenta sunt juris naturalis, etsi à jure civili certi ritus ac cæremoniæ, quibus observatis valorem demum suum consequantur, addi possint, imò hoc ut variis hominum improborum molitionibus obviam eatur, consultum sit. *Theol. Moral.* P. II. c. iii. S. v. § 21. Idem pluribus demonstravit in dissert. de testamentis summorum imperantium, in *Select. Juris Nat. & Gent.* Eandem sententiam comprobat Barbeyrac. [ad Puf. *De Jure Nat. & Gent.* L. IV. c. x. § 4.] quam pluribus refellere conatur Treverus ad loc. sed laterem lavat.

[41] Ad dominium transferendum requiritur ex lege civili *traditio*, non autem ex jure gentium. Sic enim Grotius: " Ad dominii translationem *naturaliter* " traditionem non requiri; quod & ipsi jurisconsulti " in quibusdam casibus agnoscunt, ut in re donatâ " usufructu retento, aut in eum collatâ, qui possideat, " aut commodatam servet." *De Jure B. & P.* L. II. c. viii. § 25. Conf. L. II. c. vi. § 1.

[42] Ipsæ vero donationes quiddam in se continent cum contractibus commune, quoniam ut valeat donatio, necessaria est acceptatio; requiritur mutuus donantis & accipientis consensus: ut ipse auctor ostendit supra, cap. ix. § 16.

piuntur,

Cap. 12. piuntur, raptorique adquiruntur [43]; ad quas tamen recuperandas pari violentia prior dominus jus non amittit, quousque per subsequentes pacis tractatus omni prætensioni ad easdem renunciaverit.

Usucapio quæ; quæque ejus introductæ ratio. c. xii.

XV. Peculiaris denique modus adquirendi est *usucapio*; per quam is, qui *bona fide* justoque titulo rei alicujus possessionem nactus est, eamque diu quietam & non interruptam obtinuit, demum pro perfecto domino ejus rei habetur, ita ut antiquum dominum, si postea rem eam vindicare velit, repellere queat [44]. Cujus juris introducti ratio fuit, partim quod pro relicta rem habere judicaretur, qui diu eandem vindicare neglexerit, cum longo tempore ad id occasiones vix deesse judicentur [45]: partim quod tranquillitatis & pacis interesset, aliquando possessiones rerum extra controversiam collocari [46]. Præsertim cum longe gravius videatur, post diuturnam possessionem re bona fide parta privari; quam olim amissa, & cujus desiderium dudum erat

[43] In hac re sequitur auctor jureconsultos Romanos. *Ea, quæ ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt*, inquit Justinian. Instit. L. II. tit. i. § 17. Sed de hac re vid. infra. L. II. c. 15.

[44] Possessionem ita demum legitimam esse, cùm omnium adversariorum silentio & taciturnitate firmatur: interpellatione vero & controversiâ progressâ, non posse eum intelligi possessorem, qui licèt possessionem corpore teneat, tamen ex interpositâ contestatione, & causâ in judicium deductâ super jure possessionis vacillet ac dubitet. *Cod.* L. VII. tit. xxxii.

digestum

digestum, in perpetuum carere. Ut tamen in civitatibus certi termini, prout ratio & utilitas civitatis suggesserit, definiantur, intra quos usucapio compleatur; tranquillitatis & pacis interest [47]. Cap. 12.

CAP. XIII.

De Officiis, quæ ex Dominio rerum per se resultant.

I. Ex introducto rerum dominio ista officia inter homines provenerunt. *Officia ex dominio:*

Primo: *Ut quilibet teneatur alterum* (non hostem) *pati rebus suis quiete frui, neque vi aut per fraudem illas corrumpere, intervertere, aut ad se trahere sustineat.* Quo ipso furta, rapinæ, & similia crimina, in res alienas tendentia, vetantur [1]. *Quisque re sua frui permittatur.* L.iv.c.13.

II. Secundo: *Quando res aliena ad nos pervenit sine nostro crimine, & bona nostra fide, eamque adhuc in nostra potestate habemus;* *Res aliena nostræ potestatis reddenda domino.* c. xiii. §2.

---

[45] Sed diutina possessio tantum jure successionis sine justo titulo obtenta prodesse ad præscriptionem hâc solâ ratione non potest. *Cod.* L. VII. tit. iii.

[46] Bono publico *usucapio* introducta est, ne scilicet quarundam rerum diu & fere semper incerta dominia essent, cum sufficeret domino ad inquirendas res suas statuti temporis spatium. *Digest.* L. XLI. tit. iii. leg. 1.

[47] Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. iv.

[1] Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. x.

Cap. 13. *tenemur efficere, quantum in nobis est, ut illa in potestatem legitimi sui domini redeat.* Non tamen tenemur illam rem restituere nostris impensis; & si quas in eam servandam fecimus, recte possumus repetere, aut rem tantisper, quoad illæ solvantur, retinere. Et ad restituendum tunc demum actu tenemur, quando innotuit nobis, illam rem esse alterius. Tunc enim debemus significare, rem eam penes nos esse, nec per nos stare, quo minus dominus suum possit recipere. Quod tamen justo titulo adquisivimus, non tenemur ipsi in dubium revocare, & velut publice denunciare, an quis eam rem sibi velit vindicare. Atque isthoc officium præponderat contractibus particularibus iisque exceptionem dat. v. g. Si fur apud me inscium furti rem furtivam deposuerit, & post verus ejusdem dominus adparuerit; huic non furi, eadem erit restituenda.

III

---

[2] Tritum est jureconsultorum dogma: *Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem.* Eodem modo CICERO: *Contra naturam est ex hominis incommodo suum augere commodum.* De Offic. III. v. Sed auctoris opinioni de bonæ fidei possessore minimè adsentitur BARBEYRACCIUS, qui ejusmodi possessorem ad fructus consumptos restituendos haudquaquam teneri contra *Grotium* & nostrum disputat; cujus hanc præcipue causam assignat: Bonâ fide qui rem aliquam possidet & tanquam suâ utitur, tantisper ejusdem verus & realis dominus existimari debet, ideoq; fructus ejus percipere jure potest. Ejusmodi possessio quasi interregnum est, quo durante interrumpitur veri domini proprietas; dominoq; putativo

III. TERTIO: *Quod si autem res aliena, bona fide parta, sit consumta; officii est tantum restituere domino, quantum facti sumus locupletiores:* ne ex immerito alterius damno lucrum capiamus [2]. Cap. 13. *Consumta quousque fecit locupletiorem.* c.xiii. § 9.

IV. Ex hisce porro sequentes conclusiones deducuntur [3]: I. Possessor bonæ fidei [4] non tenetur ad ullam restitutionem, *si res periit*; quia nec res ipsa penes eum est, nec lucrum ex ea re. II. Bonæ fidei possessor tenetur ad restituendum non solum rem sed & *fructus adhuc exstantes.* Naturaliter enim ad quem pertinet res, ad eundem quoque fructus pertinent. Licebit tamen possessori detrahere omnes impensas in rem ejusque culturam, quo fructus provenirent, factas. III. Bonæ fidei possessor tenetur ad restitutionem rei & fructuum *consumtorum*; si modo alias tantundem consumturus fuerat, & possit rei evictæ pre- *Conclusiones de possessione bonæ fidei variæ.* c.xiii. § 10.

tativo percipiendi fructus, qui exinde accrescunt, jus competit. Igitur nullos reditus, nulla emolumenta restituere tenetur. Vid. Not. ejus ad loc. nec non ad opus majus. L. IV. c. xiii. § 3. not. 1. Similiter GROTIUM corrigit ad Libr. II. c. x. § 4. Non tenetur, inquit, ad restituendos etiam fructus exstantes rei; quoniam ille, quamdiu fuit bonæ fidei possessor, secundum legem naturalem eadem plane jura habuit, ac si verus dominus fuisset.

3 Quæ sequuntur, ex GROTIO transtulit auctor, ejusdem errores implicitè amplectens. *De Jure B. & P.* L. II. c. x. § 3—9.

4 *Possessor bonæ fidei* vocatur, qui rei alienæ, quam possidet, illæsam habet conscientiam. V. CALVINI *Lexicon. Jurid.*

Cap. 13. tium ab autore suo recuperare. Nam in hoc factus est locupletior, dum rem alienam consumendo suæ pepercit. IV. Bonæ fidei possessor non tenetur pensare fructus, quos *neglexit*. Quia nec rem habet, nec quidquam quod rei successit. V. Si bonæ fidei possessor rem alienam sibi donatam alii *donaverit*; non tenetur, nisi omnino ex officio aliquo tantundem donaturus fuerat. Tunc enim lucrum erit rei suæ pepercisse. VI. Si bonæ fidei possessor rem alienam oneroso titulo partam quocunque modo *alienaverit*; non tenetur, nisi quatenus ex ea lucrum fecit. VII. Bonæ fidei possessor etiam *oneroso partam titulo* rem alienam tenetur restituere, neque dominum id, quod erogavit, reposcere potest, sed illum duntaxat, abs quo eam rem accepit. Nisi quatenus dominus rei suæ possessionem recipere sine aliquo impendio probabiliter non potuit, aut *μήνυτρον* [5] ultro pollicitus fuerit [6].

V.

---

5 *Indicii præmium.*

6 Omisit noster tres regulas, quas ex Grotii mente sequi tenetur bonæ fidei possessor, ideoque has supplebimus. " VIII. Eum, qui rem alienam emit, " non posse eam restituere venditori, ut pretium ser" vet; quia ex quo res in ejus fuit potestate, jam cœ" pit obligatio restituendi. IX. Eum qui rem habe" at cujus dominus ignoratur, non teneri naturaliter " eam rem pauperibus dare: quanquam valde hoc pium " sit, & recte multis in locis constitutum. Ratio est, " quia ex dominio nemo jus habet præter dominum. " Non esse autem & non apparere, tantundem valent, " quoad eum cui non apparet. X. Naturaliter quod

ob

V. Qui rem alienam *invenit*, quam domino invito excidisse probabile sit, non potest eam colligere hoc animo, ut eandem domino requirenti subtrahat. Ubi autem dominus non adparet, recte eandem sibi retinere potest. Cap. 13. *Res inventas quando retinere liceat?* c.xiii.§15.

CAP. XIV.

De Pretio.

I. Post introducta rerum dominia cum nec omnes res ejusdem essent naturæ, nec eundem usum humanis necessitatibus præberent; nec cuivis ista rerum copia adesset, quam ad usus suos desideraret; mature inter homines receptum res invicem *permutare* [1]. Sed quia sæpissime contingeret, ut res disparis naturæ aut usus essent transferendæ; ne alterutrum ejusmodi permutatione læderetur, necessum *Pretii in transferendis rebus necessitas & usus.* L. V. c i.

" ob causam turpem aut honestam, ad quam quis obligabatur, acceptum est, non esse restituendum; " quanquam hoc quoque non immerito legibus quibusdam introductum est. Ratio est, quia ratione " rei nemo tenetur, nisi res sit aliena; hic autem " dominium transit ex prioris domini voluntate. A- " liud erit si in ipso accipiendi modo vitium fuerit, " putà extortio: hoc enim est aliud obligationis principium, de quo hic non agimus. " *Ibid.* § 10—12.

[1] Ex permutatione ortum est commercium, ex commercio pretium, & ex pretio nummus. Permutatio autem crevit vel ex naturali hominum indigentiâ, vel ex

Cap. 14. sum erat conventione hominum rebus assignari aliquam quantitatem, juxta quam res invicem comparari, exæquarique possent. Quod itidem contingit circa actiones, quas in aliorum usum non gratis adplicare placuit. Ea quantitas nomine *pretii* venire solet [2].

Pretium vulgare in rebus, eminens in nummo. c. i. § 3.

II. Dividitur pretium in *vulgare* & *eminens*. Illud spectatur in rebus, & actionibus seu operis in commercium venientibus, quatenus

---

ex eorum luxuriâ. Cùm enim industriâ hominum res naturâ communes in occupationem, & exinde in dominium venerunt, pleræque autem res, quæ usibus humanæ vitæ maximè inservire possint, breves & caducæ fuerunt; exinde res brevi perituras pro firmis & stabilibus permutare cœperunt, puta frumentum pro nucibus, victum pro vestitu; & sic institutæ sunt rerum permutationes & commercia. Deinde rebus quorundam indies crescentibus usque ad satietatem, neque tamen permutationi idoneis, (non enim facilè singula à loco ad locum deferri possunt) tandem inter homines convenit quiddam mutuò dare & accipere, quod diutiùs durare & nullo fere negotio tractari & deferri potuit; cujus valor ex arbitrio & consensu hominum æstimatus quasi communis mensura esset, ad quam omnia pretiosa referri possunt. Juxta illud Aristotelis, *Eth.* ix. 1. Πεποίηται κοινὸν μέτρον νόμισμα, πρὸς τοῦτο γὰρ πάντα ἀναφέρεται, καὶ τούτῳ μετρεῖται πάντα. *Excogitatur pro communi mensura nummus; ad quam omnia referuntur, quaque mensurantur omnia.* Metalla, aurnm, argentum, æs, & si quid tale, huic usui maxime idonea fuerunt, quorum valor primum à pondere, deinde à signo his impresso (quod mensuræ vice fungi potuit) definitur. Et hæc est origo nummi. Audiamus de hac re Romanos jureconsultos: " Origo emendi vendendique à permutationibus cœpit. Olim " enim non ita erat nummus, neque aliud merx, " aliud

tenus usum aliquem & delectationem hominibus afferunt. Hoc autem cernitur in *nummo*, quatenus is omnium rerum & operarum pretium virtualiter continere, & communem iisdem mensuram præbere intelligitur.

Cap. 14.

III. Vulgaris pretii *fundamentum* in se est aptitudo illa rei vel operæ, qua aliquid mediate aut immediate conferre potest ad vitæ humanæ necessitates, & ad eandem commodiorem aut jucundiorem reddendam [3]. Unde &

Illius quod fundamentum & quæ ab eo excepta? c. i. § 4.

"aliud pretium vocabatur; sed unusquisq; secundum "necessitatem temporum ac rerum, utilibus utilia "permutabat; quando plerumque evenit, ut quod "alteri superest, alteri desit; sed quia non semper nec "facilè concurrebat, at cum tu haberes, quod ego "desiderarem, invicem haberem quod tu accipere "vel les, electa materia est, cujus publica & perpetua "æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate "quantitatis subveniret; eaque materia formâ publicâ percussa usum dominiumque non tam ex substantiâ præbet, quàm ex quantitate: nec ultra merx "utrumque, sed alterum pretium vocatur." *Digest.* L. XVIII. tit. i.

[2] Pretium sic definiri solet: *Quantitas moralis rerum & actionum, quatenus aliquem usum habent in vitâ communi, atque invicem comparantur, quo in commercium venire aptæ sint.* Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. xii. § 14. Buddei *Theol. Mor.* P. II. c. iii. S. 5. § 24.

[3] Sunt tamen, qui hoc non per se sufficere contendunt, sed præter utilitatem addendum putant, ut omnibus non sufficiant, adeoq; suo modo res rara sit. Ita Titius & Barbeyrac. *ad loc.* Rectè, ut opinor, nostrum defendit Buddeus [*Theol. mor.* P. II. c. iii. S. v. § 24.] quoniam de solâ aptitudine recipiendi pretium loquitur Pufendorfius: ut pretium *actu* imponatur

Cap. 14. & res nullum plane usum præbentes, nullius pretii solemus vocare. Dantur tamen res quædam, vitæ humanæ utilissimæ, quibus nullum certum pretium impositum intelligitur; vel quia dominio sunt & debent esse vacuæ, vel quia ad permutationem sunt ineptæ, & inde a commerciis sepositæ, vel quia in commerciis nunquam aliter quam appendix alterius rei considerantur. Sed & dum lex divina aut humana quasdem actiones extra commercium removet, seu pro mercede obire vetuit, pretium quoque iisdem detraxisse intelligitur. Sic quia superiores partes aeris, æther, ac cœlestia corpora, vastusque oceanus a dominio humano sunt exempta, nullum quoque pretium iisdem tribui potest. Sic liberi capitis nullum est pretium, quia liberi homines in commercium non veniunt 4. Sic apricum solis lumen, liquidus & purus aer, amœna facies terræ, quatenus oculos duntaxat pascit, ventus, umbra, & similia in se & seorsim considerata, pretium non habent; cum homines sine talibus usu terræ frui nequeant. Quibus ipsis tamen magnum mo-

---

ponatur, accedere debet, ut non omnibus sufficiat. Aqua, si in tanta copia adsit, ut omnium usibus sufficiat, fundamentum pretii habet, utilitatem. In eo aptitudo ad recipiendum pretium consistit. Ut actu imponatur pretium, ob abundantiam non necesse est. Quod si vero rara fiat, pretium omnino actu imponitur. " Mensura ejus, (inquit Grotius. L. II. c. xii. § " 14.) quod res quæque valet, maxime naturalis est " indigentia, ut Aristoteles recte ostendit. (*Eth.* " L. V. c. viii.) quod in permutationibus rerum apud " barbaros

momentum ineſt circa augendum aut minuendum pretium regionum, fundorum atque prædiorum. Sic illicitum eſt pretio addicere actiones ſacras, quibus effectus aliquis moralis ex inſtituto divino eſt aſſignatus; quod crimen *Simoniam* vocant [5], & improbe juſtitiam venalem habet judex. Cap. 14.

IV. Causæ autem, cur unius & ejuſdem rei pretium *intendatur* vel *remittatur*, quodque adeo una res alteri præferatur, licet hæc æqualem aut majorem uſum in vita humana videatur obtinere, ſunt variæ. Heic enim uſque adeo neceſſitas rei aut nobilitas uſus primas ſemper non tenent; ut potius viliſſima eſſe cernamus, quibus vita humana minime carere poteſt; ideo quod non ſine ſingulari Dei providentia uberem eorum proventum natura profundat. Ad *intentionem* igitur pretii imprimis facit raritas; quæ non parum commendatur, ubi ex locis remotis res afferuntur. Inde ambitioſa hominum luxuria multis rebus, queis vita humana commodiſſime carere poterat, enormia pretia poſuit; puta unionibus, & gem-

Intenſi vel remiſſi pretii non una cauſa.

c. i. § 9.

" barbaros populos maxime ſpectatur. Non tamen
" hæc unica eſt menſura. Nam hominum voluntas,
" quæ rerum domina eſt, multas res magis deſiderat
" quàm ſunt neceſſariæ. *Margaritis*, inquit Plinius,
" (*Hiſt. Nat.* ix. 34) *pretia luxuria fecit*."

4 *Libertas inæſtimabilis res eſt*. Digeſt. Lib. L. t. xvii.

5 *Simonia* (quam Latini *ambitum* vocant, ſiquidem Simonia non eſt vox Latina) dicitur, quando quis vult dare aut accipere dona Dei, datâ aut acceptâ pecuniâ. Et hinc tralatè dicitur de iis, qui *beneficia eccleſiaſtica* vendunt aut emunt.

mis.

Cap. 14. mis [6]. Rerum vero quotidiani usus pretia potissimum intenduntur, quando raritas earundem conjungitur cum necessitate seu indigentia. Pretia rerum artificialium præter raritatem maxime solent intendere subtilitas & elegantia artis, quam præ se ferunt; quandoque & fama artificis, nec non operis difficultas, artificum & operariorum raritas, & similia. Operarum & actionum pretia intendit earundem difficultas, dexteritas, utilitas, necessitas: agentium raritas, dignitas, libertas; & denique ipsa artis opinio, nobilis an ignobilis illa habeatur. Contraria horum pretium *minuere* solent. Aliquando denique certa aliqua res non in universum, sed a singulis magni æstimatur ex peculiari affectu; puta quod ille, a quo ista in nos profecta est, maximi a nobis fiat, exprimendoque ipsius affectui data sit: aut quod eidem adsueverimus, aut quia insignis casus sit monumentum, aut ejusdem ope magnum malum declinaverimus, aut quia a nobismetipsis confecta sit. Quod solet vocari *pretium affectionis*.

Rerum pretia definiuntur conventione, lege, usu. c. i. § 8, 9.

V. Ast circa *definienda singularum rerum pretia* alia quoque considerari sueverunt. Et inter eos quidem, qui in naturali libertate invicem vivunt, rerum singularium pretia non aliter, quam contrahentium conventione definiuntur, quippe cum illis liberum sit alienare aut adquirere, quæ velint; nec communem habeant

[6] *Qui modus est in his rebus cupiditatis, idem est æstimationis;*

habeant dominum, qui eorum commercia moderetur. Aſt in civitatibus duplici modo pretia rerum definiuntur: uno per decretum ſuperioris, aut per legem: altero per communem hominum æſtimationem atque judicium, ſeu uſum fori; accedente conſenſu eorum qui inter ſe contrahunt. Illud pretium aliqui ſolent vocare *legitimum*, hoc *vulgare*. Ubi pretium legitimum in gratiam emtorum fuit conſtitutum, quod frequentius fit; non licebit venditoribus plus exigere; etſi minus accipere ſi velint, non prohibeantur. Sic ubi merces operarum publice ſit taxata in gratiam eorum, qui conducunt; operario non licet plus exigere, etſi idem non prohibeatur minus accipere.

Pretium ex uſu fori ſuam habet latitudinem.

c. i. § 10.

VI. Enimvero vulgare pretium, quod per leges non eſt taxatum, habet aliquam latitudinem, intra quam plus minuſve dari & accipi poteſt ac ſolet, prout inter contrahentes fuit conventum. Quod tamen fere ſequitur uſum fori. Ubi ſolet haberi ratio laborum & expenſarum, quas mercatores communiter faciunt in mercibus adportandis & tractandis; necnon quo modo ematur aut vendatur, in magna quantitate, an minutatim. Subito quoque interdum mutatur commune pretium ex copia aut paucitate ementium, pecuniæ, aut mercium. Nam paucitas ementium & pecuniæ, (ex peculiari cauſa emergens) &

---

tionis: difficile eſt enim finem facere pretio, niſi libidini feceris. Cicero in Verr. iv. 7.

mercium

Cap. 14. merçium abundantia pretium minuit. Contra emturientium & pecuniæ copia, & mercium raritas, pretium intendit. Sic & ad minuendum pretium facit, si merx quærat emtorem. Contra intenditur pretium, ubi venditor ultro rogatur, alias non venditurus. Denique & illud solet attendi, paratam quis pecuniam offerat, an in diem solutionem differat; cum etiam dies sit pars pretii[7].

Expediendis negotiis necessarius est nummus. c. i. § 12.

VII. Cæterum postquam a primæva simplicitate mortales desciverunt, & varia quæstus genera introduxerunt; facile fuit deprehensum, solum illud vulgare pretium non sufficere expediendis hominum negotiis, & gliscentibus commerciis. Nam tunc sola permutatione commercia constabant; & operæ aliorum locari aliter, quam mutua opera, aut re tradita non poterant. Atqui postquam tam varia desiderare ad commoditatem aut voluptatem cœpimus, non sane in proclivi fuerat cuivis ejusmodi res possidere, quas alter suis mutare vellet, aut quæ alterius rebus æquivalerent. Et in civitatibus cultis, ubi cives variis statibus distinguuntur, complura hominum genera dari necessum est, quæ, si simplex illa rerum & operarum permutatio vigeat, vitam plane non tueri, aut ægre queant. Hinc plerisque gentibus, queis amplior vitæ cultus arridebat, visum fuit conventione quadam *pretium eminens* certæ rei imponere, ad quod

---

7 *Dies solutionis, sicuti summa, pars est stipulationis,* Digest. L. II. t. xiii.

cæte-

cæterarum rerum pretia vulgaria exigerentur, & in quo eadem virtualiter continerentur. Adeo ut interveniente illa re quamlibet rem venalem quis sibi comparare, & quævis commercia & contractus commode posset exercere. Cap. 14.

Materia illi idonea nobiliora metalla. c. i. § 13.

VIII. Hunc ad finem plerisque gentibus placuit adhibere *metalla* nobiliora, & non admodum frequentia. Nam & illa substantiæ sunt valde compactæ, sic ut usu non facile deteri queant, & divisionem in plurimas minutas particulas admittant. Nec minus custodiæ & tractationi eadem sunt habilia ; & propter raritatem multis aliis rebus æquivalere possunt. Etsi quandoque ex necessitate, & apud quasdam gentes ex defectu metallorum, aliæ res in vicem nummorum sint adhibitæ [8].

Nummi valor a quo, & qua cautela, definiendus?

IX. In civitatibus porro *valorem nummi definire* est penes summos imperantes [9] ; & inde publica signa eidem solent imprimi. Est tamen in eo definiendo respicienda communis gentium vicinarum, aut quibuscum nobis commercia exercentur, æstimatio. Alias enim, si nimis magnum nummis suis valorem posuerit civitas, aut si materiam eorum rite non temperaverit, commercia civium suorum cum extraneis, quæ quidem sola rerum permutatione absolvi non possunt, valde sufflaminabit. Et ob eam ipsam causam non temere

[8] Ut corium apud Lacedæmonios. de quo vid. Senec. *de Benef.* v. 15.

[9] Hinc nummi summorum imperantium imagines præferre solent.

in

Cap. 14. in valore nummorum fieri debet mutatio, nisi summa reip. necessitas id exigat. Etsi gliscente auri argentique copia paulatim nummorum valor in comparatione ad pretium fundorum, & quæ inde dependent, soleat velut ultro decrescere.

CAP. XV.

De Contractibus, qui pretia rerum præsupponunt, et fluentibus inde officiis.

Contractus rerum dominia & pretia supponunt. L.V. c. ii. I. PACTUM in genere est consensus & conventio duorum pluriumve in idem placitum. Sed quia frequenter simplicia *pacta contractibus* contradistinguuntur, id *discrimen* in hoc potissimum videtur consistere, quod *contractus* vocentur pacta, quæ circa res & actiones in commercium venientes versantur, adeoque dominia & pretia rerum præsupponunt. Sed quæ circa alia ineuntur conventiones, communi *pactorum* vocabulo insigni-

1 Alii alias differentias inter contractus & pacta constituunt. Hobbes. *De Cive*, c. ii. § 9. Vitriarii *Institut. Jura. N. & G.* L. II. c. xii. Qu. 2. Sed ex jure Romano videntur tantum in eo differre, ut pactum sit *genus*, contractus *species*, Illud enim definire solent, *duorum pluriumve in idem placitum consensus*. Digest. L. II. tit. xiv. Sed conventiones, quæ pariunt actiones, in suo nomine non stant, sed transeunt in proprium nomen *contractus*, ut emptio, venditio, locatio, &c. *Digest*. ibid.

2 Conf. Grot. L. II. c. xii.

untur

untur [1]. Etsi ex hisce quibusdam promiscue pactorum & contractuum nomen tributur [2]. Cap. 15.

II. Contractus dividi possunt in *beneficos* & *onerosos*. Illi alteri contrahentium parti gratis commodum aliquod afferunt; uti mandatum, commodatum, depositum [3]. Hi utramque partem ad æquale onus adstringunt; quippe in quibus eo fine præstatur aut datur aliquid, ut tantundem recipiatur [4].

Sunt duplices, alii benefici, alii onerosi.
c. ii. § 8.

III. Habent autem hoc omnes contractus *onerosi*, ut in illis servari *æqualitas* debeat, seu ut uterque contrahentium tantundem nanciscatur: & ubi inæqualitas intervenerit, alteri, qui minus accepit, nascatur jus ad postulandum, ut suppleatur quod sibi deest, aut ad contractum plane abrumpendum. Id quod tamen in civitatibus potissimum obtinet, ubi usu fori, aut lege, pretia rerum definiuntur. Ad hanc autem æqualitatem inveniendam & determinandam requiritur, ut utrique contrahentium res ipsa, circa quam contrahitur, cum suis qualitatibus, quæ aliquod momentum heic habent, sit *cognita*. Unde &, qui per

In onerosis contractibus servanda æqualitas.
c. iii. § 1.

---

3 v. g. Si quis rem minoris vendat, animo beneficium dandi; cujus exemplum vid. apud Sueton. in *Jul. Cæs.*

4 Quorum à jurisconsultis quatuor enumerantur species. 1. *Do ut des*, ut pecuniam pro pecuniâ, vel rem pro pecuniâ, vel usum rei pro re aut pecuniâ aut usu rei. 2. *Facio ut facias*, cujus innumeræ sunt species pro factorum varietate. 3. *Do ut facias*, ut pecuniam pro servitute. 4. *Facio ut des*, ut in conductionibus. *Digest.* L. XIX. tit. v. Conf. Grot. L. II. c. xii. § 3.

cn-

Cap. 15. contractum rem in alterum est translaturus, indicare debet non solum qualitates rei aestimabiles, sed & earundem privationes, & vitia [5]. Citra hoc enim justum pretium constitui nequit. Etsi illas circumstantias, quae per se rem non contingunt, indicare non sit necessum. Vitia autem utrinque jam nota non opus est indicari. Et qui sciens vitiosi quid comparat, habet quod sibi imputet.

Erratum in ea; etiam citra culpam, corrigendum. c. iii. § 2.

IV. EOUSQUE autem in hisce contractibus aequalitas est adhibenda, ut licet nihil dissimulatum sit, tamen si postea inaequalitas deprehendatur, etiam citra culpam contrahentium, puta quia vitium latebat, aut in pretio est erratum, ea corrigenda sit; & demendum ei, qui plus habet, addendumque minus habenti

---

[5] Praeceptum est in lege *Mosaicâ. Quum rem venalem vendideris quisque proximo suo, aut emeris e manu proximi tui, ne fraudem facito alter alteri.* Levitic. xxv. 14. Huic affine est illud CICERONIS: *Juris natura fons est neminem id agere, ut ex alterius praedetur inscientia.* De Offic. III. xvii. Omnem abesse dissimulationem à contractibus praecipit jus Romanum. *Dolum malum à se abesse praestare venditor debet, qui non tantum in eo est, qui fallendi causâ obscurè loquitur: sed etiam qui insidiose obscurè dissimulat.* Digest. L. XVIII. tit. i. Ac de jure praediorum hoc sancitum esse testis est CICERO. *Quicquid esset in praedio vitii, id statuerunt si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset praestari oportere.* De Offic. III. xvi.

[6] Ut legato, qui omnia ad praescriptum agere tenetur.

[7] Praeclarè CICERO de hac re disseruit. " In privatis rebus si qui rem *mandatam* non modo malitiosius " gessisset

benti. Etsi ad declinandam multitudinem litium leges civiles vix aliis quam enormibus læsionibus heic medeantur; de cætero quemque rerum suarum satagere jubeant. Cap. 15.

V. *Contractus benefici* sunt præcipue tres: Mandatum, Commodatum, & Depositum. *Mandatum* est, quando quis gratis alterius negotia ipso requirente & committente expedienda suscipit. Idque contingit *duplici* ratione, vel ut præscribatur ipsi modus rei expediendæ [6]; vel ut is ejusdem judicio ac dexteritati relinquatur. In hoc contractu uti summa cum fide & industria versandum est; quippe cum nemo fere nisi amico, & de quo optime sentit, mandet [7]; ita contra mandatarius indemnis præstari debet a sumtibus in rem

Mandatum est contractus beneficus, & qualis? c. iv. § 1.

"gessisset sui quæstûs aut commodi causâ, verum etiam "negligentius; eum majores summum admisisse dedecus existimabant. Itaque *mandati* constitutum est "judicium, non minùs turpe quàm furti. Credo propterea, quod quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ *vicaria* fides amicorum "supponitur: quam qui lædit, oppugnat omnium "commune præsidium; & quantum in ipso est, disturbat vitæ societatem. Non enim possumus omnia "per nos agere. Alius in aliâ est re magis utilis. "Idcirco amicitiæ comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. Quid recipis "mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es? Cur mihi te offers, ac meis "commodis, officio simulato, officis & obstas? Recede de medio: per alium transigam. Suscipis onus "officii, quod te putas sustinere posse: quod minime videtur grave iis, qui minimè ipsi leves sunt.

 "Ergo

Cap. 15. rem sibi commissam factis[8]: nec non a damnis, in quæ ex causa mandati incidit, & quæ proprie ex ipsa re mandata profluxerunt[9].

Commodatum qualem gratuitum usum notet? c. iv. § 6.

VI. *Commodatum* est, quo rei nostræ usum alicui gratis concedimus. In quo observandum, ut quis eandem rem sollicite & summa cum diligentia servet, tractetque: neque ipsam ad alios usus adhibeat, aut ulterius, quam commodans concessit: ac illæsam & prout accepta fuit restituat, nisi quantum per ordinarium usum eidem decessit. Quod si res ad certum tempus fuerit concessa, & interea dominus eadem valde indigere incipiat, ex casu aliquo tempore commodationis factæ non præviso; repetenti eadem citra tergiversationem erit restituenda. Quod si autem res commodata casu fortuito & improviso citra omnem commodatarii culpam perierit; ejus æstimatio non

"Ergo idcirco turpis hæc culpa est, quod duas res "sanctissimas violat, amicitiam & fidem. Nam neque "mandat quisquam fere, nisi amico, neque credit nisi ei "quem fidelem putat. Perditissimi est igitur hominis, "simul & amicitiam dissolvere, & fallere eum, qui læsus "non esset nisi credidisset." *Pro Sex. Rosc.* c. xxxviii, xxxix.

[8] Sic si à latronibus spoliatus sit, vel naufragium fecerit, mandans ad damnum resarciendum tenetur.

[9] Quæri solet, an negotio tibi dato & quid omnino faceres definito; contra quid facere debeas, si eo facto videri possit res eventura prosperiùs exque utilitate ejus, qui tibi id negotium mandavit? De quâ quæstione vid. A. GELL. *N. A.* L. I. c. xiii. Hanc sic accuratè dirimit noster. "Distinguendum est inter mandatum, "quod per imperium superioris, & quod ex contrac- "tu ultroneo suscipitur. In privatis negotiis facile "et

non erit solvenda, ubi eadem apud dominum quoque peritura fuerat. Alias æquum videtur commodatarium æstimationem rei præstare, quippe quam dominus amissurus non fuerat, ni adversus alterum benignus fuisset [10]. Vice versa, si quid utilium aut necessariarum impensarum in rem commodatam factum sit extra eas, quæ alias usum rei regulariter comitantur, id a domino refundendum erit. Cap. 15.

Depositi natura, & officia circa illud. c. iv. § 7.

VII. *Depositum* est, quo rem nostram, aut ad nos quocunque modo spectantem alterius fidei committimus, ut eandem gratis custodiat. In quo requiritur, ut res concredita diligenter custodiatur, & quandocunque deponenti placuerit restituatur; nisi ea restitutio domino aut aliis noxia sit futura, eoque intuitu differenda sit [11]. Neque licebit re deposita citra consensum domini uti, siquidem ea ullo modo per

" est, ut modus expediendi negotium alteri præsumatur præscriptus duntaxat in vicem consilii, in quo immutando prudentiæ mandatarii locus est relictus. At vero qui pro imperio aliquid alteri mandat, non censetur ipsi nisi meram executionem injunxisse, ideoque non licebit à modo præscripto discedere." *De Jure N. & G.* L. V. c. iv. § 5.

10 Sic statuunt jurisconsulti Romani. " Si commodavero tibi equum, quo utereris usque ad certum locum, si nullâ culpâ tuâ interveniente in ipso itinere deterior equus sit, non teneris commodati: nam ego in culpa ero, qui in tam longum iter commodavi, qui eum laborem sustinere non potuit." *Digest.* L. XIII. tit. vi. l. 23.

11 Tempora enim incidere possunt in quibus depositum reddere non debemus; ut si quis mente captus

 gladium

Cap. 15. per usum fiat deterior, aut domini intersit ne ea conspiciatur. Ac si quis hoc ausus fuerit, quævis pericula, in quæ res ob usum incidit, præstabit. Sed nec licet rem depositam exuere illis vinculis aut receptaculis, quibus a deponente fuit inclusa. Cum autem valde turpe sit & fœdius furto, depositum abnegare; tum id multo est turpius, si quis inficiatus fuerit depositum miserabile, seu quod ob periculum incendii, ruinæ, tumultus deponitur. Vicissim a deponente sumtus in rem depositam facti sunt refundendi.

Contractuum onerosorum primus, permutatio. c. v. § 1.

VIII. Inter *contractus onerosos* antiquissimus fere, & quo solo ante inventum nummum commercia expediebantur, est *permutatio*, qua utrinque res pro re æquivalente datur. Etsi & hodie post inventam pecuniam inter mercatores cum primis usitatum sit genus permutationis, quo non simpliciter res inter se comparantur, sed prius pecunia taxantur, & deinde loco pecuniæ invicem traduntur. Diversum tamen negotii genus a contractu permutationis est *reciproca donatio*; in qua ut æqualitas observetur necessum non est.

Emtio, venditio, eique adjici solita pacta. c. v. § 2.

IX. *Emtio venditio* est, qua pro pecunia rei

---

gladium requirat. Senec. *De Benefic.* IV. x. "Depositum reddere per se res expetenda est; non tamen "semper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet "tempore. Aliquando nihil interest, utrum inficier, "an palam reddam. Intuebor utilitatem ejus cui "redditurus sum, & nociturum illi depositum ne- "gabo."

ali-

alicujus dominium, aut eidem æquipollens jus adquiritur. Ejus simplicissimum genus est, si ubi in pretium fuit consensum, emtor statim pretium, venditor mercem offerat, tradatque. Frequenter tamen ita convenitur, ut merx quidem statim tradatur, pretium autem post certum intervallum sit solvendum [12]. Aliquando super pretio quidem convenitur, sed ut traditio rei seu mercis ad certum terminum debeat fieri. Ubi æquitati conveniens videtur, ut ante elapsum eum terminum res sit periculo venditoris: sed si post eum elapsum emtor in mora fuerit, quo minus eam sibi tradi curarit, emtori deinceps res peribit [13]. Solent & *emtionis venditionis* contractui varia pacta adjici: uti est *addictio in diem*, qua res ita venditur, ut liceat venditori meliorem conditionem, ab altero intra certum tempus oblatam, acceptare [14]. Item *lex commissoria*, quando ita convenit, ut si ad certum diem pretium non solvatur, res sit inempta [15]. Item *retractus*, seu pactum de retrovendendo; quod vel ita concipitur, ut si pretium intra certum tempus aut quandocunque offeratur, emtor rem te-

Cap. 15.

---

[12] Emtio & venditio contrahitur, simul atque de pretio convenerit, quamvis nondum pretium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit. *Instit.* L. III. tit. xxiv.

[13] Vel venditori, si ipse in morâ fuerit. Trever.

[14] *Digest.* L. XVIII. tit. ii.

[15] *Ibid.* tit. iii.

Cap. 15. neatur venditori restituere [16]; vel ut si res offeratur, venditor pretium teneatur restituere [17]; vel ut si emtor ultro sit iterum venditurus, prior venditor ad emendum præ cæteris admittatur: quod etiam dicitur jus προτιμήσεως [18]. Sic & frequens est, ut ex prædiis venditis aliquam sibi particulam, aut certum ejus usum *recipiat* venditor. Est quoque emtionis genus, quod vocant *per aversionem*, quando multæ res disparis pretii non sigillatim æstimatæ, sed conjunctim & velut confuse taxatæ emuntur. In eo modo venditionis, quæ vocatur *auctio*, res demum illi addicitur, qui ex pluribus licitantibus plurimum obtulerit. Est denique & genus emtionis, quo non certa res, sed probabilis tantum *spes* emitur; cui aleæ quid est admixtum, sic ut neque emtor, si spes fefellerit, neque venditor, si ea multum supra fuerit, queri debeat.

Locatio conductio, & quæ in ea observanda? c. vi.

X. *Locatio conductio* est, qua pro mercede alicui usus rei, aut opera addicitur [19]. In qua licet regulariter in antecessum de mercede soleat conveniri: tamen si quis citra definitam prius mercedem alteri operam aut usum suæ rei addixerit, censetur id expectare quantum

---

[16] *Cod.* L. IV. tit. liv.

[17] *Ibid.*

[18] Quod in linguâ vernaculâ vocamus, *The Refusal.* e, g. Qui fundum vendidit, ut eum certâ mercede conductum ipse habeat; vel si vendat, non alii sed sibi distrahat, vel simile aliquid paciscatur: ad complendum id quod pepigerant ex vendito agere poterit; *Digest.* L. XVIII. tit. i. l. 75.

com-

communis usus aut conductoris æquitas tulerit [20]. Circa hunc contractum observandum, si res locata plane perierit, ex eo tempore conductorem ad mercedem seu pensionem non amplius teneri. Quod si res locata certum ac definitum habeat usum; uti dominus eam præstare debet, quo ei usui sit idonea: ita si illa detrimenti quid ceperit, conductor de pensione detrahit, quantum usui rei decesserit. Sed si rei locatæ proventus sit incertus, & aliquid aleæ contineat; uti exuberans proventus conductoris lucro, ita malignus ejusdem damno est; nec stricto jure de pensione ob sterilitatem quidquam detrahendum; præsertim cum unius anni sterilitas alterius ubertate soleat pensari. Nisi casus, qui proventum interceperint, rariores fuerint, & de quorum alea in se suscipienda conductor non cogitasse præsumitur. Hos enim ad pensionem minuendam, aut remittendam valere utique æquum est. Cæterum uti qui rem aliquam alteri locavit, præstare tenetur, ut ipsa usui sit habilis, impensasque necessarias tolerare: ita conductor ad boni patrisfamilias modum eadem uti, & quæ ipsius culpa perdita fuerunt, restituere debet. Et qui opus faciendum conduxit, quod sua

Cap. 15.

19 Locatio & conductio proxima est emtioni & venditioni; iisdemque juris regulis consistit. *Instit.* L. III. tit. xxv,

20 Conductio tacito consensu fieri potest. Sic qui impleto tempore conductionis remansit in conductione, reconduxisse videbitur. *Digest.* L. XIX. tit. ii.

Cap. 15. culpa corruptum eſt, itidem præſtat. Qui momentaneam ſuam operam alicui locavit, ubi eam quocunque caſu præſtare impeditus fuerit, mercedem petere non poteſt. Sed qui continuam alicujus operam conduxit, ubi is morbo aut alio caſu per modicum tempus ad operam inutilis fuerit factus, inhumaniter ipſum vel plane ſua functione dejicit, vel de penſione quid eidem detrahit.

Mutuum, tum gratuitum, tum etiam uſura. c. vii.

XI. In contractu *mutui* datur alicui res fungibilis ea lege, ut is poſt intervallum idem genus reddat in eadem quantitate & qualitate. Vocantur autem res, quæ mutuo ſolent dari, *fungibiles*, ſeu quæ functionem in ſuo genere recipiunt, ideo, quia quodlibet ex iſto genere vicem alterius ita ſubire poteſt, ut qui ex eodem genere, eadem quantitate & qualitate receperit, idem quod dedit recepiſſe dicatur. Eædem quoque res pondere, numero, & menſura determinantur, & ſpecificantur: quo reſpectu etiam quantitates ſolent adpellari, ſpeciebus

---

[21] Neque obſtant leges divinæ, quæ *uſuras* prohibere videntur, apud *Exod.* xxii. 25. *Levit.* xxv. 36. *Deuter.* xxiii. 19. uti oſtendit BUDDEUS. *Theol. Mor.* P. II. c. iii. S. v. § 28. Nam ob terræ canaaniticæ conditionem, aliaſq; rationes Deo cauſæ juſtiſſimæ erant, cur *Iſraelitis* omnes cujuſcunque generis uſuras a *fratribus* accipere prohiberet. Sed generatim ad omnes homines hoc extendendum non eſſe patet ex *Deuter.* xxiii. 20. quod tamen non de præcepto, ſed de permiſſione tantùm eſt intelligendum; ab alienigenis ſcil: illis licitum eſſe uſuras accipere. Uſuræ vero intelliguntur, quæ charitati & æquitati naturali non repugnant: cum

ciebus contradistinctæ. Cæterum datur aliquid Cap. 15.
mutuo vel gratis, ita ut non plus, quam datum fuit, recipiatur; vel cum aliquo emolumento, quod *usuræ* vocabulo insignitur. Quæ nihil habet naturali juri repugnans, siquidem fuerit modica, & respondens lucro, quod alter ex pecunia, aut alia re credita facit; meoque damno, aut lucro cessanti, quod ex absentia rei meæ capio; & ubi non exigatur ab hominibus tenuibus, apud quos mutuum vicem eleemosynæ subit [21].

Societas, ejusque jura & conditiones, c. viii.

XII. In contractu *societatis* duo pluresve inter se pecuniam, res, aut operas conferunt eo fine, ut quod inde redit lucri inter singulos pro rata dividatur; & si quid damni capiatur id simili modo a singulis pro rata feratur. In qua societate, uti officii est fidem & industriam adhibere [22]; ita ex illa intempestive & in fraudem socii discedi non debet. Cæterum societate soluta, quilibet post detractum lucrum aut damnum, quantum intulit, recipit. Quod

---

cum nec peregrinum opprimere fas sit, ipsos *Israelitas* hujus officii admonente Deo, *Exod.* xxiii. 9. Sunt qui generale Salvatoris nostri præceptum, [δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες. *Luc.* vi. 35.] quasvis usuras prohibere existimant. Sed manifestò constat hic non de mutuo officioso, sed de eleemosynis sermonem esse; adeoque ad usuras compensatorias & negotiatorias hæc verba minimè trahenda esse.

22 " In rebus minoribus socium fallere turpissimum " est: neque injuriâ, propterea quod auxilium sibi se " putat adjunxisse, qui cum altero rem communicavit. " Tecti esse ad alienos possumus, intimi multa aper- " tiora

Cap. 15. Quod si autem unus pecuniam aut rem, alter operam contulerit, videndum est, quo modo facta sit collatio. Quando enim alterius opera tantum versatur circa istius pecuniam aut rem tractandam aut distrahendam, partes lucri ita definiuntur, prout sese pecuniæ aut rei emolumentum ad pretium operæ habet, & sors salva est, ac perit ei qui contulit. Quando autem opera impenditur ad meliorandam rem ab altero collatam, iste pro ratione meliorationis in ipsa quoque re partem habere intelligitur [23]. Ast ubi omnium bonorum societas est inita; singuli socii, uti quæ lucrantur fideliter conferre debent; ita contra ex communi massa pro ratione conditionis suæ singuli sustentandi. Soluta autem societate, divisio bonorum fit pro ratione eorum, quæ singuli in societatem initio intulerunt; non attendendo, per cujus

---

" tiora videant, necesse est; socium vero cavere qui " possumus? Quem etiam si metuimus, jus officii læ" dimus. Recte igitur majores eum, qui socium fe" fellisset, in virorum bonorum numero non putarunt " haberi oportere." *Pro. S. Roscio,* c. xl.

[23] " Conveniens est viri boni arbitrio, ut non utique " ex æquis partibus socii simus, veluti si alter plus " operæ, industriæ, pecuniæ in societatem collaturus " sit." *Digest.* L. XVII. tit ii. l. 6.

[24] Sic ex legibus quarundam civitatum omnis vis obligandi sponsionibus fortuitis detrahitur, uti inter mercatores Amstelodamenses (teste Ev. Ottone *in loc.*) & in Anglia, *actio* de lucro, quod aleâ quæsitum est, (nisi exiguum sit) irrita est. Romæ quidem & in aliis bene moratis civitatibus aleatores lucri faciendi causâ meritò infamiâ notati sunt. Vid. Cic. *Philipp.* ii. 23. *ad*

cujus bona societati lucrum aut damnum pro- Cap. 15.
venerit; nisi aliter sit conventum.

XIII. Dantur quoque complures *contractus qui aleam continent*. Quos inter referre possis *sponsiones*, quando eventus alicujus, nondum utrinque notorii, existentiam alter affirmat, alter negat, certo pretio utrinque deposito, quod illi cedat, cujus assertioni eventus congruere deprehensus fuerit. Huc pertinent omnia *ludorum* genera, in quibus aliquo pretio certatur. Inter quos tamen minus aleæ habent, qui certamen ingenii, dexteritatis, solertiæ aut roboris continent. In quibusdam ingenium & alea pari vigore sese exserit. In aliis denique alea prædominatur. Et rectorum civitatis fit despicere, quousque ex usu publico aut singulorum fit, ejusmodi contractus tolerari [24]. Huc spectat *lotaria* [25], quando plures de re, quam collatitia pecunia emunt, post sorte decer-

Sponsio, ludus fortuitus, olla fortunæ, assecuratio. c. ix.

---

ad Attic. i. 16. Diversæ de ludis, qui sortem supponunt, virorum doctorum sunt sententiæ. Sunt, qui eos omnes omnino damnant, inter quos censendus est cel. Buddeus. *Theol. Moral.* P. II. c. iii. S. v. § 26. Alii eos, qui recreationis saltem causâ instituuntur, haud illicitos esse judicant, si modo abusus absint. In horum censum veniunt Placette *des Jeux de hazard*, & *Barbeyrac in traitè du Jeu.* Me quidem judice, ludis uti (in quibus certamen est ingenii, vel fortunæ) animi recreandi gratiâ licet; sed (ut recte nos monet Cicero) "sicut somno & quietibus cæteris, tum cum "gravibus seriisque rebus satisfecerimus. — Et ludendi quidam est modus retinendus, ut ne nimis omnia "profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur." *De Offic.* I. xxix.

[25] Genus ludi, quod nostrates vocant, *Raffling*.

Cap. 15. decernunt, cui soli ea tota debeat cedere. Item *olla fortunæ* [26], quando dejecto in urnam certo tesserarum seu schedularum numero inscriptarum & inanium, pretio redimitur facultas easdem extrahendi, ita ut extrahens id accipiat, quod illarum inscriptio præ se fert. Hisce contractibus affinis est *assecuratio*, seu contractus periculi avertendi & præstandi, quo quis certa pecunia accepta in se suscipit & præstat pericula, quæ subituræ sunt merces in alia loca transportandæ ; ita ut si has interire contigerit, assecurator earundem pretium domino restituere teneatur.

Fideijussio contractui adjectai n securitatem. c. x.

XIV. Ad majorem firmitatem & securitatem contractibus frequenter solent adjici *fideijussiones* & *pignora*. In *fideijussione* alius homo, qui creditori idoneus judicatur, principalis debitoris obligationem velut in subsidium in se suscipit, ita ut nisi iste solvat, hic ipsius vices subeat: ut tamen quod erogavit, a principali debitori ipsi refundi debeat [27]. Etsi autem ad majorem summam fidejussor, quam debitor

[26] Linguâ vernaculâ, *Lottery*.

[27] " Solent autem alii pro aliis sese obligare triplicibus potissimùm in negotiis. 1. In obligationibus circa præstandas res & actiones pretio æstimabiles, maximè inter privatos. 2. In criminibus, quod reus sententiam in se latam sit subiturus ; qui proprio vocabulo vocantur *vades*. 3. In obligationibus publicis, quibus cavetur per sponsores & obsides." Puf. *De Jure N. & G.* L. V. c. x. § 9.

[28] Sic statuunt jurisconsulti: " Fidejussores ita obligari non possunt, ut plus debeant, quam debet is, pro " quo

debitor principalis teneri non possit; non tamen repugnat istum, quam hunc arctius teneri; quippe cum huic plus quam illi, fidei fuerit habitum [28]. Naturaliter tamen principalis debitor prius, quam fidejussor est appellandus, nisi hic istius obligationem plane in se receperit [29]; qui *expromissor* vocari solet. Quod si plures pro uno fidejusserint, pro rata duntaxat erunt singuli conveniendi; nisi forte quis eorum solvendo non sit, aut ejusdem conveniendi non detur facultas. Tunc enim reliqui hujus portione onerabuntur.

Cap. 15.

Itemque pignus datum, & assignata hypotheca. c. x. § 9. *seq.*

XV. Sæpe quoque solet creditori in securitatem crediti tradi aut assignari a debitore certa quæpiam res *Pignoris* aut *Hypothecæ* nomine, quousque istud fuerit exsolutum. Cujus finis est non solum, ut debitor ad solvendum urgeatur desiderio rei suæ recuperandæ: sed & ut in promtu sit, unde sibi solvatur. Inde regulariter & pignora tanti aut majoris esse solent, quam ipsum debitum. Cæterum res, quæ pignori opponuntur, sunt vel *fructuo-*

" quo obligantur. Nam eorum obligatio accessio est " principalis obligationis; nec plus in accessione potest esse, quam in principali re. At ex diverso ut " minus debeant, obligari possunt. Itaque si reus " decem aureos promiserit, fidejussor in quinque " recte obligatur; contrà verò obligari non potest. " Item si ille purè promiserit, fidejussor sub conditione promittere potest: contrà verò non potest. " *Instit.* L. III. tit. 21.

[29] Sed ex jure Romano potestas est creditori, relicto reo, eligendi fidejussores; nisi inter contrahentes aliud placitum

Cap. 15. *sæ*, vel *steriles*. Circa priores sæpe adjici solet pactum ἀντιχρήσεως [30], seu ut creditor loco usuræ fructus istius pignoris percipiat. Circa posteriores autem *lex commissoria*, ut nempe pignus cedat creditori, ubi intra certum tempus solutio non sit facta [31]. Id quod naturaliter iniquum non est, ubi pignus pluris non est, quam debitum, & usura intermedii temporis; aut si quod excedit, domino restituatur. Uti autem creditor pignus solutione facta debet restituere: ita interea non minorem, quam propriis rebus illi custodiam debet: & ubi pactum *antichreticum* non accesserit, sitque talis res, quæ usu atteratur, aut si debitoris ullo modo intersit, invito hoc eadem uti non potest. Differt hypotheca a pignore, quod hoc constituatur rei traditione; hæc autem, re non tradita, constat nuda assignatione rei imprimis immobilis, ex qua, solutione non facta, creditor suo credito potiri queat [32].

Contrahentium officia. XVI. CÆTERUM quænam contrahentium sunt officia, ex fine & natura horum contractuum liquido adparet.

---

placitum doceatur. *Cod.* L. VIII. tit. xli. Conf. PUF. *De Jure N. & G.* L. V. c. x.

[30] Ἀντίχρησις est mutuus pignoris usus pro credito. *Digest.* L. XX. tit. i.

[31] Cujus hanc rationem reddunt jurisconsulti quod in hoc casu quodammodo conditionalis sit venditio. *Digest.* ubi supra, l. 16. § 9.

[32] Hanc linguâ vernaculâ dicimus, *a Mortgage*; illud vero, *a Pawn*.

CAP.

CAP. XVI.

QUIBUS MODIS SOLVANTUR OBLIGATIONES QUÆ EX PACTIS ORIUNTUR.

I. INTER modos ſolvendi obligationes ex pactis oriundas, quibuſque adeo officia inde promanantia plane exſpirant, maxime naturalis eſt *expletio* aut ſolutio *ejus, de quo fuit conventum* [1]. Ubi licet regulariter is, qui debet, ſolvere teneatur: tamen ſi præſtatio fiat ab alio, nomine ejus, qui obligationem contraxit, hæc diſſolvitur: ſiquidem alias nihil interſit, abs quo expletio fiat [2]. Ita tamen ut qui pro altero animo non donandi ſolvit, ab hoc quod erogavit repetere queat. Solvendum præterea ei cui debetur, aut quem hic delegavit, ut ipſius nomine debitum recipiat. Et denique illud ipſum præſtandum, aut ſolvendum, de quo conventum fuit; non aliud ejus

Obligatio ex pacto ſolvitur expletione. c. xi. § 1.

[1] *Tollitur omnis obligatio ſolutione ejus quod debetur.* Inſtit. L. III. tit. xxx.

[2] Quis ſolvere debet, aut poteſt, & cui aut quid ſolvendum eſt, omnino ex naturâ conventionis judicandum eſt. "Si navem *à ſe* fabricandam quis promiſerit, vel inſulam ædificandam, foſſamve faciendam, & hoc ſpecialiter actum eſt, ut *ſuis* operis id perficiat: fidejuſſor ipſe ædificans vel foſſam fodiens, non conſentiente ſtipulatore, non liberabit reum." *Digeſt.* L. XLVI. tit. iii. l. 31. Ratio ibidem allata eſt, propterea

Cap. 16. ejus loco: integrum, non mutilum, non pars duntaxat, non divisum, loco itidem & tempore convento. Etsi sæpe humanitas creditoris aut impotentia debitoris subigat terminum solutionis prorogare, aut diffindere, vel etiam aliud pro alio accipere.

Aut compensatione, compendii causa: C. xi. § 5. II. Tolluntur quoque obligationes *compensatione*, quæ est crediti & debiti inter se contributio, seu quando debitor ideo liberatur, quia eidem ipse creditor rem ejusdem generis, & quæ tantidem est, vicissim liquido debet [3]. Cum enim imprimis in rebus fungibilibus tantundem sit idem; & vero ubi mutuum est debitum, mihi statim tantundem esset reddendum, atque ipse accepi: igitur declinandis inutilibus solutionibus commodissimum est utrumque suum retinendo solutione defungi. Patet autem compensari proprie posse res fungibiles ejusdem generis, quarum solvendarum tempus præsens est, aut præteriit; non alias res aut præstationes diversæ naturæ [4]: nisi

---

propterea quod inter artifices longa differentia est & ingenii & naturæ & doctrinæ & institutionis.

[3] "Justitia expletrix, quoties ad idem non potest "pertingere, fertur ad tantundem, quod est morali "æstimatione idem." Grot. *De Jure B. & P.* Lib. II. c. vii. § 2.

[4] Non tantum ejusdem generis, sed æquè bonæ reddi debent. Sic jubet jus Romanum: *Non licet debitori deteriorem rem, quæ ex eodem genere sit, reddere; veluti vinum novum pro vetere.* Digest. L. XII. tit. i.

[5] "Acceptilatio est imaginaria solutio. Quod enim "ex verborum obligatione Titio debetur, si id velit "Titius remittere, poterit sic fieri, ut patiatur debi-"torem

nisi forte illæ utrinque in sui æstimationem, seu in pecuniam resolvantur.

III. TOLLITUR quoque obligatio *condonatione* seu remissione ejus, cui quid debebatur, & cujus intereſt obligationem fuiſſe expletam. Ea ſolet fieri vel expreſſe per adhibita ſigna conſenſum teſtantia, puta, data acceptilatione[5], redditis aut abolitis chirographis; vel tacite, ſi quis ipſe impediat, aut in cauſa ſit, quo minus, quod ſibi debetur, poſſit præſtari[6].

Aut condonatione, ſeu expreſſa, ſeu tacita:

IV. SOLENT quoque ſolvi obligationes, quæ utriuſque partis præſtatione conſtant, re adhuc integra, *Mutuo diſſenſu*; niſi leges poſitivæ id prohibuerint[7]. Ubi autem ab altera parte jam quid ſit præſtitum, accedat oportet vel hujus condonatio, vel ut alia ratione id ſarciatur[8].

Aut, re adhuc integra, mutuo diſſenſu.

V. PRÆTEREA non tam ſolvitur, quam *abrumpitur* obligatio, alterius partis *perfidia*. Quando

Abrumpitur obligatio alterius perfidia. c. xi. § 9.

"torem hæc verba dicere: *Quod ego tibi promiſi, habeſne acceptum?* Et Titius reſpondeat, *Habeo.*"

6 Exempli cauſâ: "Si cum aliquo ita mihi convenerit, quod ipſum ſim admoniturus, ubi opera erit obeunda, admonitione à me omiſſâ iſtam cenſebor remiſiſſe. Ubi etiam quando alium ejuſdem vices obiturum ſubſtituero." PUFEND. *De Jure N. & G.* L. V. c. xi. § 7.

7 Ut in contractibus matrimonialibus, ſi modo non detur conſummatio.

8 Eæ obligationes, quæ contrahuntur conſenſu, contrariâ voluntate diſſolvuntur. Nam ſi Titius & Seius

inter

Cap. 16. Quando enim unus non præstat, de quo est conventum, neque alter tenetur præstare, quod intuitu istius præstationis recipit [9]. Nam capita præstandorum in pactis priora posterioribus insunt per modum conditionis, quasi ita dictum foret; Præstabo, si tu præstiteris prius.

Exspirat, mutato statu in quo fundatur; c.xi. § 10. VI. EXSPIRANT quoque obligationes, quando *statum*, in quo eæ tum unice fundabantur, *mutaverit* vel ille, qui præstare, vel is, cui præstari debebat [10].

Aut lapso tempore, à quo suspensa fuit; c.xi. § 11. VII. IPSO *tempore* exspirant obligationes, quarum duratio a puncto aliquo temporis suspensa fuit; nisi expressa aut tacita partium conventione illa prorogata fuerit. Necessum est tamen, ut intra illud tempus facultas exigendi obligationem exstiterit [11].

Morte quoque, nisi obstet peculiaris ratio. c. xi. § 11. VIII. *Morte* denique solvuntur obligationes in persona alicujus radicatæ. Subjecto quippe

---

inter se consenserint, ut fundum Tusculanum emptum Seius haberet centum aureis; deinde re nondum secutâ, id est, neque pretio soluto neque fundo tradito, placuerit inter eos, ut discederetur ab eâ emptione & venditione, invicem liberantur. *Instit.* L. III. tit, xxx. § 4. Sed non poterimus eâdem ratione uti post pretium solutum emptione repetitâ, cum post pretium solutum infectam emptionem facere non possumus. *Digest.* Lib. XVIII. tit. 5.

9 Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat. *Decret.* L. VI. tit. ult.

10 Exempla sunt in manumissis, emancipatis, tutoribus, &c. qui depositâ conditione, vel munere pristino, ad specialia non ampliùs obligantur. Conf. *Digest.* L. XLVI. tit. iii,

sublato,

ſublato, accidentia quoque extingui neceſſum eſt. Sæpe tamen in ſuperſtitibus defunctorum obligatio continuatur. Idque vel quia ſuperſtes ex officio pietatis, aut alias ob rationes defuncti obligationes explendas in ſe ſuſcepit; vel quia ex defuncti bonis obligationi erat ſatisfaciendum, quæ cum iſto onere in hæredem tranſierunt.

IX. Per *delegationem* ſubſtituit quis creditori ſuo conſentienti debitorem ſuum, ut hic loco ipſius debitum ſuum exſolvat [12]. Ubi creditoris quidem conſenſus requiritur, non autem tertii iſtius debitoris, quem etiam ignarum & invitum alteri volenti delegare poſſum [13]. Nam nihil intereſt, utri quis ſolvat: multum autem, a quo quis debitum exigat [14].

Delegatio per ſubſtitutum debitorem quæ? c. xi. § 13.

C A P.

[11] Hoc autem non fit naturaliter, ſed ex jure civili. Tempus nihil agit, niſi in ipſâ conventione expreſſe ſtipulatur: ut ſi hæc expreſſa ſit conditio: *niſi intra triennium repetes, debitum non ſolvam.* Sic moris eſt, ut fidejuſſor ad certum duntaxat tempus ſeſe obliget; eo nimirum fine, ut maturè, quamdiu adhuc ſolvendo eſt, debitorem creditor urgeret; ne in infinitum iſte obſtrictus hæreat.

[12] Delegare eſt vice ſuâ alium reum dare creditori, vel cui juſſerit. *Digeſt.* L. XLVI. tit. ii. l. ii.

[13] Delegatio debiti, niſi conſentiente & ſtipulante promittente debitore, jure perfici non poteſt. *Cod.* L. VIII. tit. xlii.

[14] Hiſce modis obligationes ſolvendi duos alios addidit jus Romanum, *Confuſionem* ſc. & *Novationem.* 1. Additio hæreditatis nonnunquam jure *confundit* obligationem; veluti ſi creditor debitoris vel contra debitor creditoris adierit hæreditatem. *Digeſt.* L. XLVI.

 tit.

CAP. XVII.

De Interpretatione.

Officio servit recta verborum interpretatio. L.v.c. 12. I. ITA quidem est, ut neque in illis, quæ imperio injunguntur, quis ulterius obligetur, quam hic voluit; neque ad quæ quis ultro sese adstringit, ulterius teneatur, quam ipse voluit. Quia tamen de voluntate hominis alter homo judicare non potest, nisi ex actibus & signis in sensus incurrentibus; inde demum *in id quilibet obligari in foro humano censetur, quod recta signorum interpretatio suggeret* [1]. Unde tam ad leges quam ad pacta rite intelligenda, & exinde officio explendo plurimum prodest *regulas bonæ interpretationis circa verba* potissimum, tanquam communissimum signum, constitui [a].

Verba popularia accipienda populari usu. c. xii. § 3. II. De *verbis popularibus* hæc est regula: Verba regulariter intelligenda sunt in proprio suo & famoso significatu, quem ipsis imposuit non tam proprietas aut analogia grammatica

tit.iii.L.95. 2. *Novatio* est prioris debiti in aliam obligationem, vel civilem vel naturalem, transfusio atque translatio: hoc est cum ex præcedenti causâ ita nova constituitur, ut prior perimatur. Novatio enim à novo nomen accepit, & à novâ obligatione. *Digest.* L. XLVI. tit. ii.

aut

aut derivationis conformitas, quam popularis usus; Cap. 17.

Quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi[3].

III. *Vocabula artium* explicanda sunt secundum definitiones prudentum cujusque artis. Quod si vocabula artium a diversis diversimode definiantur, ad lites præscindendas facit, popularibus verbis exprimere, quid per eas voces intelligamus. *Vocabula artium juxta definitiones.* c. xii. § 4.

IV. *Conjecturis* autem ad eruendum genuinum sensum opus est, si vel verba simplicia, aut verborum complexio sint *ambigua*; aut si partes quædam orationis sibi invicem *videantur repugnare*, ut tamen dextra explicatione adhibita conciliari invicem possint. Nam ubi certa & manifesta est repugnantia, posterius derogabit prioribus [4]. *Conjecturæ locus in ambiguis aut pugnantibus.* c. xii. § 6.

V. Conjecturæ voluntatis, rectique sensus in sermone ambiguo aut intricato petuntur potissimum *ex substrata materia*, *ex effectu*, & *conjunctis*. Circa *materiam* hæc est regula; verba regulariter sunt intelligenda secundum substratam materiam. Nam semper illi, qui locutus est, materia, de qua sermo institutus *Conjectura formanda ex subjecta materia;* c. xii. § 7.

[1] Valere etiam hanc regulam coram tribunali divino decernit Barbeyrac.

[2] Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. xvi.

[3] Horat. *Ars Poet.* v. 73. De regulis interpretandi vid. Clerici *Art. Critic.* P. II.

[4] *Ubi duæ contrariæ leges sunt, semper antiquæ abrogat nova.* Liv. ix. 34.

Cap. 17. est, ob oculos versari præsumitur; ideoque semper ad eandem sententia verborum adtemperanda [5].

Aut ex effectu & consequentibus; c. xii. § 8. VI. De *effectu & consequentibus* hæc est regula: Ubi verba crude & simpliciter accepta vel nullum, vel absurdum aliquem effectum post se essent tractura, a receptiori sensu paulisper deflectendum [6], quatenus nullitatis aut absurditatis vitandæ necessitas requirit [7].

Aut ex conjunctis, vel loco, vel origine. c. xii. § 9. VII. Ex *conjunctis* validissimæ sumuntur conjecturæ; quia regulariter quilibet sibi constare præsumitur. *Conjuncta* sunt vel *loco*, vel *tantum origine*. De prioribus hæc est regula: Si sensus in ejusdem sermonis loco aliquo plane & perspicue sit expressus, obscuriores locutiones ex illis planis sunt interpretandæ. Cui vicina est altera: In omni sermone interpretando accurate ad antecedentia & consequentia est attendendum, quibus interjecta attemperari & respondere præsumuntur. De posterioribus autem ista habetur regula: Unius & ejusdem hominis obscurum dictum interpretandum est ex ipsius

5 " Sic vox diei, si triginta dierum pactæ sint induciæ, non debet de diebus naturalibus, sed civilibus intelligi: id enim materiæ congruit. " Grotius, *ubi supra*. § 5.

6 Sic Bononiæ lege sancitum est, ne quis alteri sanguinem in plateâ effundat: iniquum tamen esset tonsorem, qui venam in plateâ secuit, criminis reum postulare. Barbeyrac.

7 In ambigua voce legis ea potiùs accipienda est significatio, quæ vitio caret; præsertim cùm etiam voluntas legis ex hoc colligi possit. *Digest.* L. I. tit. iii. Cujus

ipsius dictis clarioribus, licet alio tempore & loco prolatis; nisi manifeste adpareat, ipsum sententiam mutasse [8]. Cap. 17.

VIII. Plurimum quoque prodest ad verum sensum investigandum, in legibus cum primis, inspicere *rationem legis*, seu causam & respectum illum, qui ad legem ferendam latorem moverit; imprimis ubi constat, unicam eam legis rationem fuisse. De qua hæc regula est: Illa interpretatio legis est sequenda, quæ rationi legis congruit; & contra rejicienda, quæ ab eadem discrepat [9]. Item, cessante ratione legis unica & adæquata, cessat ipsa lex. Verum ubi plures ejusdem legis fuerint rationes, non statim una cessante tota lex cessat; cum reliquæ rationes ad ejus vim sustinendam sufficere possint. Sæpe quoque sola voluntas legislatoris sufficit, utut ratio legis subjectos lateat.

Sensus legis eruitur ex ratione legis. c. xii §10.

IX. Observandum præterea est, multa vocabula habere plures una *significationes*, alteram

Favorabilia latius, odiosa strictius interpretanda. c. xii. §12.

Cujus hanc rationem attulit Cicero: *Nullam esse legem, quæ aliquam rem inutilem aut iniquam fieri velit.* De Invent. II. § 138. Et ibid. I. § 68. *Omnes leges ad commodum reip. referre oportet, & eas ex utilitate communi, non ex scriptione, quæ in literis est, interpretari.*

[8] Optimam interpretandi regulam nobis præbuit Cicero: *Quâ in sententiâ scriptor fuerit, ex cæteris ejus scriptis, factis, dictis, animo atque vitâ ejus sumi oportebit.* De Inv. II. § 117.

[9] Exemplo sit illud, quod profert auctor *ad Herenn.* I. §19. " Sit lex quæ jubeat eos, qui propter tempesta-

Cap. 17. teram *laxiorem*, alteram *strictiorem*. Sed & aliam *materiam* esse *favorabilem*, aliam *odiosam*, aliam *mixtam*. *Favorabile* est, quod utriusque partis æqualem facit conditionem, quod communem utilitatem spectat, quod actus quoslibet conservat, quod pacem promovet, &c. *Odiosum* est, quod unam duntaxat partem, aut unam magis quam alteram gravat, quod pœnam in se continet, quod actum reddit irritum, aut priora immutat, quod bellum promovet. *Mixtum* est, v. g. si quod priora quidem immutet, sed pacis tamen causa. De istis hæc est regula: Favorabilia latius, odiosa strictius interpretanda [10].

Interpretatio quandoque extendenda venit; c. xii. § 17. X. Dantur quoque conjecturæ aliunde quam ex verbis ortæ, quæ efficiunt, ut *interpretatio* quandoque sit extendenda, quandoque *coarctanda*. Etsi facilius dentur rationes, quæ suadent interpretationem coarctari, quam ex-

" tem navim reliquerint, omnia perdere, eorum navim
" cæteraque esse, si navis conservata sit, qui remanse-
" rint in navi. Magnitudine tempestatis omnes per-
" territi navim reliquerunt, scapham conscenderunt,
" præter unum ægrotum; is propter morbum exire &
" fugere non potuit. Casu & fortuito navis in portum
" incolumis delata est, illam ægrotus possidet; navim
" petit ille, cujus fuerat."

[10] Hanc distinctionem à Grotio transtulit noster; cum autem non adeo certe definiri potest, quænam sunt *favorabilia*, quænam *odiosa*; hanc regulam parùm utilem esse, nec satis certo fundamento niti, rectè nos monent Titius ad loc. & Barbeyracc. ad Grot. *De Jure. B. & P.* L. II. c. xvi. § 10.

tendi

tendi. Potest igitur lex ad casum, qui in lege non exprimitur, extendi, si constet, rationem, quæ in illum casum quadrat, unicam fuisse, quæ legislatorem moverit, eamque ab ipso consideratam fuisse in sua generalitate, & ut æquipollentes quoque casus complecteretur. Sed & extendi lex debet ad illos casus, qui in fraudem legis ab hominibus prave solertibus inveniuntur [11]. Cap. 17.

Sæpe restringenda ex originario defectu voluntatis; c. xii. § 21.

XI. Ut autem verba generaliter posita *restringantur*, contingit aut ex *defectu voluntatis originario*, aut ex *casus emergentis cum voluntate repugnantia*. Quod aliquis ab initio quid noluisse præsumitur, intelligitur, I. Ex *absurdo*, quod alias inde sequeretur; id quod nemo sanus voluisse judicatur. Inde verba generalia sunt restringenda, in quantum alias absurditas inde erat emersura [12]. II. Ex *defectu rationis*, quæ unice ipsius voluntatem movit

[11] Cujus rationem sic exposuit Quintilianus; "Nulla tanta providentia potuit esse eorum, qui leges "componebant, ut omnes species criminum complec- "terentur. Nam & semper caventes nequitia vicisset; "& jus ita multiplex atque diffusum esset, ut pro in- "certo haberetur ignotum. Fecerunt ergo ut rerum "genera complecterentur. Et spectarent ipsam æqui- "tatem. Muita ergo inveniuntur frequenter, quæ "legum verbis non teneantur, sed ipsâ vi & potestate "teneantur." *Declam.* 331.

[12] Exemplo sit, quod de *Aristide* narrant, qui denarium promiserat ei, qui veritatem ipsi dicturus sit. Cui sophista dicebat; *tu promissum denarium mihi non dabis.* Dubitatur, quid *Aristide* faciendum. Si dat dedit ei, qui veritatem non dixit; si non dat, veritatem

Cap. 17. movit. Inde sub generali locutione non comprehenduntur casus, in quos ratio legis unica & adæquata non quadrat [13]. III. Ex *defectu materiæ*, de qua semper is, qui loquitur, cogitasse censetur. Inde & ad eandem verba generalia semper sunt adtemperanda [14].

Aut ex casu emergente, adversa voluntati. c. xii. §22.

XII. QUOD autem casus, qui postea emergit, cum voluntate ejus, qui aliquid constituit, pugnet; id deprehenditur vel *ex naturali ratione*, vel *ex aliquo signo voluntatis*. Prius contingit, si ab æquitate foret discedendum, nisi certi casus ab generali lege eximerentur. Est quippe *æquitas* correctio ejus, in quo lex deficit ob universalitatem. Quia enim non omnes casus prævideri, nec ob infinitam varietatem exprimi possunt; ideo quando generalia verba ad speciales casus sunt adplicanda, eximiendi sunt illi casus, quos exemturus fuerat ipse legislator, si super tali casu consultus

---

tem iste dixit, & *Aristides* promissum non servat. PUF. *De Jure N. & G.* L. V. c. xii. § 16.

[13] Sic jure Romano statutum est, patronum *non* posse adigere jurejurando libertum, ne uxorem ducat, aut liberos tollat: adjicitur vero; *quamvis nulla persona lege excipiatur, tamen intelligendum est de his legem sentire, qui liberos tollere possunt. Itaque si castratum libertum jurejurando quis adegerit; dicendum est non puniri patronum hac lege.* Digest. L. XXXV. tit. xiv.

[14] v. g. Si feudum concessum sit alicui pro se & descendentibus masculis, non intelliguntur nepotes ex filiâ; quia natura ejusmodi feudi repugnat, quæ fœminas & descendentes ex illis planè excludit. PUF. *De Jure*, &c. ibid.

fuisset

fuiſſet. Ad iſthanc tamen æquitatem decurrere non licet, niſi ſufficientia indicia ſubigant. Inter quæ certiſſimum eſt, ſi adpareat, violatum iri legem naturalem, ubi preſſe quis literam legis humanæ ſequi velit [15]. Proximum ad hoc, ſi non quidem illicitum ſit verba legis ſequi; ſed tamen rem humaniter æſtimanti id nimis videatur grave & intolerabile, ſive in univerſum omnibus hominibus, ſive certis perſonis: aut ſi finis tanti non videatur, qui tam care ſit redimendus [16]. Cap. 17.

Quæ lex ſi utrique nequit ſatisfieri, præferenda? c.xii. §23.

XIII. Denique & ab univerſali locutione facienda eſt exceptio, ſi verba alio loco poſita cum præſenti lege aut pacto non quidem directe pugnant; ſed propter certam temporis circumſtantiam heic & nunc ſimul obſervari nequeunt. Heic igitur certæ ſunt obſervandæ regulæ, ut intelligi poſſit, *quænam lex in eo caſu, ubi utrique ſimul ſatisfieri nequit,*

---

[15] Hìc notavit Titius auctorem, dum nimis ſecurè Grotium ſequitur, in modo docendi varie impingere. 1. Facit duas adhibendæ reſtrictionis cauſas, cum ſaltem unica ſit. 2. Tria adducit interpretandi fundamenta cum tamen plura dentur. 3. Eandem rem ſub novis ſaltem, iiſque ambiguis repetit. 4. Æquitatem cum interpretatione reſtrictivâ vel confundit, vel illam huic ſoli adjungit. Porro idem exiſtimat totam rem ſic breviter & perſpicuè proponi poſſe. Reſtrictione opus eſt, quoties deficit voluntas; defectum autem illum ex conſuetis interpretandi fundamentis (inter quæ tria hæc utique occurrunt) colligimus.

[16] Vid. quæ ſupra notavimus de æquitate ad cap. ii. § 9, 10.

præ-

Cap. 17. *præferri debeat*[17]. I. Id quod permittitur tantum, cedit ei, quod jubetur[18]. II. Quod faciendum est certo tempore, præfertur ei, quod quovis tempore fieri potest[19]. III. Affirmativum præceptum cedit negativo; seu quando præcepto affirmativo satisfieri nequit, nisi violato præcepto negativo, istius impletio erit in præsens omittenda[20]. V. Inter conventiones, legesque cætera æquales, peculiaris præfertur generali[21]. V. Inter quas præstationes, certo temporis articulo invicem collisas; quarum una causas magis honestas aut utiles, quam altera habet, hanc isti cedere par fuerit[22]. VI. Injuratum pactum cedit

---

[17] Has regulas transtulit auctor ex Grotio *de Æquitate*; cap. i.

[18] *Plus valet sanctio permissione.* Auct. *ad Herenn.* L. II. c. x. Cujus hanc rationem attulit Cicero. *Id quod imperatur necessarium est; illud, quod permittitur, voluntarium est.* De Invent. II. § 145.

[19] *Deinde ex lege utrum statim fieri necesse sit: utrum habeat aliquam moram & sustentationem; nam quod statim faciendum est, perfici prius oportet.* Ibid.

[20] *Deinde utra lex jubeat, utra vetet. Nam sæpe ea, quæ vetat, quasi exceptione quadam corrigere videtur illam quæ jubet.* Ibid.

[21] *Deinde utra lex de genere omni, utra de parte quadam; utra communiter in plures, utra in aliquam certam rem scripta videatur. Nam quæ in partem aliquam, & quæ in certam quandam rem scripta est, promptius ad causam accedere videtur & ad judicium magis pertinere.* Ibid.

[22] *Leges oportet contendere considerando, utra lex ad majores, hoc est, ad utiliores, ad honestiores ac magis necessarias res pertineat. Ex quo conficitur, ut si leges duæ aut*

jurato, quando utrique simul satisfieri nequit. Cap. 17.
VII. Obligationi perfectæ cedit imperfecta.
VIII. Lex beneficentiæ, cæteris paribus, cedit legi gratitudinis [23].

---

aut si plures, aut quotquot erunt, conservari non possint, quia discrepent inter se; ea maxime conservanda putetur, quæ ad maximas res pertinere videatur. Ibid.

[23] De hac re legas omnino cl. BUDDEI exercitationem juris naturalis de comparatione obligationum, quæ ex diversis hominum statibus oriuntur, in *Select. Jure N. & G.* p. 677.



SAM.

SAM. PUFENDORFII
DE
OFFICIO
HOMINIS & CIVIS.

LIBER SECUNDUS.
De Officio Civis.

CAPUT I.
De Statu Hominum Naturali.

Officia ex diverso statu orienda.

I. PROXIMUM est [1], ut inquiramus de illis *officiis* quæ homini obeunda incumbunt *ex diverso statu*, in quo in vita communi degere deprehenditur. Vocamus autem *statum* in genere illam conditionem, in qua homines constituti intelliguntur ad certum genus actionum obeundum. Quem etiam peculiaria fere jura comitantur.

L.II. c. ii.

II.

[1] Hoc caput est quasi ἀνακεφαλαίωσις eorum, quæ supra dicta sunt in Lib. I. c. iii. ad c. vii. inclusivè.

[a] Quâ ratione officia triplici modo dividuntur secundum objecta. 1. Officia erga Deum. 2. Erga nosme-

II. *Status* hominum eſt vel *naturalis*, vel *adventitius*. *Naturalis triplici modo* conſiderari, ſolo prælucente rationis lumine, poteſt; vel in ordine *ad Deum creatorem*, vel in ordine *ſingulorum hominum ad ſeipſos*, vel in ordine *ad alios homines* [2]. *Status naturalis triplex conſideratio;*

III. *Priori modo* conſideratus naturalis ſtatus hominis eſt illa conditio, in qua a creatore eſt conſtitutus, dum eximium præ cæteris animal eundem eſſe voluit. Ex quo ſtatu fluit, quod homo debeat autorem ſui agnoſcere, colere, & ipſius opera admirari; ac diverſa plane ratione a brutis vitam ſuam exigere. Inde & ei ſtatui *opponitur vita & conditio brutorum* [3]. *Vel in ordine ad Deum creatorem;*

IV. *Altero modo* ſtatum hominis naturalem conſiderare poſſumus, ſi animo fingamus, qualis ejuſdem conditio futura eſſet, ſi quilibet ſibi ſoli relictus foret ſine ullo adminiculo ab aliis hominibus accedente; & quidem poſita illa naturæ humanæ conditione, qualis jam deprehenditur. Quæ ſane miſerior quam cujuſvis belluæ videtur futura fuiſſe, ſi expendatur, quanta cum debilitate in hunc mundum jam egrediatur homo, periturus ſtatim ſine aliorum auxilio: & quam rudem ſit vitam idem exacturus, ſi nihil aliud cuique adeſſet, quam quod propriis viribus ingenioque debeat. Quin potius quod ex tanta imbecillitate adoleſcere potuimus, quod infinitis jam commoditatibus *Vel in ordine ſingulorum ad ſeipſos;*

---

noſmetipſos. 3. Erga alios homines. De quibus ſupra diſſeritur. L. I. c. iv. v. vi.

[3] Conf. L. I. c. iv.

fruimur

Cap. I. fruimur, quod animum corpusque in nostrum & aliorum usum excolimus; id omne ab auxilio aliorum hominum provenit. Et in hoc sensu status naturalis *opponitur vitæ per industriam hominum excultæ*[4].

Vel deniq; in ordine ad alios homines. V. *Tertio modo* statum hominis naturalem consideramus, prout intelliguntur homines sese invicem habere ex nuda illa & communi cognatione, quæ ex similitudine naturæ resultat, ante pactum aliquod aut factum humanum, quo peculiariter unus alteri redditus fuit obstrictus. Quo sensu in statu naturali invicem vivere dicuntur, qui neque communem habent dominum, & quorum unus alteri non est subjectus, quique inter se neque beneficio neque injuria sunt cogniti[5]. Quo sensu status naturalis *opponitur statui civili.*

Hic spectari potest vel fictus vel verus. VI. Hujus porro naturalis status indoles considerari potest vel prout *per fictionem* repræsentatur, vel *prout revera* existit. Prius fit, si vel concipiamus ab initio aliquam multitudinem hominum simul extitisse sine ulla unius ab altero dependentia; uti de Cadmæis fratribus in fabulis est: vel si fingamus totum genus

[4] Conf. L. I. c. iii:

[5] Quo statu omnes utuntur, nisi consensu suo expresso vel tacito pactum cum aliis inierunt, & communione societatis cum hominibus conjunguntur. Hunc locum contra adversarios suos defendit noster in *Eride Scandica.* p. 185.

[6] Recte hunc statum vocat *fictitium,* quem tamen *realem* esse existimabant veteres philosophi; necnon & è recentioribus Hobbesius. *(De Cive,* c. viii.) Vid.

genus humanum jam ita diſſolutum eſſe, ut quilibet ſeipſum ſeorſum gubernaret, & nemo ulli alio eſſet vinculo conjunctus, quam ſimilitudine naturæ [6]. Sed ſtatus naturalis, qui revera exiſtit, id habet, ut quis cum aliquibus hominibus peculiari ſocietate jungatur; cum reliquis autem omnibus nihil præter ſpeciem humanam obtineat commune, nec alio nomine quidquam ipſis debeat. Qualis ſtatus jam inter diverſas civitates ac cives diverſarum rerum publicarum exiſtit, & quondam inter patres familias ſegreges obtinebat. Cap. I.

Fictus paulatim revera obtinere cœpit.

VII. Manifestum quippe eſt univerſum genus humanum nunquam ſimul & ſemel in ſtatu naturali extitiſſe. Qui enim ex protoplaſtis geniti erant, ex quibus quidquid eſt mortalium originem ducit, prout divinæ tradunt Scripturæ; eidem poteſtati *patriæ* ſubjecti erant [7]. Neque tamen eo minus poſtea ſtatus hicce naturalis inter quoſdam homines emerſit. Nam primi mortalium, ut orbem adhuc vaſtum implerent, & laxiorem ſibi ſuiſque pecoribus habitationem quærerent, relictis laribus paternis in diverſa diſceſſerunt, ſuam-

Vid. ſupra, L. I. c. iii. § 3. not. 5. Et plura ejuſmodi in opere majori. L. II. c. ii. § 2. Nos autem qui lumine revelationis gaudemus, certiores de primævo hominum ſtatu facti ſumus. Conf. *Erid. Scand.* p. 301, 362.

7 Civile imperium revera originem ſuam à paterno duxiſſe admodum veriſimile videtur, & vetuſtiſſimæ hiſtoriæ tum ſacræ tum profanæ congruum. Vid. *Hiſtor. Univ.* L. I. c. ii. § 7. Vol. 1. p. 171.

Cap. I. que sibi fere singuli mares familiam constituerunt. Inter quorum posteros itidem sese dispergentes, peculiare cognationis vinculum, & ortus inde affectus paulatim exolevit, & commune tantum illud, ex similitudine naturæ resultans, remansit. Donec postea, cum genus humanum insigniter fuisset multiplicatum, deprehensis vitæ segregis incommodis, paulatim proximi quique cohabitantes in civitates coivere, minores primo, dein majores, ex pluribus minoribus ultro aut per vim coalitis. Quas inter civitates, utpote nullo alio, quam communis humanitatis vinculo junctas, status naturalis utique adhuc existit.

Estque status libertatis & æqualitatis; VIII. Eorum autem, qui in statu naturali vivunt, hoc est præcipuum *jus*, ut nemini præterquam Deo sint subjecti atque obnoxii. Quo respectu etiam ille status nomine *libertatis naturalis* venit; per quam quilibet citra antegressum factum humanum, sui juris potestatisque, ac nullius hominis imperio subjectus esse intelligitur. Quo ipso etiam quivis cuivis alteri, cui neque ipse subjectus est, neque eundem sibi subjectum habet, *æqualis* censetur [a]. Cum porro homini lumen rationis sit insitum, quo prælucente actiones suas temperare possit; consequitur, quemlibet, qui in naturali libertate vivit, in regendis suis actionibus a nullo mortalium dependere; sed ex proprio judicio atque arbitrio omnia, quæ sanæ rationi

[a] De naturali hominum æqualitate, vid. supra. L. I. c. vii.

ni congruunt, agendi habere poteſtatem. Et cum homo ob communem inclinationem, omnibus animantibus inſitam, non poſſit non ad conſervationem ſui corporis vitæque, nec non ad diſpellenda ea, quæ eandem deſtruere videntur, omnibus modis incumbere, mediaque ad eum finem adhibere; & vero in ſtatu naturali nemo habeat alterum hominem ſuperiorem, cui voluntatem, judiciumque ſuum ſubmiſerit: inde in eo ſtatu quilibet ex proprio judicio definit de aptitudine mediorum, an ad conſervationem ſui conducant, necne. Nam ſi vel maxime alterius conſilium audiat, penes ipſum tamen eſt, an velit alienum conſilium probare vel non. Ut tamen iſthæc propria ſui gubernatio recte ſeſe habeat, requiritur, ut ea juxta dictamen rectæ rationis legemque naturalem ſuſcipiatur. Cap. 1.

Graviſſimis interim incommodis expoſitus.

IX. Status naturalis, utut libertatis nomine, & immunitatis ab omni ſubjectione inſigniter blandiatur; idem tamen antequam hominibus in civitates fuerit conceſſum, pluṙima habet adjuncta *incommoda*; ſive fingamus omnes & ſingulos in eo exiſtere, ſive conſideremus conditionem patrum familias ſegregum. Nam ſi animo concipias hominem etiam adulta ætate in hoc mundo deſtitutum ſolum, & ſine omnibus commodis & adminiculis, quibus vitam cultiorem & molliorem reddidit ſolertia hominum; videbis animal nudum, mutum, inops, famem radicibus & herbis, ſitim obvia aqua, injurias aeris antris utcunque diſpellens, feris beſtiis expoſitum, & ad cujuſvis

Cap. i. occurſum pavidum. Paulo cultior vita potuit eſſe inter eos, qui in familiis ſegregibus degebant: Sed quæ tamen cum vita civili nullo modo comparari poterat; non tam ob indigentiam, quam inter coercitas cupiditates familia ſic ſatis videtur poſſe diſpellere; quam quod ſecuritati parum ibi ſit conſultum. Et ut in pauca rem conferamus, in ſtatu naturali quiſque propriis tantum viribus protegitur; in civitate omnium: ibi fructus ab induſtria ſua nemini certus; heic omnibus; ibi imperium affectuum, bellum, metus, paupertas, fœditas, ſolitudo, barbaries, ignorantia, feritas [9]; heic imperium rationis, pax, ſecuritas, divitiæ, ornatus, ſocietas, elegantia, ſcientia, benevolentia [10].

Controverſiæ in eo ortæ quomodo dirimendæ? L. V. c. xiii.

X. In ſtatu porro naturali, ſi vel quis alteri ultro non præſtat, quæ ex pacto debet, aut ſi injuriam intulit, aut ſi alias controverſiæ quid oriatur; nemo eſt, qui pro imperio alterum ad præſtandum debitum, reparandamve injuriam adigere, litemque decidere poſſit; uti in civitatibus, ubi judicis communis auxilium implorare datur. Quia tamen *non ob* quamvis cauſam natura in bellum ruere permittit, etiam ubi quis de juſtitia ſuæ cauſæ ampliter ſit perſuaſus: igitur prius tentandum, num

9 Hic paulò nimium cauſæ ſuæ inſervit auctor, Hobbesii veſtigiis inhærens; cujus verba hic appoſuit ex cap. 10. *de Cive*, § 1. Vid. Barbeyrac. ad opus majus. L. II. c. ii. § 2. & Titii obſervat. 460.

10 Vid. ſupra, L. I. c. iii. § 3.

11 "Cum ſint duo genera decertandi, unum per diſ- "ceptationem, alterum per vim; cumque illud pro- "prium

num molliori via res possit componi, disceptatione scilicet partim amica [11], & puro (non conditionato) compromisso [12], seu *provocatione ad arbitros*. Qui arbitri æquos sese utrique parti gerere debent, & in ferenda sententia nihil odio aut gratiæ dare, sed unice merita causæ respicere. Quam ob rationem etiam non solet quis capi arbiter in ea causa, in qua ipsi commodi, vel gloriæ peculiaris spes major adparet ex victoria unius partis, quam alterius; adeoque ubi ipsius interest alterum quocunque modo causam obtinere. Hinc & nullum pactum aut promissum intercedere debet inter arbitrum & partes, cujus vi pronunciare in gratiam alterius teneatur. Quod si arbiter neque ex communi partium confessione, neque ex certis instrumentis, aut indubiis rationibus & signis, quid in facto sit cognoscere valeat, ex effatis *testium* id erit cognoscendum. Quos licet ad verum dicendum lex naturalis, & plerumque juramenti religio adstringat: tutissimum tamen fuerit tales non admittere, qui erga alterutram partem ita sunt affecti, ut conscientiæ ipsorum cum gratia, odio, vindictæ libidine, alioque violento animi motu, aut etiam arctiore quadam necessitudine sit velut luctandum; quibus superandis non omnibus sat constantiæ est. A-

Cap. I.

"prium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum est "ad posterius, si uti non licet superiore." Cic. *de Offic.* I. xi.

[12] *Compromissum* est simultanea illa partium promissio, quâ sua sponte ad alicujus boni viri arbitrium suam remittunt controversiam. Calvini *Lex Jurid.*

Cap. I. liquando etiam per communium amicorum interpositionem lites tolluntur; quod merito inter sanctissima officia habetur. Cæterum in hoc statu exsecutionem, ubi ultro ab altero non præstatur quod debetur, sibi quisque facit [13].

Hominum amicitia in illo parum firma. L. II. c. ii. § 5. — 8.

XI. Quanquam autem natura ipsa inter homines aliquam cognationem esse voluerit, cujus vi nefas sit alteri homini nocere, & potius fas sit cuivis aliorum commodis sese dispensare: [14] tamen inter eos, qui in naturali libertate invicem vivunt, hæc cognatio sat debiles fere exserit vires; ita ut quivis homo, qui non est noster civis, seu quicum in statu naturali vivimus, non quidem pro hoste, sed tamen *pro amico parum firmo* sit habendus [15]. Cujus rei ratio est, quod homines non solum sibi invicem maxime possint, sed & variis de causis sæpissime velint nocere. Alios quippe pravitas ingenii, aut dominandi & superflua habendi libido ad lædendos alios incitat; alii modesto licet ingenio, studio se conservandi, & ne ab aliis præveniantur, in arma ruunt. Multos ejusdem rei desiderium, alios ingeniorum contentio

---

[13] Tertia ratio dirimendi lites fit per *sortem*; de quâ suprà, L. I. c. xv. § 13. Tres igitur sunt modi, quibus vitari potest, ne controversiæ in bellum erumpant, *viz.* Colloquium, compromissum, & per sortem. Conf. Puf. *De Jure N. & G.* L. V. c. xiii. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. xxiii. § 7, 8.

[14] Recte noster *Hobbesianum* statum naturæ (qui belli status est) repudiat. Hanc naturalem hominum cognationem justum esse pacis & amicitiæ fundamentum uno ore testantur veteres Philosophi. Ex hoc (inquit Cicero

contentio committit. Inde in isto statu tantum non perpetuæ vigent suspiciones, diffidentia, studium aliorum vires subruendi, libido alios præveniendi, aut ex aliorum ruina vires suas augendi. Ergo uti probi est hominis rebus suis contenti alios non lacessere, nec aliena adpetere: ita cauti est, suæque salutis amantis, ita omnes homines amicos credere, ut tamen iidem mox hostes fieri queant; ita pacem cum omnibus habere, quasi quæ mox bello mutari possit. Qua de causa & felix habetur respub. quæ etiam in pace de bello cogitat. Cap. I.

CAP. II.

DE OFFICIIS CONJUGALIBUS.

I. INTER *status adventitios*, seu in quibus homo facto aliquo humano antecedente constituitur, primo loco venit *matrimonium* [1]. Quod ipsum etiam est primum velut specimen

Status adventitius primus matrimonium L. VI. c. i.

CICERO *de Fin.* iii. 19.) "nascitur, ut etiam communis hominum inter homines naturalis sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine, ob id ipsum quod homo sit, non alienum videri.

[15] Vid supra, L. I. c. iii. § 6.

[1] Status adventitii recte in quatuor classes distribuuntur. Sunt enim vel *conjugalis*, vel *paternus*, vel *herilis*, vel *civilis*. Quorum ultimus itidem varios status speciales sub se complectitur. Modo haud multum absimili distinguit CICERO: *Prima societas in ipso conjugio est*;

Cap. 2. ſpecimen vitæ ſocialis, [2] ſimulque generis humani ſeminarium [3].

Extra hoc vetitum omne genus libidinis. c. i. § 5.

II. Circa hoc initio conſtat, ardentem illam ſexuum inter ſe proclivitatem a ſapientiſſimo creatore inſtitutam, non ad inanem voluptatem ſatiandam, quippe quæ unice ſpectata ſummam fœditatem & confuſionem in genere humano excitatura erat: ſed tum ut eo jucundior inter conjuges eſſet converſatio, tum ut eo lubentius homines propagationi ſobolis operam darent, ac moleſtias tolerarent, quæ iſtius ſuſceptionem atque educationem comitantur. Ex quo conſequitur, naturali legi repugnare omnem uſum membrorum genitalium, qui ab hiſce finibus abit. Quo nomine etiam vetita libido in diverſam ſpeciem, aut eundem ſexum ruens; quævis fœdæ pollutiones, & denique omnis commixtio ſive mutuo conſenſu ſuſcepta, ſive invitæ fæminæ intentata extra matrimonium.

Quæ ſit ad id contrahendum obligatio? c. i. § 6.

III. *Obligatio ad contrahendum matrimonium* conſiderari poteſt vel in *reſpectu ad totum genus humanum*, vel *in reſpectu ad ſingulos. Illa* in eo conſiſtit, quod propagatio ſpeciei humanæ hautquaquam ſit inſtituenda per vagos & ſolutos concubitus; ſed utique legibus connubialibus circumſcribenda, adeoque per matrimonium duntaxat exercenda. Citra hoc enim decora & bene diſpoſita inter homines

---

eſt; proxima in liberis; deinde una domus, communia omnia; id autem eſt principium urbis, & quaſi ſeminarium reip. De Offic. I. xvii.

ſocietas,

societas, vitæque civilis cultus intelligi nequit. Cap. 2. *Singuli* autem ad matrimonium ineundum tenentur, quando commoda sese ejus occasio offert: quam tamen non sola ætas generandique facultas absolvit; sed ut copia quoque sit decentis conditionis, nec non facultas alendi uxorem & prolem nascituram; ac ut mas quoque sit idoneus ad gerendam personam patrisfamilias. Nisi tamen aliquis compositus sit ad exigendum castum cælibatum, sentiatque plus se utilitatis posse procurare humano generi, aut civitati cælibem, quam uxoratum; præsertim ubi nulla prolis penuria sit metuenda.

IV. Inter eos qui matrimonium inituri sunt, intervenire solet & debet *pactum*, quod ubi *regulare* & *perfectum* fuerit, hisce capitibus absolvitur. *Primo*, quia vir (abs quo ut contractus incipiat, utriusque sexus indoli magis congruit) propriam utique sibi sobolem intendit quærere, non suppositìtiam aut adulterinam: igitur *fidem dare viro debet fæmina*, ut nemini præterquam ipsi corporis sui usuram velit concedere. Quod itidem *a marito fæmina vicissim* solet stipulari. *Deinde* cum nihil magis ab indole vitæ socialis & civilis abhorreat, quam vita vaga ac desultoria, incerto lare, nulla fortunarum sede; cumque communis sobolis educatio commodissime instituatur, *Pacti conjugalis perfecti capita præcipua.*

---

[2] Matrimonii institutionem luculenter describit Moses. *Gen.* II. 20. seq.

[3] Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. v.

conjunctis

Cap. 2. conjunctis utriusque parentis operis; ac cohabitatio continua plurimum contineat jucunditatis inter conjuges bene compositos, per quam etiam marito certius de castitate uxoris constare potest: igitur in id quoque fidem marito dat uxor, ut *viro continuo cohabitare*, adeoque in arctissimam vitæ societatem, eandemque familiam cum ipso coalescere velit. Cui ipsi & mutua promissio de tali invicem conversatione, qualem indoles ejus societatis requirit, inesse intelligitur. Quia autem non solum naturali utriusque sexus conditioni maxime congruit, ut in matrimonio viri conditio sit potior, sed & maritus familiæ, a se utique constitutæ, caput sit; consequitur, ut uxor in negotiis matrimonium ac familiam spectantibus directioni mariti sit obnoxia. Inde & mariti est de domicilio constituere; nec uxor isto invito peregre abire aut secubare potest. Ta-

4 Imperium mariti in uxorem non tam ex naturâ, quàm ex lege civili oriri videtur: Sunt mariti quidam qui suæ causæ nimium faventes, ex masculini sexûs præstantiâ colligi posse existimant dignum esse maritum ut potiores in conjugio partes teneat. Quid autem, anne ideo jus habet imperandi? Quod si hoc sit concessum, tum concesso itidem fæminam viro esse sapientiâ præstantiorem, hinc pronè sequitur uxorem esse marito superiorem, & imperium quoddam in eum tenere. Proculdubio nequit vel superior potestas, vel sapientia, vel alia quævis perfectio jus imperii in alterum tradere. Vid supra, L. I. c. ii. § 5. not. 10. Quicquid igitur juris mas habet in fæminam, id ex ipsius consensu quærendum erit: sunt enim naturâ æquales. Fieri utique potest neutrum alterius dominio subjici, vel maritum uxoris imperio esse obnoxium.

le

le tamen imperium, quod jus vitæ & necis, gravemque coercitionem, nec non plenam potestatem circa quævis bona uxoris disponendi comprehendat, ad essentiam matrimonii necessarium non videtur: sed illud ex peculiaribus pactis inter conjuges, aut ex legibus civilibus alicubi constituitur [4]. Cap. 2.

V. Porro uti illud manifeste legi naturali repugnat, *unam mulierem pluribus viris simul* cohabitare: ita, ut *unus simul duas pluresve uxores* habeat, apud plurimas gentes, & in ipso quondam Judaico populo receptum. Nihilominus si vel maxime a primæva matrimonii institutione in divinis literis tradita abstrahamus; ex ipsa tamen recta ratione constat, longe decentius juxta atque utilius esse, unum una esse contentum. Id quod & usus omnium quas novimus gentium Christianarum a tot seculis comprobavit [5].

Polygamia omnis à ratione aliena. c. i. § 16.—19.

VI.

5 Polygamiam non esse jure naturæ vetitam alibi statuit noster: " Quod *Polygamiam* attinet, certum " quidem est talem, quâ una pluribus simul viris uxor " est, à natura & fine matrimonii prorsus abhorrere; " at vero ut ùnus pluribus fæminis simul jungatur, " etsi lege divinâ positivâ inter Christianos jam creda-" tur interdictum, legi tamen naturæ in se haud " repugnat. Non enim necessum est, ut quemadmo-" dum uxor nemini viro corporis sui copiam debet " facere, præterquam uni marito; sic & maritus alii " fæminæ præterquam unicæ uxori. Nam prius ne-" cessarium est ob certitudinem sobolis. Gravissimis " de causis concessam antehac Polygamiam, post per " positivas leges prohibitam fuisse censendum est." *Elem. Jurispr. Univ.* L. II. Observ. v. § 7. Notavit etiam

Cap. 2.

Matrimonii vinculum insolubile est. c. i. § 20.

VI. NEC minus natura tam arctæ conjunctionis ostendit, *matrimonium debere esse perpetuum*, & non nisi alterutrius conjugum morte finiendum: nisi principalis pacti matrimonialis capita fuerint violata per adulterium, & malitiosam desertionem. Ob mores autem male compositos, & qui cum malitiosa desertione eundem non producunt effectum, separatio duntaxat *quoad thorum & mensam* inter Christianos recepta est, sine permissione ad secunda vota transeundi. Cujus inter alias etiam hæc ratio est, ne facultas divortii contumaciam morum alat; sed potius alterius conditionis desperatio ad commoditatem morum, mutuamque tolerantiam conjuges incitet. Cæterum ob violata

---

etiam GROTIUS viros sanctos ante legem plures unâ uxores habuisse, & in lege præcepta quædam dari his, qui plures unâ habeant. *De Jure B. & P.* L. II. c. v. § 9. Satis autem apparet, quid optimum sit Deoque gratissimum ex primâ illâ conditione, quâ uni mari non nisi unam fæminam Deus attribuit. Bene SALLUSTIUS. *Jugurth.* c. lxxxii. *Apud eos qui plures uxores habent, levis ista ducitur necessitudo, quod animus multitudine distractus nullam pro sociâ obtinet, omnes pariter viles sunt.* Et CLAUDIAN. *De Bello Gildon.* v. 442.

——— Connubia mille;
Non illis generis nexus, non pignora curæ,
Sed numero languet pietas ———

Sequuntur & hoc Christiani, ut scilicet animus ab uxore in solidum marito datus æquali retributione pensetur (1 *Corinth.* vii. 4.) quod, ubi diversæ sunt uxores, nequaquam fieri potest. Sed licet plurimæ rationes afferri queant, quibus probetur satius esse, & ad plurima

violata pacti matrimonialis capita, pars læsa tantum vinculo exsolvitur; quod in altero continuatur, siquidem pars læsa velit, & cum altero in gratiam redire dignetur [6]. Cap. 2.

VII. CONTRAHERE licite matrimonium, ubi lex civilis non obstat, potest *quilibet cum qualibet*, si ætas corporisque constitutio matrimonio habilis adsit [7]; *nisi impedimentum aliquod morale* obstet. Moraliter impeditur aliam conjugem adsciscere, qui, quæve alteri jam conjugi junctus, junctave est.

Contrahere matrimonium quibus liceat? c. I. § 25.

VIII. SED & pro morali legitimarum nuptiarum impedimento habetur *arcta nimis sanguinis aut affinitatis conjunctio*. Quo nomine etiam naturali lege nefariæ judicantur nuptiæ inter

Non sanguine aut affinitate nimis vicinus. c. i. § 28.

---

rima incommoda evitanda convenientius, ut unâ uxore contentus sit maritus, inde tamen non sequitur (ut rectè nos monet BUDDEUS) jure naturali Polygamiam esse prohibitam. Interim id inde liquet divinam prohibitionem, quæ ex institutione matrimonii primævâ petitur, æquissimis rationibus ad hominum etiam spectare salutem. *Theol. Mor.* P. II. c. iii. S. 6. § 9.

6 " Christi lex, ut res alias, ita & hanc conjugii " inter Christianos ad perfectiorem redegit normam, " ex quâ & qui dimisisset uxorem non adulteram, & " qui duxisset dimissam, adulterii reos pronunciat. " (*Matt.* v. 32.) Et apostolus ejus atque interpres " PAULUS non viro tantum jus dat in corpus uxoris " (quod & in naturali statu procedebat) sed & uxori " vicissim in corpus mariti. 1 *Cor.* vii. 4. GROT. *De Jure B. & P.* L. II. c. v. § 9. Conf. LACTANT. *Instit.* vi. 23.

7 Hinc eunuchorum, aliorumq; omnium a quibus præcipuus matrimonii finis obtineri nequit, illicita esse conjugia existimat BUDDEUS. Idem judicat de conjugiis

Cap. 2. inter ascendentes & descendentes in infinitum. Reliquas autem nuptias in limite transverso, puta cum amita & matertera, cum sorore; item in affinitate, cum noverca, socru, privigna; non solum lex divina, sed & cultarum leges gentium, & Christianorum consensus detestatur. Quin & multorum populorum leges civiles remotiores quosdam gradus prohibuerunt, ad objiciendam velut sepem prius dictis gradibus sanctioribus, ne ad hos temerandos ita facile rueretur [8].

IX.

---

jugiis *Senum*, quorum aut utraque aut alterutra pars ita comparata est, ut finis principalis, nempe procreatio sobolis obtineri non possit. Vid. *Theol. Moral.* P. II. c. iii. S. 6. § 7.

[8] De gradibus affinitatis, quibus licita sunt matrimonia, sæpe & acriter disputari solet, nec jure naturali facilè definitur. "Causas certas ac naturales (inquit "Grotius) cur talia conjugia, ita ut legibus aut "moribus vetentur, illicita sint, assignare qui voluerit, "experiendo discet quàm id sit difficile; imo *præstari* "non possit." *De Jure B & P.* L. II. c. v. § 12. Ut mihi videtur, *ascendentium* & *descendentium* conjugia (v. g. parentum cujuscunque gradûs cum liberis) in tantum juri naturali repugnant, in quantum inde commixtio & confusio obligationum diversæ naturæ oritur. Sed quoad fratrum & sororum, cæterorumque affinitatis graduum, eorumque sanguinis præsertim ex transverso limite, haud facile ratione assequi possumus, ea juri naturali adversari. Hic igitur in subsidium veniunt sacræ literæ, quæ collateralia ista matrimonia prohibent, & fines affinitatis definiunt, intra quos contrahi non debent. *Levit.* c. xviii. "Concesso (inquit Grotius) à mero jure naturæ non "venire hæc interdicta, videri tamen possunt præcepto

divinæ

IX. Cæterum uti aliis contractibus atque negotiis certa quædam requisita sueverunt addere leges civiles, quæ si observata non fuerunt, in foro civili pro validis non habentur: ita & circa matrimonium contingit, dum alicubi per leges civiles honestatis & boni ordinis causa *solennia* quædam requiruntur. Quæ licet extra jus naturale sint; citra illa tamen, qui legibus civilibus, subjiciuntur, legitimum matrimonium non contrahent; aut saltem e- *Solemnia matrimonia sunt juris civilis.*

" divinæ voluntatis hæc ivisse in vetitum: neque vero " tale id esse præceptum, quod solos Hebræos astringat, sed quod homines universos; colligi videtur " ex illis Dei verbis apud Mosem (*Levit.* xviii. 24 " —27.) *Ne polluite vos ulla harum rerum: quia omnibus istis polluti sunt populi, quos vobis advenientibus dispello.* Mox. *Ne facite ullam ex istis rebus abominandis: nam omnes istas fecerunt indigenæ terræ istius, quæ vobis exposita est, unde polluta est terra.*" Ibid. § 13. De gradibus autem affinitatis, observari in promptu est, in lineâ rectâ *ascendente* & *descendente* conjugium jure divino prohiberi in infinitum; in lineâ *collaterali æquali* nuptias tantum esse prohibitas inter fratres & sorores; in *collaterali inæquali*, inter eas quæ sibi parentum & liberorum loco sunt, etiam ex uno latere in infinitum. Sic nuptiæ cum amitâ, materterâ & patruo, i. e. secundus consanguinitatis gradus lineæ collateralis inæqualis, diserte prohibentur. Vid Buddeus ubi supra.

Porro notandum est leges quasdam civiles alias facultates morales requirere, ut maturitatem ætatis, consensus parentum, &c. de quibus hoc observandum est, non ideo matrimonia jure esse irrita, quoniam juri repugnant: sæpe valet hæc regula, *quod fieri non debet factum valet*; & sunt diversa, prohibere & irritum facere.


jusmodi

Cap. 2. jusmodi conjunctio effectus justi matrimonii in civitate non habebit [9].

Officia mutua mariti & uxoris. X. *Officium mariti* est uxorem diligere, nutrire, regere, atque defendere: *Uxoris* maritum amare, honorare; adjutorio esse ei, non solum in generanda & educanda sobole, sed & in parte curarum domesticarum capessenda. *Utrinque* autem indoles tam arctæ conjunctionis requirit, ut conjuges tam prosperæ quam adversæ fortunæ sint socii, & si qua alterutri calamitas obtingat, ab altero sublevetur; nec minus ut prudenter mores ad concordiam invicem tolerandam attemperent; qua tamen in parte concedere magis uxoris est.

---

9 Id quidem habent matrimonia cum aliis pactis commune, ut per leges civiles certæ quædam ceremoniæ & ritus solennes iis adjungantur, quibus sepositis in foro civili pro validis non habentur. Vera tamen & indissolubilia esse possunt matrimonia, licet quibusdam effectibus civilibus destituantur. Nam conjunctio illa matrimonialis fit per mutuum utriusq; partis consensum. Unde facile dijudicari potest, quid de nuptiis, ab ebriis, vel per errorem aut vim initis censendum sit. Nam eodem fere modo hæc se res habet, ac in aliis pactis. Sic si error fuerit in iis, quæ ad ipsam matrimonii essentiam ex fine ejus primario æstimandam pertinent, irrita sunt sponsalia. In eo vero hæc a reliquis pactis differunt, quod mutuo consensu dissolvi nequeunt.



CAP.

CAP. III.

De Officiis Parentum et Liberorum.

I. Ex matrimonio provenit proles, in quam constituta est *potestas patria*; antiquissimum juxta ac sanctissimum genus imperii, quo parentum jussa venerari, eorundemque præ se eminentiam agnoscere liberi tenentur [1]. *Potestas patris imperium vetustissimum.* L. VI. c. ii.

II. *Oritur* imperium parentum in liberos *duplici* potissimum de *causa*: Primo quia ipsa lex naturalis, dum sociabilem esse hominem jussit, *parentibus curam liberorum* injunxit; quæ ut eo minus negligeretur, tenerrimum simul affectum in prolem natura iisdem implantavit. Isti curæ exercendæ requiritur potestas liberorum actiones dirigendi ad ipsorum salutem, quam ipsi propter judicii defectum nondum intelligunt. Deinde id imperium *tacito quoque consensu prolis* nititur. Nam recte præsumitur, si infans eo, quo sublatus est, tempore usum rationis habuisset, ac perspexisset vitam se citra parentum curam ac junctum ipsi imperium servare non posse, lubenter illam in id consensuram, commodamque sibi educationem ab iisdem vicissim fuisse stipulaturam. *Quibus illa nitatur fundamentis?* c. ii. § 4.

[1] Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. v.

Cap. 3. *Actu* autem parentibus imperium in prolem constituitur, quando illam tollunt nutriuntque, & in commodum humanæ societatis membrum pro virili formandam suscipiunt [2].

Utra potior potestas patris, matrisve? c. ii. § 5.

III. Cum autem ad generationem sobolis *non mater minus quam pater* concurrat, adeoque physice proles utrique sit communis; disquirendum, *utrius jus in prolem sit potius.* Super qua re distincte pronunciandum. Si enim *extra matrimonium* proles sit generata, illa primo matris erit; quia pater heic nisi indicio matris cognosci nequit [3]. Inter eos quoque, qui *in libertate naturali & supra leges civiles* degunt, pacto conveniri potest, ut non patris, sed matris jus potius sit. Sed *in civitatibus* utique per mares constitutis, cum regulariter

2 Alii ab aliis principiis jus parentum in liberos deducunt. Vult Grotius generatione parentibus jus in liberos acquiri; utrique scil. parentum, patri ac matri. *De Jure B. & P.* L. II. c. v. § 1. Impossibile esse pronunciat Hobbesius, ut dominium omnino acquiratur solâ generatione; & contendit jure naturæ dominium infantis ad eum primum pertinere, qui primus in potestate suâ ipsum habet. Sic infans qui modò nascitur prius est in potestate *matris*, quàm cujusquam alterius, ita ut illum vel educare vel exponere suo arbitrio & jure possit. A matre autem ad alios transit dominium diversis modis. 1. Si jus suum dereliquerit, sive abjecerit filium exponendo; is qui expositum educaverit, idem habebit dominium, quod habebat mater. 2. Si mater bello capta sit, natus ex eâ capientis est. 3. Si mater civis sit, is qui in civitate summum habet imperium, dominium habebit ejus, qui ab eâ nascetur. 4. Si contractus sit inter marem &

gulariter contractus matrimonii a patre incipiat, & is caput familiæ sit, potius erit jus patris: sic ut licet proles matri utique reverentiam, gratumque animum debeat; jussis tamen matris non obligetur, quæ quidem non iniquis patris præceptis repugnant [4]. Defuncto tamen patre jus ipsius in prolem, saltem nondum adultam, *matri* videtur *accrescere*; & hac ad secundas nuptias transeunte, *vitrico*, siquidem ipse in fidem & curam naturalis parentis succedat. Et qui desertum, aut orbatum parentibus, liberaliter educandum suscipit, jure suo ab eo filialem observantiam exigere potest. Cap. 3.

IV. UT autem accurate intelligatur, quanta *parentum* sit *in liberos potestas*, distinguendum est tum inter *patresfamilias segreges*, & *qui in* *Ea quousque se extendat; quousque non?* c. ii. § 6.

& fœminam ad cohabitationem, liberi geniti patris sunt, quia in omnibus civitatibus imperium domesticum viri est: HOBBES. *De Cive*, c. ix. § 2—6. Noster *tacitum consensum* prolis requirit ad imperium paternum stabiliendum. Enimvero mihi videntur rectiùs ad scopum tendere, qui ut in cæteris societatibus, ita & in paternâ imperium & obligationes ex fine societatis derivant. Hic autem *finis* est nutritio & educatio sobolis, qui fine quodam imperio obtineri nequit: unde plane sequitur parentibus imperium in liberos competere, à liberis autem obsequium exigi. Quod si illis nulla sit liberorum cura, imperium suum cessat, & ad eos pertinet, qui ipsos alendo & educando conservant.

[3] Lex naturæ hæc est, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur, nisi lex specialis aliud inducit. *Digest*. L. I. tit. v. leg. 24.

[4] Si contendant inter se imperia, præfertur patris imperium ob sexûs præstantiam. GROTIUS *ubi supra*.

Cap. 3. *civitatem subierunt*; tum inter *potestatem quam habet genitor ut talis*, & quam habet *ut est caput suæ familiæ*. *Patri ut tali* cum sit a natura injunctum, ut liberos bene educet, quo in commoda humanæ societatis membra evadant, quousque ipsi sibi prospicere queant: inde tanta eidem in liberos potestas concessa intelligitur, quanta ad hunc finem sufficit. Quæ hautquaquam eousque se extendit, ut parentes prolem intra materna viscera latentem elidere, aut editam abjicere, necareque possint [5]. Nam excitatur quidem ex substantia parentum soboles; ut tamen in æqualem conditionem humanam cum illis locetur, & injuriæ etiam ab ipsis parentibus capax sit. Neque etiam hæc potestas ad jus vitæ & necis ex occasione delicti exercendum videtur porrigi, sed ad modicam duntaxat castigationem: quippe

---

5 Homicidii reus est qui prolem exponit juxta illud *Pauli* jurisconsulti. *Necare videtur non tantum is, qui partum perfocat, sed & is qui abjicit, & qui alimonia denegat, & is qui publicis locis misericordiæ causâ exponit, quam ipse non habet*. Digest. L. XXV. tit. iii. l. 4. Attamen expositio liberorum, (utut inhumanum sit & crudele) plerisque gentibus, iisque (quod miro simile videtur) cæteroquin excultis & bene moratis, Græcis & Romanis, haud inusitata fuit. De Romanis id tradit DIONYSIUS HALICAR. *Antiq. Rom.* L. II. VALERIUS MAX. L. v. c. 8. Idem de Græcis testatur ARISTOTELES, suoq; calculo probat in *Polit.* L. VI. c. 16.

6 Sunt qui sentiunt patribus in statu naturali, prout opponitur civili, constitutis, jus vitæ & necis tribuendum esse; sed falsa nituntur hypothesi, ac si status familiarum

quippe quæ verſatur circa ætatem teneram, Cap. 3.
in quam tam atrocia delicta, quæ morte ſint expianda, vix cadunt [6]. Sed ſi tamen citra ſpem emendationis omnem diſciplinam pertinaciter adſpernetur puer, poterit domo patria ejici, atque abdicari.

Quanta ſit in primæ ætatis liberos? c. ii. § 7, 8.

V. ISTHÆC porro poteſtas, ita preſſe accepta, conſiderari poteſt *juxta diverſitatem ætatis in liberis*. Nam *in prima ætate*, ubi immaturus adhuc rationis uſus eſt, omnes liberorum actiones directioni parentum ſubjacent. Quo tempore, ſi quid bonorum ab aliis in impuberem transferatur, id parens loco filii acceptare, & adminiſtrare debet, ut tamen dominium ipſi filio adquiratur; etſi ut fructus patri cedant ad plenam uſque filii ætatem æquiſſimum ſit. Sic & quod ex filii labore lucri aut emolumenti provenit, id merito ſibi pater vindicat, cui ex adverſo filii nutritio & educatio incumbit [7]. IV.

familiarum in ſtatu naturali viventium non differat a ſtatu civili, & quod in illo patribus ceu capitibus familiarum ſummum aliquod imperium competat. Quam ſententiam poſt HOBBESIUM defendendam ſumpſit D. Robert. FILMERUS, in libro, cui titulus *Patriarcha*: quem ex inſtituto refutarunt ALGERN. SIDNEY & J. LOCKIUS de *imperio civili*.

7 "Ut res omnes liberorum parentibus acquirantur, " non naturale eſt ſed ex quorundam populorum legi- " bus." GROTIUS *ubi ſupra*. Et rectè de hac re BUDDEUS. " Si liberi propria induſtria aliquid ad- " quirant, omnino ſibi adquirunt. Imperium enim " paternum facultate adquirendi, qua per naturam " gaudent, eos privare nequit. Quod ſi autem ex rebus " parentum aliquid adquirunt, non ſibi ſed parentibus

 " adqui-

Cap. 3.

Quanta in eosdem ætatis adultæ? c. ii. § 10.

VI. *In adulta ætate*, ubi liberi pleno quidem judicio præditi sunt, pars tamen adhuc familiæ paternæ existunt; distincte considerari potest potestas, quam pater habet *ut genitor*, & quam habet *ut caput familiæ*. *Illa* cum commodam educationem & gubernationem liberorum pro scopo habeat, patet adultos quoque liberos autoritatem parentum tanquam prudentiorum sequi debere. Et qui vult ex paternis bonis sustentari, ac in ea deinceps succedere, necessum est, ut ad familiæ paternæ rationes sese attemperet; quam moderari utique penes patrem est [8].

Quæ in statu naturali, quæ in civitate? c. ii. § 11. 12.

VII. Cæterum *patresfamilias*, qui nondum in civitates successerant, in domo sua imperium aliquod instar principum gerebant. Inde & liberi in eorum familia adhuc hærentes ipsorum imperium tanquam summum venerari debebant [9]. Verum postea imperium istud familiare, (uti & alia jura) ad usum & decus civitatum fuit attemperatum; & alicubi multum,

" adquirunt; cùm fructus ad dominium rei pertineant, " & industria liberorum alimentis pensetur. Ast quod " liberis usu rationis destitutis donatur, liberorum est. " Parentes enim in acceptione vices illorum sustinent, " & nulla ratio suadet, ut liberi eodem priventur." *Phil. Pract.* P. II. c. iv. S. 11. § 12.

8 " Verum hoc debitum cùm non sit ex vi facultatis " moralis, sed ex pietate, observantia, & gratiæ re- " pendendæ officio; non efficit ut irritum sit, si quid " contra sit factum." Grotius *ubi supra*.

9 Vult Hobbesius civile imperium à paternâ potestate derivari. *De Cive*, c. v. § 12. Eandem partem tuetur

multum, alicubi parum de eo patribus relictum. Inde observamus, in quibusdam civitatibus patres jus vitæ & necis, ex causa delicti exercendum, in liberos obtinuisse; in aliis id ipsum iis ademtum, ne forte parentes sua in liberos potestate in fraudem boni publici, aut ad iniquam istorum oppressionem, abuterentur; aut ne ob mollitiem paterni affectus dissimularentur vitia, in exitium publicum erupturа; aut ne patri tam tristis sententiæ pronunciandæ necessitas imponeretur.

Cap. 3.

VIII. SED ubi *proles familia paterna plane excessit*, & vel novam sibi familiam constituit, vel alteri adjungitur, potestas quidem patria solvitur; ut tamen semper pietatis & observantiæ debitum maneat; quippe fundatum in meritis parentum, quibuscum paria facere liberi nunquam aut rarissime creduntur. Et ista merita non in eo tantum consistunt, quod parentibus liberi vitam debeant, occasionem omnium bonorum; sed & quod laboriosam acsum-

Excessu prolis è familia an solvatur? c. ii. § 13.

tuetur Dominus ROB. FILMER, in libro cui titulus, *Patriarcha*. Unde absolutam & irresistibilem potentiam civili magistratui attribuunt. Hos autem præclarè refellit LOCKIUS *de Civ. imperio*, & validissimis argumentis evincit civile imperium à paterna auctoritate derivari non posse. Supra ostensum fuit (L. I. c. vii.) *omnes homines esse naturâ æquales*. Infantes quidem hac æqualitate non potiuntur, propterea quod non sunt ratione præditi. Postquam vero ex ephebis excesserunt & maturâ ætate utuntur, omnino sunt αὐτεξούσιοι suique juris; manente tamen illo pietatis & observantiæ debito, cujus causa perpetua est. Imperium *civile*

Cap. 3. sumtuosam educationem eorum susceperint, quæ eos in commoda humanæ societatis membra formarunt, ac sæpe de mediis vitam commode & copiose exigendi iisdem prospexerunt.

Alteri quousqueprolis educatio committi possit?

IX. Etsi autem parentibus obligatio educandi prolem a natura sit injuncta: id tamen non obstat, quo minus, utilitate prolis aut necessitate exigente, ejusdem *administratio alteri commendetur*; ita tamen ut inspectionem sibi in istum delegatum parens reservet. Unde & pater non solum præceptoribus idoneis filii informationem recte committit: sed & eundem alteri adoptandum dare potest, siquidem exinde in filium aliquod sit emolumentum redundaturum. Et si nulla alia ratio sit prolem alendi; potius quam inopia extinguatur, pater eam oppignorare, aut vendere in tolerabilem servitutem potest, saltem sub lege retractus, ubi pater ad lautiorem fortunam pervenerit, aut quispiam ex cognatis istum redimere velit. Quod si autem parens per inhumanitatem prolem exposuerit & abjecerit, is qui eandem sustulerit atque educaverit, in paternum quoque

& *paternum* prorsus diversi sunt generis: nec origine, nec fine, nec usu conveniunt. Fieri quidem potest, & probabile videtur in primævo rerum statu, priusquam homines in civitates venerunt, patres-familias imperium aliquod civile in suis familiis gessisse: id autem à consensu liberorum vel expresso vel tacito ortum est, qui prudentiam & affectum parentum experti facilè sibi utile esse judicarunt, ut eorundem imperio & directioni subjicerentur. Exinde autem nullo modo effici potest civilis magistratûs imperium à paterno jure derivari

quoque jus ſuccedet; ita ut iſte alumnus filia- lem obſervantiam educatori ſuo debeat. Cap. 3.

X. UTI autem *pater prolem familia ſua ejicere non debet*, educatione & auxilio iſtius adhuc indigentem, citra graviſſimas cauſas: ita & proles non niſi cum bona patris venia ex ipſius familia excedet. Cæterum cum liberi matrimonii fere contrahendi occaſione paternam familiam relinquant; & vero parentum utique interſit, cui proles ſua jungatur, & ex quibus nepotes ſibi proveniant: inde officium filiale plane requirit, ut *patris conſenſum heic ſequantur liberi*, nec eo invito conjugi ſocientur. Quod ſi tamen de facto invitis parentibus matrimonium contraxerint, & conſummaverint liberi, jure quidem naturali id irritum non videtur; præſertim ubi familiam paternam non amplius iſti onerare velint, & alias conditio non ſit indecora. Inde ſi alicubi ejuſmodi matrimonia habentur irrita, aut illegitima, id ex legibus civilibus eſt [10].

An á patris conſenſu pendeat prolis conjugium? c. ii. § 14.

XI. *Officium parentum* in hoc præcipue conſiſtit, ut liberos commode alant, corpuſque & animum

Officia parentum erga liberos quæ?

derivari poſſe. Vid ſupra, cap. I. § 7. not. 7. Conf. LOCKE *De Civ. Imp.* P. II. c. vi.

[10] Sic ex jure Romano quædam nuptiæ irritæ ſunt, ſi conſenſus patris deficit: quod non ex natura eſſe, ſed ex juris conditorum voluntate recte nos monet GROTIUS. *De Jure B. & P.* L. II. c. v. § 10.

Cap. 3. animum per dextram & cordatam educationem ita forment, quo idonea & utilia membra societatis humanæ & civilis fiant, probi, cordati, & bene morati. Item & eosdem ad idoneum & honestum vitæ genus adplicent; & quantum ratio & occasio fert, fortunam ipsorum fundent & promoveant [11].

Quæ vicissim horum erga illos? XII. *Liberorum* contra *debitum* est parentes honorare, id est, reverentiam illis exhibere, non externis tantum signis, sed multo magis interna æstimatione, tanquam autoribus vitæ, ac tantorum aliorum beneficiorum; iisdem obedire; pro viribus inservire, inprimis senio aut egestate confectis; sine consilio & autoritate eorum nihil magni momenti suscipere; & denique eorum morositatem, aut vitia, si qua inveniuntur, patienter ferre [12].

---

[11] Recte Juvenal. *Sat.* xiv. 70.

Gratum est quod patriæ civem populoque dedisti,
Si facis, ut patriæ sit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum, & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus instituas ————

[12] Bene sancitum est à Justiniano reverentiam parentibus etiam impiis deberi: *licet enim legum contemtor & impius sit, tamen pater est.* Novell. L. XII, c. ii.

CAP.

CAP. IV.

De Officiis Dominorum et Servorum.

I. POSTQUAM genus humanum multiplicari cœpisset, atque deprehensum fuisset, quam commode res domesticæ aliorum ministerio curari possent; mature introductum fuit, ut ad operas domesticas obeundas *in familiam adsciscerentur servi.* Quos *ab initio ultro* sese obtulisse probabile est, inopia adactos, aut propriæ hebetudinis sensu; stipulatosque sibi perpetuam alimentorum & aliarum necessitatum præbitionem, in perpetuum hero sua ministeria addixisse[1]. Dein cum bella passim increbescerent, apud plurimos populos receptum, ut quibus *bello captis* vita donata esset, servitio addicerentur, una cum prole, quæ deinceps ex ipsis esset proventura[2]. Etsi apud multos populos nulla ejusmodi servitus in usu, sed omnia munia domestica per mercenarios ad tempus conductos expediuntur[3].

Introductæ servitutis in familiam occasio. L. vi. c. iii.

[1] Sequitur ex naturali hominum æqualitate, fundamentum servitutis esse pactum; & nullos esse naturâ & ante omne factum humanum in statu servili.

[2] Quod omnino injustum est; vid, *mox infra.* not. 5.

[3] Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. v. § 26. Et L. III. c. xiv.

II. Prout

Cap. 4.

Quæ hero in servum mercenarium potestas: c. iii. §3.

II. Prout autem sunt *diversi* velut *gradus servitutis*: ita & potestas herorum, & servorum conditio variat. *Mercenario temporario* dominus conventam mercedem; iste huic vicissim conventam operam debet. Et quia in eo contractu domini melior est conditio, ideo etiam ejusmodi minister domino pro ratione dignitatis reverentiam exhibere tenetur; & ubi malitiose aut negligenter opus fecerit, ejusdem coercitioni est obnoxius; quæ tamen ad gravem corporis afflictionem, multo minus ad mortem, propria autoritate sumendam, procedere nequit[4].

Quæ in servum, qui se ultro ei addixit? c. iii. §4.

III. Ejusmodi autem *servo, qui sese ultro alicui in perpetuum servitium addixit*, dominus perpetua alimenta, & quæ alia vitæ necessaria sunt; ille huic vicissim perpetuas operas, quascunque dominus præscripserit, præstare debet, & quicquid ex illis provenit, domino fideliter consignare. In quibus tamen virium & dexteritatis servi humaniter rationem habebit dominus, ne vires ipsius excedentem laborem cum asperitate exigat. Castigationi quoque domini iste subest, non solum ad expellendam negligentiam in opere exsequendo; sed & ut ipsius mores ad decus & tranquillitatem familiæ componantur. Non tamen invitus alteri vendi talis potest; quia ultro hunc, & non alium dominum adscivit; & ipsius interest, utri serviat. Si atrox delictum in alium extra familiam

[4] Grotio servitus est *perfecta* vel *imperfecta*: Prior est quæ perpetuas operas debet pro alimentis & aliis quæ

familiam admiserit: in civitatibus pœnæ potestatis civilis subjacet: ubi familia segrex fuerit, expelli inde poterit. Sed ubi delictum in ipsam familiam segregem sit admissum a domino etiam per extrema coerceri poterit. Cap. 4.

IV. In istos autem *servos, qui bello capti* fuerant, a plerisque durius agi cœptum, quod hostilis adhuc iræ quid in eo superesset, & quia ipsi extrema nobis nostrisque fortunis intentaverant. Quamprimum tamen inter ejusmodi victorem victumque mutua fides circa consociationem in familiam intercessit, omnis antegressa hostilitas remissa censetur. Et tunc utique injuriam etiam taliter adquisito servo facit dominus, si vel necessaria ad victum non suppeditet, vel citra rationem in eum sæviat; multoque magis si citra condignum delictum eundem occidat.

Quæ in illum, qui bello captus est? c. iii. § 6.

V. Circa illos quoque servos, qui bellica vi in eam conditionem fuerant abstracti, nec non qui pretio emuntur, receptum, ut non secus ac aliæ res nostræ in quemcunque placeret transferri, & ad instar mercium venire possent. Sic ut ipsum *corpus servi domini esse* intelligeretur. Ubi tamen humanitas jubet, ut nunquam obliviscamur, servum utique hominem esse: adeoque nequaquam eum ita tractemus velut alias res nostras, quibus pro libitu uti abutique, easque destruere possimus. Et ubi talem servum alienare placet; ne iis data ope-

Servos quos, & qua lege, alienare liceat? c. iii. § 11

quæ vitæ necessitas exigit: posterior verò, quæ in diem est aut sub conditione, aut ad res certas. *De Jure B. & P.* L. II. c. v. § 27, 30.

Cap. 4. ra aut præter meritum addicatur, apud quos inhumana ipſum tractatio eſt manſura.

Vernæ quo jure fiant domini matris? c. iii. § 9.

VI. Denique & id paſſim receptum, ut quæ ex ſervis parentibus naſcitur *proles*, ſervilis & ipſa ſit conditionis, pertineatque tanquam mancipium ad dominum matris. Id quod iſthoc argumento defenditur, quod cujus eſt corpus, ejus quoque par ſit fructum eſſe, qui ex eo corpore provenit: Et quia iſta proles naſcitura plane non erat, ſi dominus jure belli in parentem uſus fuiſſet: Et quia parens nihil habet proprii, nulla ratio prolem ejuſmodi alendi ſupereſt, niſi ex bonis herilibus. Cum igitur dominus alimenta præbeat ejuſmodi proli diu ante, quam ipſius opera utilis eſſe queat, & ſequentes operæ ſui temporis alimenta non multum fere excedant; effugere eidem ſervitutem invito domino non licebit. Manifeſtum tamen eſt, cum ejuſmodi vernæ nulla ſua culpa in ſervitutem perveniant, nullum eſſe prætextum, quare iſti durius debeant tractari, quam conditio perpetuorum mercenariorum admittit [5].

CAP.

---

[5] Naturalis quidem ſervitus eorum, qui ex ſervis naſcuntur, axiomati iſti, *homines eſſe naturâ æquales*, directè adverſatur; quam ob cauſam opinionem auctoris omnino repudiamus. Qui in ſervitutem non conſenſerunt, nec juſto bello redacti ſunt, domino nullum in eos imperium competit. Præterea mitiorem conditionem proculdubio merentur, qui ex ejuſmodi ſervis nati ſunt, & præter culpam ſuam in hunc ſtatum devenerunt. Audiamus Grotium: "Romano jure "& jure gentium circa captivos, ut in beſtiis, ita in "ſervilis

CAP. V.

DE CAUSA IMPULSIVA CONSTITUENDÆ CIVITATIS.

I. QUanquam vix ſit jucunditatis quid atque commoditatis, quod per hactenus enumerata officia ſtatuſque obtineri non poſſe videatur; quare tamen mortales, non contenti parvis illis primiſque ſocietatibus, magnas ſocietates, quæ *civitatum*[1] nomine veniunt, conſtituerint, jam inveſtigandum reſtat. Ex hiſce enim fundamentis deducenda eſt ratio officiorum, quæ ſtatum hominum civilem comitantur.

Officia in civitate, ex hujus ortu deducenda. L. vii. c. i.

II HEIC igitur non ſufficit dixiſſe; *Hominem per naturam ipſam rapi ad ſocietatem* civilem

Ad eam hominem eſſe natura pronum non ſufficit. c. i. § 3.

" ſervilis conditionis hominibus *partus matrem ſequitur*; " quod tamen juri naturali non ſatis congruit, ubi " pater aliqua ratione ſufficiente cognoſci poteſt. Ponamus autem, quo minor ſit difficultas, utrumque " parentem ſervitutem ſervire; & videamus, an naturaliter partus ſervilis futurus ſit conditionis. Certe ſi alia nulla fuerit ratio educandi partum, potuerunt parentes prolem ſibi naſcituram in ſervitutem " ſecum addicere: quippe cùm tali ex cauſâ etiam in " libertate natos vendere parentibus liceat. Sed cum " hoc jus naturaliter ortum ducat ex ipſâ neceſſitate, " extra eam non eſt jus parentibus prolem ſuam cuiquam addicere." *De Jure B. & P.* L. II. c. v. § 29.

[1] *Concilia cætuſque hominum jure ſociati civitates appellantur.* CIC. Somn. Scip. c. iii.

Cap. 5. *civilem*, ut citra eam nec possit, nec velit vivere. Sane enim cum apertum sit, hominem esse tale animal, quod seipsum & suam utilitatem quam maxime amat; necessum est, ut dum ultro societatem civilem affectat, aliquam utilitatem inde sibi proventuram respexerit[a]. Et quanquam extra societatem cum sui similibus homo erat futurus animal longe miserrimum: tamen cum naturalibus desideriis & necessitatibus hominis per primas societates, & per officia ex humanitate aut pactis praestita, abunde potuerit satisfieri; non statim ex socialitate hominis inferri potest, ejus indolem praecise ad societatem civilem ferri.

Triplex in hanc rem consideratio.

III. Id quod planius fiet, si consideremus, quaenam *conditio ex constitutis civitatibus* apud homines proveniat; Quid requiratur, ut quis *vere* dici queat *animal politicum*, i. e. *bonus civis*; Quid denique deprehendatur *in natura hominis, indoli vitae civilis repugnans.*

Primo, conditionis ex hac societate provenientis;

IV. Qui *civis* fit, libertatis naturalis jacturam facit, ac imperio se subjicit, quod jus vitae & necis complectitur; & cujus jussu plurima facienda, abs quibus quis alias abhorrebat; & omittenda, quae vehementer adpetebat. Pleraeque etiam actiones ad bonum societatis referendae, quod saepe a bono singulorum

---

[a] Similiter Cicero: "Hanc ob causam maxime ut "sua tenerent, resp. civitatesque constitutae sunt. "Nam etsi *duce naturâ* congregabantur homines, ta-"men spe custodiae rerum suarum urbium praesidia "quaerebant." *De Offic.* II. xxi. Male autem statuit

rum videtur diſcrepare. Atqui ad hoc per inclinationes jam congenitas fertur homo, ut nemini ſubjectus eſſe, ut omnia ſuo agere arbitrio, ut proprio commodo in omnibus velificari velit. Cap. 5.

V. *Animal vere politicum* [3], i. e. *bonum civem* illum dicimus, qui juſſis imperantium promte paret, qui ad bonum publicum omnibus viribus connititur, ac poſt illud privatum bonum lubenter habet; imo qui nihil ſibi bonum credit, niſi idem bonum quoque ſit civitati; qui denique adverſus alios cives commodum ſeſe gerit. Atqui paucorum ingenia ultro ad hunc finem attemperata inveniuntur: maxima pars metu pœnæ utcunque continentur; multi per totam vitam mali cives, & animalia non politica manent. *Tum, requiſitorum animalis politici;*

VI. Denique *nullum homine animal ferocius*, aut indomitum magis, & quod in plura vitia pacem ſocietatis perturbare apta ſit proclive. Præter deſideria enim cibi, Venerisque, quibus bruta quoque ſolent committi, multis homo agitatur vitiis, quæ bruta ignorant; uti eſt ſuperfluarum rerum inſatiabilis cupido, & ſæviſſimum malorum, ambitio. Vivax item nimis injuriarum memoria, & vindictæ ardor, longo poſt tempore adhuc glicens. Nec non *Tum, naturæ humanæ vitæ civili repugnantis.*

---

tuit Hobbesius *De Cive*, c. i. § 2. congreſſum omnem ſpontaneum vel egeſtate mutuâ conciliari, vel captandâ gloriâ, & has *ſolas* eſſe cauſas ſocietatis quærendas.

[3] Ἄνθρωπός ἐςι φύσει ζῶον πολιτικόν. *Homo naturâ eſt animal politicum.* Aristot. Polit. L. I. c. ii.

E e infinita

Cap. 5. infinita diſſimilitudo inclinationum & adpetituum, & cuique pro ſtudio ſuo extollendo pervicacia. Accedit, quod eo furore in proprium genus ſævire gaudeat homo, ut maxima pars malorum, quibus humana conditio vivit obnoxia, ab ipſo homine proficiſcatur [4].

Cauſa civitatis conſtituendæ, vitæ ſecuritas. c. i. § 7.

VII. Genuina igitur & principalis cauſa, quare patresfamilias, deſertâ naturali libertate, ad civitates conſtituendas deſcenderint, fuit; *ut præſidia ſibi circumponerent contra mala, quæ homini ab homine imminent.* Nam uti poſt Deum O. M. homo homini plurimum prodeſſe; ſic & idem non minus obeſſe poteſt. Et recte malitiam hominum, ejuſque remedium æſtimant, qui in proverbii vicem receperunt: niſi judicia eſſent, unus alterum devoraret. Poſtquam autem per civitates in talem ſunt digeſti ordinem homines, ut a mutuis læſionibus tuti eſſe poſſent; ultro deinde conſecutum fuit, ut eo uberius fruerentur commodis, quæ ex hominibus in homines provenire apta ſunt; puta, ut moribus a puero imbuerentur commodioribus, & varias invenirent atque excolerent

---

4 In tribus noviſſimis ſectionibus auctor Hobbesii veſtigia maximè inſequitur. Conf. *De Cive*, c. i.

5 De origine civitatum ſimilia tradidit Cicero: "Mihi quidem non apud Medos ſolum, ut ait Herodotus, ſed etiam apud majores noſtros, juſtitiæ "fruendæ cauſâ, videntur olim bene morati reges "conſtituti. Nam cum premeretur inops multitudo "ab iis qui majores opes habebant, ad unum aliquem "confugiebant, virtute præſtantem, qui cum proh-

" bere

lerent artes, quibus vita humana copiosa & commoda fuit reddita [5].

Cap. 5.

VIII. ILLUSTRIOR adhuc fiet causa constituendæ civitatis, si consideremus, *alia media non fuisse suffectura* reprimendæ hominum malitiæ. Quanquam enim *lex naturalis* præcipiat, ut ab omnibus injuriis inferendis homines sese abstineant [6]; tamen ejus legis reverentia id præstare non potest hominibus, ut in libertate naturali satis tuto degere queant. Etsi enim forte dentur homines animo ita modesto, ut ne impunitate quidem data alios violare velint; alii quoque metu proventuri inde mali cupiditates suas utcunque compescant; magna tamen ex adverso eorum turba datur, quibus omne jus vile est, quoties spes lucri arriserit, & fiducia propriarum virium, aut solertiæ, qua repellere aut eludere læsos sese posse sperent. Quos uti nemo non cavere nititur, qui salutem suam amat: ita cautio illa commodius, quam ope civitatum obtineri nequit. Nam utut aliqui mutuo fidem dederint de auxiliis invicem ferendis; ni tamen adsit aliquid, quo & judicia eorum uniantur, & voluntates firmiter adstringantur ad explendam fidem; frustra ab

Quam per sese homini non præstat lex naturæ; c. i. § 8.

" beret injuriâ tenuiores æquitate constituendâ, summos " cum infimis pari jure retinebat." *De Offic.* II. xii.

[6] Etiamsi auctor in plurimis HOBBESIUM sequitur; ex hisce tamen plane patet eum longe ab impiâ hujus hypothesi abhorruisse, quæ docet λῃστρικὴν, seu *rapto vivere,* in statu naturali, non esse contra legem naturæ. Conf. *De Cive,* c. v. § 2.

Cap. 5. iisdem certum auxilium sibi quis promittit.

Neque Numinis metus, & morsus conscientiæ.

IX. Denique licet lex naturalis hominibus satis insinuet, non impune laturos, qui alios injuria affecerint : tamen neque *metus divini Numinis*, neque *conscientiæ morsus* sat validam deprehenduntur vim habere quorumvis hominum malitiæ coercendæ. Nam apud multos educationis & consuetudinis vitio vis rationis velut obsurdescit. Unde fit, ut illi præsentibus tantum immineant, futurorum parum curiosi ; ac non nisi iis moveantur, quæ in sensus incurrunt. Cum autem vindicta divina lento fere pede soleat incedere ; inde pravis mortalium præbetur occasio ad alias causas impiorum mala referendi ; præsertim cum sæpe videant, improbis affatim adesse, queis vulgus felicitatem metitur. Accedit, quod stimuli conscientiæ, qui facinus antecedunt, non ita validi videantur, quam qui idem subsequuntur, quando id, quod factum est, infectum amplius fieri nequit. Enimvero pravis cupidinibus reprimendis præsentaneum, & ad indolem hominum probe attemperatum remedium in civitatibus reperitur.



CAP.

CAP. VI.

DE INTERNA CIVITATUM STRUCTURA.

I. PROXIMUM est, ut investigemus, qua ratione civitates sint extructæ, earundemque *interna compages* cohæreat. Ubi illud primo manifestum est, adversus mala ab hominum pravitate imminentia singulis hominibus neque locum aliquem, neque arma, neque animantia bruta commodius & efficacius præsidium potuisse suppeditare, quam *alii homines*. Eorum autem vis cum in longe distantia non feratur, necessum erat *conjungi* per quos finis iste obtinendus erat. *Avertendis malis utilis conjunctio hominum:* L. VII. c. ii.

II. NEC minus constat, ejusmodi securitatem adversus alios homines præstare non posse duorum vel trium consensionem. Quia facile est, ut ad paucos hosce opprimendos tot conspirent, ut certissimam sibi de illis victoriam spondere possint; quibus spes successus & impunitatis fiduciam ad aggrediendum est datura. Igitur ad istum finem necessarium est, *insignem hominum multitudinem* sese conjungere; ut paucorum hominum ad hostes accessio, non sit ipsis conspicui momenti ad victoriam. *Neque eorum paucorum, sed bene multorum;* c. ii. § 2.

III. INTER multos istos, hoc fine coeuntes, oportet ut sit *consensus circa adhibenda media ad eundem finem idonea.* Nam etiam multi, ni consentiant inter se, sed distracti sententiis in *Per eadem media in eundem finem conspirantium.* c. ii. § 3.

Cap. 6. in diversa tendant, nihil efficient. Aut licet ad tempus consentiant, impellente aliquo affectu, mox tamen, prout mutabilia sunt hominum ingenia & inclinationes, in diversa abibunt. Et quamvis pacto inter se promittant, quod ad defensionem communem vires suas sint adplicaturi; tamen ne hoc quidem modo ad diuturnitatem isti multitudini sat cautum erit. Sed oportet ut quid amplius accedat, ut qui semel ad pacem & mutuum auxilium causa communis boni consenserint, prohibeantur, ne postea, cum bonum suum privatum a publico discrepare visum fuerit, iterum dissentiant.

Huc spectat voluntatum sub una potestate unio. c. ii. § 5.

IV. Cæterum in humano ingenio *duo* potissimum occurrunt *vitia*, quæ impediunt, quo minus multi sui juris, & abs se invicem non dependentes, diu in communem aliquem finem possint conspirare. Unum est *diversitas inclinationum & judicii* circa discernendum, quod ad finem est utilissimum; cui in multis est conjuncta *hebetudo* ad dispiciendum, quæ sententia ex pluribus sit magis proficua; & *pervicacia* mordicus defendendi, quod semel utcunque arriserit. Alterum est *torpor & aversatio* ultro faciendi quod utile est, ubi desit aliqua necessitas, quæ tergiversantes velint nolint ad officium faciendum subigat. Priori vitio occurritur, unitis in perpetuum voluntatibus omnium: posteriori autem, si constituatur aliqua potestas, quæ præsens, & in sensus incurrens, malum infligere possit communi utilitati reluctantibus.

V.

Cap. 6.

Unio voluntatum qui obtineatur?

V. *Uniri multorum hominum voluntates* nulla alia ratione possunt, quam si unusquisque suam voluntatem voluntati unius hominis, aut unius consilii subjiciat; ita ut deinceps pro voluntate omnium & singulorum sit habendum, quicquid de rebus ad securitatem communem necessariis ille voluerit.

Unio virium sub aliqua potestate qui fiat?

VI. *Potestas* autem talis, quæ omnibus sit *metuenda*, itidem inter multos homines nulla alia ratione constitui potest, quam si omnes & singuli sese obligaverint, ut eo modo vires suas sint adplicaturi, sicut ille voluerit, in quem omnes virium suarum directionem resignarunt. Ubi autem & voluntatum & virium unio facta fuerit, tunc demum multitudo hominum in validissimum corpus, civitatem nimirum, animatur.

Eo pertinet pactum singulorum cum singulis: c. ii. § 7.

VII. PORRO ut civitas *regulari modo* coalescat, requiruntur *duo pacta*, & *unum decretum*. *Primo* enim omnium illi multi, qui in libertate naturali constituti intelliguntur, ubi ad civitatem faciendam congregantur, inter se *singuli cum singulis pactum* ineunt, ut in unum & perpetuum cœtum coire velint, suæque salutis ac securitatis rationes communi consilio ac ductu administrare; uno verbo, ut velint concives mutuo fieri. In quod pactum omnes & singuli ut consentiant necessum est; & qui non consenserit, is extra futuram civitatem manet.

Et decretum de forma regiminis:

VIII. *Post* isthoc pactum oportet, ut *decretum* fiat, *qualis forma regiminis* sit introducenda. De hac enim antequam constitutum

sit,

Cap. 6. ſit, nihil conſtanter poterit expediri, quod ad communem ſalutem faciat.

Denique, pactum inter cives & imperantem. c. ii. § 8.

IX. Post decretum circa formam regiminis, *altero pacto* opus eſt, quando conſtituuntur ille vel illi, in quem, vel quos regimen naſcentis civitatis confertur: quo quidem pacto hi ad curam communis ſecuritatis & ſalutis, reliqui ad obſequium his præſtandum ſeſe obſtringunt; quo ipſo etiam omnes ſuam voluntatem ſubjiciunt voluntati iſtius vel iſtorum ſimulque ſuarum virium uſum & adplicationem ad communem defenſionem eidem, vel iiſdem deferunt. Atque hoc pactum *ubi* rite fuerit exſecutioni datum, tunc demum perfecta & regularis civitas inde provenit [1].

Civitatis natura & definitio ex traditis. c. ii. §13.

X. Civitas ita conſtituta ad modum *unius perſonæ* concipitur, unoque *nomine* ab omnibus particularibus hominibus diſtinguitur, atque dignoſcitur, habetque peculiaria *jura* ac *res* proprias, quæ neque ſinguli, neque multi, neque

---

[1] Hanc auctoris doctrinam perſtringunt Titius & Barbeyraccius; præcipuè eo nomine, *quod ex falſâ hypotheſi reſultat, quaſi ingens hominum multitudo, civitatis condendæ cauſâ convenerit, aut omnes vel primæ ſaltem civitates libero conſenſu conſtructæ ſunt; quarum neutra tamen eſt veritati conſentanea, quoniam vis eſt civitatum origo valde probabilis.* Quæ quidem omnia, ſalvâ auctoris doctrinâ, facile concedi poſſunt. Non enim quæritur quænam ſit *de facto* civitatum origo, ſed quid de earum origine præcipit jus naturale, Quod ſi vero rationi & philoſophiæ conſona ſit theoria, quam noſter propoſuit, quod quidem negari non poteſt, nihil omnino valet, ſi vix ullum deprehendere poſſumus exemplum civitatis, quæ regulariter & per ejuſmodi pacta

neque adeo omnes simul citra eum, qui summum habet imperium, seu cui regimen civitatis commissum, sibi asserere possunt. Unde CIVITAS *definitur* quod sit *persona moralis composita, cujus voluntas ex plurium pactis implicita & unita, pro voluntate omnium habetur, ut singulorum viribus & facultatibus ad pacem & securitatem communem uti possit*[2].

Regimen civitatis vel uni homini; c. ii. §14.

XI. EXSERIT autem sese *voluntas civitatis*, tanquam principium actionum publicarum, vel *per unum hominem*, vel *per unum concilium*, prout in illum aut hoc summa rerum fuit collata. Ubi penes unum hominem est regimen civitatis, civitas velle intelligitur, quodcunque isti homini (cui sanam rationem constare præsupponitur[3]) placuerit, & quidem circa negotia quæ ad finem civitatum spectat.

Vel concilio ex pluribus collecto commissum. c. ii. §15.

XII. VERUM ubi regimen civitatis collatum est in concilium, ex pluribus hominibus constans, quorum quisque suam retinet voluntatem

---

pacta expressa coaluerit. Conf. LOCKE *de Civ. Imp.* P. II. c. vii. ALG. SIDNEY *de Civ. Imp.* c. iii.

[2] Hanc definitionem ex HOBBESIO *de Cive*, c. v. § 9. desumpsit noster, quam non satis esse accuratam notavit TITIUS, cùm *civitatem & imperantem* confundat. Aliam ipse affert in *Specim. Juris Publ.* L. VI. c. vii. § 14. Accipe autem *Grotianam*. *Civitas est cœtus perfectus liberorum hominum juris fruendi & communis utilitatis causâ sociatus.* De Jure B. & P. L. I. c. i. § 14. Quæ ab ista CICERONIS haud multùm differt, quam supra attulimus ad cap. v. not. 1.

[3] Recte addit, *cui sana ratio constet*; cui adjungit TITIUS, *juxta præscriptum legum fundamentalium.*

Cap. 6. tatem naturalem; regulariter illud habetur pro voluntate civitatis, in quod consenserit *major pars* hominum, ex quibus concilium componitur [4]; nisi expresse statutum sit, quota pars concilii consentiens requiratur ad repræsentandam voluntatem universitatis [5]. Ubi autem duæ sententiæ discrepantes pares sint, nihil agetur, sed res in priori statu manebit [6]. Inter plures sententias discrepantes illa prævalebit, quæ singulis dissentientibus major est; modo in eam tot conspirent, quot alias voluntatem universitatis per sanctiones publicas repræsentare possunt [7].

Membra civitatis, imperans & civis. c. ii. § 19.

XIII. Civitate ita constituta, ille in quem imperium est collatum, prout vel est unus homo, vel unum concilium paucorum aut universorum, *Monarcha*, *Senatus*, aut *Populus liber* dicitur; reliqui *Subditi* audiunt, aut *Cives*, vocabulo hoc *latius* accepto. Etsi pressius illi quibusdam duntaxat cives soleant dici, quorum coitione & consensu primo civitas coaluit, aut qui in horum locum successerunt; nempe patresfamilias. Sunt porro *cives* vel *originarii* vel *adscititii*. Illi sunt, qui

---

4 Similiter Grotius: Pars major nomine universitatis obligant singulos, qui sunt in societate. *De Jure B. & P.* L. II. c. v. § 17.

5 Sic in Polonia una vox negativa contra cæteras omnes ita valebit, ut re infectâ concilium dissolvatur.

6 Nova vis requiritur ad novum effectum creandum; unde paribus sententiis æquum est res manere *in statu quo*. Senec. *Epist.* 81. *Reus sententiis paribus absolvitur.*

vel

vel initio civitati nascenti interfuerunt, vel qui ex hisce sunt geniti; quos etiam *indigenas* adpellari mos est. Hi autem sunt, qui civitati jam constitutæ extrinsecus accedunt eo fine, ut fortunarum ibi sedem figant. Nam qui tantum ad tempus commorandi causa in civitate versantur, etsi tantisper ipsius imperio subjiciantur; cives tamen non habentur, sed peregrini aut inquilini vocantur.

Imperium civile quo sensu à Deo sit? c. iii.

XIV. ISTA tamen, quæ super origine civitatum tradita sunt, non obstant, quo minus *imperium civile a Deo* esse recte dicatur. Cum enim idem legem naturalem ab omnibus hominibus exerceri velit; & vero post multiplicatum genus humanum tam horrida vita inter homines proventura fuerit, ut legi naturali vix ullus relinqueretur locus; cujus tamen exercitium per institutas civitates egregie promovetur: ergo (cum qui jubet finem, jubere etiam censeatur media ad finem necessaria) Deus quoque mediante dictamine rationis antecedenter præcepisse humano generi multiplicato intelligitur, ut civitates, quæ summo imperio velut animantur, constituerentur [8]. Quarum

[7] Exempli causâ: Si tres voces steterint pro unâ parte, quatuor pro alterâ, & quinque pro tertiâ, tum vincet, quæ quinque habet: si modo tot sint voces conspirantes, quot ex legibus civitatis universitatem repræsentare possunt. In plerisque societatibus requiritur, ut major pars totius numeri conspiret.

[8] Qui verò contendunt civile imperium à Deo oriri, quiddam prorsus diversum significatum esse volunt; viz.

Cap. 6. rum ordinem quoque in divinis literis [9] expresse adprobat, ejusque sanctimoniam peculiaribus legibus sancit, sibique illud peculiariter curæ esse testatur.

CAP. VII.

DE PARTIBUS SUMMI IMPERII.

Partes summi imperii variæ: L.vii.c.iv.

I. QUÆ *Partes* sint summi imperii, & quibus modis ejusdem sese vis in civitatibus exserat, ex natura & fine earundem liquido potest colligi [1].

Potestas scilicet ferendi leges: c. iv. § 2.

II. IN civitate omnes suam voluntatem submiserunt voluntati imperantium circa negotia ad salutem civitatis facientia, ut velint facere quicquid illi voluerint [2]. Hoc ut fieri possit, necessum est, ut *imperantes civibus significent,*

viz. immediatè & specialiter à Deo fundatum esse sine pactis aut ullo humano actu interveniente : unde hujusce opinionis defensores inviolabilem quandam majestatem & sanctitatem regibus inesse quasi cælitus dimissam, sibi in mente persuadeant: quam quidem sententiam argumentis tam ex sacris literis quàm ex lumine naturali petitis stabilire aggressi sunt regii imperii fortissimi assertores ; quales fuerunt HOBBESIUS, FILMERUS, LESLEIUS, & alii. Sed nil nisi nugas agunt. Ex iis quæ supra dicta sunt, facilè patebit civile imperium aliunde originem duxisse ; & neminem nisi consentientem alieno imperio subjici. Sed de hâc quæstione videsis LOCKE *de Civili Imp:* Vid supra *Histor. Juris Nat.* § 51 ; p. 73.

que

quæ ipsorum circa talia sit voluntas. Istud igitur faciunt non solum *per mandata ad singulos* directa circa negotia particularia; sed etiam *per generales regulas*, unde omnibus in perpetuum de agendis omittendisve constet. Per quas etiam definiri solet, quid cuique suum, quid alienum censeri debeat; quid in civitate pro licito, quid pro illicito, quid pro honesto aut inhonesto habendum [3]: quid cuique ex libertate naturali supersit, aut quomodo quisque usum suorum jurium ad tranquillitatem civitatis temperare debeat; quid denique & quo modo quisque suo jure ab altero exigere queat. Hæc omnia enim liquido definita esse, ad decus & tranquillitatem civitatis plurimum facit.

Cap. 7.

III. Is porro potissimus civitatum finis est, ut homines mutua conspiratione & ope tuti sint adversus damna & injurias, quæ ab hominibus

Et interminandi atque infligendi pœnas: **c. iv. § 3.**

9 " Notandum est (inquit GROTIUS) homines non " Dei præcepto sed sponte adductos experimento " infirmitatis familiarum segregum adversus violentiam " in societatem civilem coiisse; unde ortum habet " potestas civilis, quam ideo humanam ordinationem " PETRUS vocat: (1 *Ep.* ii. 13.) quanquam alibi & " divina ordinatio vocatur, quia hominum salubre " institutum Deus probavit." (*Rom.* xiii. 1.) GROT. *De Jure B. & P.* L. I. c. iv. § 7.

1 Conf. GROT. *De Jure B. & P.* L. I. c. iii. § 17.

2 Quæ de legibus in genere ferendis supra dicta fuerunt (L. I. c. ii.) huc etiam applicari possunt.

3 De iis scil. rebus, quas in medio reliquit lex divina: quod obiter monendum esse duxi, ne confundatur nostri

Cap. 7. minibus invicem inferri possunt & solent. ut obtineatur ab hominibus, quibuscum eandem societatem conjungimur, non suffici ut mutuo inter se paciscantur de injuriis no inferendis; neque etiam ut nuda superior voluntas civibus innotescat: sed opus est me *pœnæ, & facultate eandem repræsentandi*. Quæ pœna, ut huic fini sufficiat, ita est temperanda, ut aperte majus malum sit leges violasse, quam observasse; utque adeo pœnæ acerbitas voluptati aut lucro, quod ex injuri capitur aut speratur, præponderet. Nam non possunt homines non ex duobus malis minus eligere. Licet autem multi per imminentem pœnam ab injuriis non reprimantur, id tamen inter minus frequentia habendum est; quæ plane evitare conditio humana non patitur [5].

IV.

---

nostri doctrina cum impietate Hobbesianâ, quæ fas & nefas, honestum & turpe omnino ab arbitrio principis pendere docet. Hobbes. *de Cive*, c. VI. § 9. Vid. è contra Cudworth. *de Æternâ* & *Immut. Moralit.*

4 Hinc oritur jus vitæ & necis. Vid. *infra*, cap. xiii.

5 Addendum est justam dari proportionem inter delictum & pœnam, quam observare debent legislatores; & quoad hanc proportionem imprimis respiciendum esse ad damnum, [quod sustinebit civitas ex crimine perpetrato; ut quo majus hoc sit, eo graviores pœnas subiret delinquens. Porro pœnas remittere potest imperator, si modo lex quiddam duri præcipiat, vel utilitas reip. id suadeat. V. *supra*, L. I. c. ii. § 10.

6 De imperantis facultate judiciariâ, quæ à nonnullis *jurisdictio* vocatur, pauca hic notanda veniunt, quæ ex

Bud.

Cap. 7.

IV. QUIA etiam sæpe controversiæ super recta legum adplicatione ad facta singularia oriri solent, ac multa accurate expendenda occurrant, si quid contra leges factum esse dicatur: inde, ut inter cives tranquillitas constet, summi imperii est *lites civium cognoscere & decidere*, singulorumque facta, quæ legibus contraria arguuntur, examinare, ac pœnam legibus convenientem dictitare & exsequi [6].

Et lites civium decidendi. c. iv. § 4.

V. UT autem qui in civitatem coiverunt adversus extraneos tuti sint, summi imperii est *congregare*, *unire*, & *armare* tot cives, aut eorum loco conducere, quot pro incerto numero & viribus hostium ad communem defensionem opus visum fuerit; rursusque ubi expedierit pacem facere [7]. Cumque & belli & pacis temporibus inserviant *fædera*, ut & commoda diversarum civitatum melius communicari possint, & validior hostis junctis vi-

Etiam potestas belli & fæderum: c. iv. § 5.

BUDDEO supplebimus. " Ut judicium rite procedat, " ratio postulat, ut primò adsit *accusator*. Perinde " autem est, sive accusatio fiat à læso, sive ab illis, qui " publicâ auctoritate ad hoc sunt constituti. Deinde " ut accusato concedatur *defensio*, ne non auditus " damnetur. Huc pertinent *advocati*. Præterea si " causa non sit liquida, ut instituatur *inquisitio*. Hæc " autem instituatur per *testes*, *jusjurandum*, &c. *Tortura*, " ut vocatur, non tam ad inquisitionem, quàm ad delicti " confessionem est comparata. Denique *sententia* feratur, & quidem secundum *acta* & *probata*. Si conscientia judicis repugnet, iterum & quidem accuratiori studio inquisitio instituatur." *Phil. Pract.* P. II. c. iv. S 13. § 25.

[7] Vid. *infra*, cap. xvi.

Cap. 7. ribus repelli, aut in ordinem redigi queat; penes ſummum quoque imperium erit, utrique tempori inſervientia fœdera inire, univerſoſque ſubditos ad ea ſervanda obſtringere, ſimulque exinde redundantia commoda in civitatem derivare [8].

Nec non creandi magiſtratus: c. iv. § 6.

VI. Cum etiam civitatis amplæ negotia, tam belli quam pacis tempore occurrentia, ab uno homine ſine *miniſtris* & *magiſtratibus* exſecutioni dari nequeant; opus erit ab ſummo imperio conſtitui homines, qui ipſius vice controverſias civium examinent, vicinorum conſilia explorent, milites gubernent, opes civitatis colligant, & diſpenſent, ac denique utilitati civitatis undique proſpiciant. Quos ipſos ſummus imperans ad officium faciendum compellere, geſtorumque rationes poſcere poteſt ac debet [9].

Imperandi tributa & vectigalia: c. iv. § 7.

VII. Quia porro nec belli nec pacis tempore civitatis negotia ſine *ſumtibus* geri poſſunt, ſummi imperii eſt adigere cives, ut eoſdem

[8] Vid. *infra*, cap. xvii.

[9] Vid. *infra*, cap. xi. § 9.

[10] Vid. *infra*, cap. xi. § 10.

[11] De jure imperantis *in rebus ſacris* gravis eſt inter eruditos contentio: neque noſtri eſt tantas lites componere, Sed ne quæſtio intacta maneat, ſententiam cl. Buddei, quæ mihi maxima ex parte arridet, lectoribus ſiſtam. " Ut rite intelligatur, quouſque ſummo " imperanti hoc competat, duo ſunt obſervanda: pri" mo imperantem tum abſolute *ut imperantem*, tum ut " *imperantem Chriſtianæ religioni addictum* poſſe conſi" derari, ſed in ipſa reipublicæ adminiſtratione, hæc debere

dem suppeditent. Id quod variis modis contingit; puta, si vel cives aliquam bonorum aut proventuum regionis abs se insessæ partem ad hos usus seponant, vel singuli cives de suis bonis conferant, simulque ubi opus sit operas suas præbeant; vel si vectigalia imponantur mercibus, quæ importantur, & exportantur (quorum illud tamen magis cives, hoc exteros onerat) aut si de pretio rerum, quæ consumuntur, modica pars decidatur [10]. Cap. 7.

VIII. DENIQUE cum singulorum actiones a sua cujusque opinione regantur; plerique autem de rebus ita soleant judicare, prout assueverunt, & prout communiter judicari vident; paucissimi proprio ingenio vera & honesta dispicere queant: inde civitati expedit, ut publice ejusmodi *doctrinis* personet, quæ cum recto fine & usu civitatum congruunt, simulque animi civium à puero istis imbuantur. Ejusmodi igitur doctrinas qui publice doceant, summi imperii est constituere [11]. *Disponendi de publicis doctrinis.* c. iv. § 8.

IX.

" debere esse conjunctissima: deinde religionem " Christianam quoad *externa*, directione quadam opus " habere, sed hanc directionem ita instituendam esse, " ne indoli & naturæ hujus religionis adversetur. " Hæc adeo clara esse arbitror, ut à nemine in dubium " vocari possint.

" Hisce præmissis, assero, primo summum imperantem obligatum esse ut impediat, ne religio talis introducatur, quæ statum civitatis evertere, aut tranquillitatem per se turbare possit: multo minus itaque " *atheismo* locum concedet, cum hic palam saluti civitatis adversetur: deinde summum imperantem *ut*

 Chri-

Cap. 7.

Quæ imperii partes natura sunt indivisæ. c. iv. § 11.

IX. Sunt autem istæ partes summi imperii naturaliter ita *connexæ*, ut, siquidem regularis forma civitati constare debeat, omnes & singulæ penes unum radicaliter esse debeant. Nam si una vel altera plane absfuerit, mancum erit imperium, nec ad finem civitatis pro-

---

" *Christianum*, obligatum esse, ad salutem æternam " suorum civium promovendam, & hunc in finem illi " omnem operam navandam esse, ut vera religio flo- " reat; sed per vim eam propugnare nequit, cum na- " tura veræ religionis hoc non exigat, nec permittat; " interim impedimenta, quæ obstant quo minus flo- " reat, aut in integritate sua conservetur, recte remo- " vere potest: non autem summi imperantis est " *prædicare verbum, administrare sacramenta, &c.* nam- " que nec natura reipublicæ, nec officium summi " imperantis, nec indoles Christianæ religionis hoc " requirunt.

" Hæc cum satis manifesta sint, haud difficulter " quibus partibus jus majestatis circa sacra, absolvatur, " intelligitur. Nimirum, summus imperans curare " debet, ut idonei *ministri* constituantur, sed ita ut " invitis nemo obtrudatur, nisi manifesta sit auditorum " malitia: Summus imperans corruptam ecclesiam " quoad mores, & quoad dogmata, *reformare* potest: " Summus imperans ad religionem quandam amplec- " tendam neminem cogere potest: si nova *hæresis* " ingruat, prohibere doctoribus potest, ne nova dog- " mata disseminent, nisi forte pacta specialia obstent, " quod si nihilo secius id faciant, punire eos potest; " quidni enim hanc malitiam ut cætera delicta rem- " publicam turbantia, punire posset? *Seductos* in qui- " bus nulla est malitia, punire nequit, præsertim si " error per se rempublicam non turbet; omnem tamen " operam navare debet, ut in rectam viam revocen- " tur: Summus imperans *ceremonias & ritus sacros* præ- " scribere potest, in quantum cum ipsa religione non " pugnant:

procurandum idoneum. Sin autem istæ dividantur, ita ut quædam radicaliter sint penes unum, reliquæ penes alium; irregularem remp. & male cohærentem emergere necessum est [12]. Cap. 7.

C A P.

" pugnant: huc & pertinet *indictio festorum, &c.* " Summus imperans recte convocat *concilia*, eadem dirigit, iisdem præest, & illorum decretis vim obligandi civilem addit; *disputationibus* quoque de rebus sacris modum, limites, & formam præscribere potest: qui sacris operantur, omnino summo imperanti, sunt subjecti, hoc enim requirit reipublicæ salus: " Ad summum imperantem pertinet administratio suprema *bonorum ecclesiasticorum*, constat enim quod bona ecclesiastica revera sint publica, adeoque summi imperantis, ad certos saltem usus destinati, hinc & urgente necessitate ea abalienare, aut in alios convertere usus, potest. Qui autem temere hoc facit, animum Numinis & religionis contemptorem palam prodit. Denique & constitutio *fori ecclesiastici* huc pertinet. De cæteris autem ex hactenus dictis judicium ferri potest.

" Ita ergo cum intelligatur, quænam juris hujus sint partes, nunc quod soli imperanti hoc competat, probo: primo quia natura civitatis requirit, ut omnium rerum & negotiorum suprema administratio sit penes summum imperantem: deinde, quia nec natura religionis, nec ecclesiæ Christianæ requirit, ut penes alium quam supremum imperantem sacrorum sit dispensatio; & denique quia exemplis, & auctoritate veteris ecclesiæ, idem comprobari potest."
Phil. Pract. P. II. c. iv. S. 13. § 19—22. Vid supra Hist. Juris. Nat. not. 88. p. 80.

12 Sed nil vetat quo minùs imperium inter plures dividatur, ut forma sit *Aristocratia*, vel *mixta Monarchia*; & ut diversis imperii partibus diversæ constituantur potestates. Sic in Britanniâ suprema potestas

 Regi

CAP. VIII.

DE FORMIS RERUMPUBLICARUM.

Formæ rerump. variæ. L. VII. c. v.

I. SUMMUM imperium, prout vel in *uno homine* vel *in uno concilio ex paucis aut universis constante* reperitur, diversas formas rerump. producere solet.

Vel regulares vel irregulares. c. v. § 2.

II. SUNT autem *formæ civitatis* vel *regulares* vel *irregulares*. Illæ sunt, ubi imperium summum in uno subjecto ita est unitum, ut illud indivisum & inconvulsum ab una voluntate per omnes civitatis partes atque negotia sese dispenset. Ubi hoc non deprehenditur, irregularis forma civitatis erit.

Illæ Monarchia, Aristocratia, Democratia. c. v. § 3.

III. CIVITATIS *regularis tres* sunt *formæ*. Prima, quando summum imperium est penes unum hominem; & dicitur *Monarchia*. Altera, quando summum imperium est penes concilium ex selectis duntaxat civibus constans; & vocatur *Aristocratia*. Tertia, quando summum imperium est penes concilium ex universis patribus-familias constans; & appellatur *Democratia*. In prima is, qui re-

---

Regi & consilio optimatum & populi (quod *Parliamentum* vocant) competit; attamen *Regi* soli quædam potestates peculiariter adhærent, v. g. jus belli & pacis, administratio legum; & similiter quædam *Parliamento*, v. g. jus indicendi tributa; & quædam utrique conjunctim, v. g. jus leges ferendi & abrogandi.

rum

rum potitur, dicitur *Monarcha*; in secunda, *Optimates*; in tertia, *Populus*. Cap. 8.

IV. In omnibus hisce formis potestas quidem est eadem. Sed in eo insignem habet *commoditatem* monarchia præ reliquis formis, quod in ea ut deliberetur & decernatur, i. e. ut imperium actu exerceatur, non opus sit temporibus & locis condictis, sed quovis loco & tempore deliberari & decerni possit; sic ut Monarcha semper in proxima sit potentia ad actus imperii exercendos. Sed ut Optimates & Populus, qui non sunt una persona naturalis, decernant, necessum est, ut certo loco & tempore conveniant ibique super negotiis publicis deliberent & decernant: cum alio modo voluntas senatus ac populi, quæ ex conspirantibus majoris partis sententiis resultat, cognosci nequeat [1].

Monarchiæ præ aliis commoditas. c. v. § 9.

V. Cæterum uti circa alia jura, ita & circa summum imperium contingit, ut id alicubi bene, alicubi pravè & imprudenter administretur. Unde fit, ut aliæ civitates *sanæ*, aliæ *morbidæ* & *corruptæ* dicantur: etsi propter istiusmodi morbos, peculiares formas aut species rerumpublicarum comminisci necessum

Vitia civitatis, aut hominum, aut status. c. v. § 10.

[1] Singulæ civitatum formæ & commoda & incommoda sibi adjuncta habent: de quibus auctores plurima disceptarunt. Neque tamen (ut cum Ottone loquar) magna hujus disceptationis est utilitas: nam optima forma est, quæ cum genio populi cujusque maxime convenit. Est quoddam genus naturâ factum ad herum recipiendum, aliud ad regem, aliud reip. aptum, & æqualitatis amans, ut pulchrè Aristoteles exemplis docuit, *Polit.* L. VII. c. vii.

Cap. 8. non ſit. Eorum autem morborum, quibus civitates infeſtantur, alii *in hominibus*, alii *in ipſo ſtatu* hærent. Inde alia *vitia hominum*, alia *vitia ſtatus* audiunt.

Vitia hominum in Monarchia.

VI. *Vitia hominum in Monarchia* ſunt, ſi, qui ſolium obtinet, regnandi artibus deſtituitur, nullaque aut non ſufficiente reipubl. cura tangitur, eamque pravorum miniſtrorum ambitioni aut avaritiæ lacerandam proſtituit; ſi ſævitia & iracundia idem eſt terribilis; ſi etiam citra neceſſitatem remp. in caſum dare gaudet; ſi quæ ad tolerandos ſumptus reip. conferuntur, luxu, aut per inconſultas largitiones diſſipat; ſi pecunias civibus extortas præter rationem accumulat; ſi contumelioſus, ſi injuſtus eſt; & ſi quæ ſunt alia, per quæ mali nomen principis comparatur.

Vitia hominum in Ariſtocratia.

VII. *Vitia hominum in Ariſtocratia* ſunt, ſi per ambitum, pravaſque artes via in ſenatum patet viris improbis aut ineptis, excluſis melioribus; ſi optimates factionibus diſtrahuntur; ſi plebe tanquam mancipiis abuti, & bona civitatis augendo privato patrimonio intervertere ſtudent.

Vitia hominum in Democratia.

VIII. *Vitia hominum in Democratia* ſunt, ſi inepti & turbulenti homines turbulenter & importune ſententias ſuas tueri ſolent; ſi egregiæ & reip. non prægraves virtutes opprimuntur; ſi per levitatem leges temere figuntur atque refiguntur, & quæ modo placuerunt mox citra rationem diſplicent; ſi ſordidi & inepti homines rebus gerendis præficiuntur.

IX. *Vitia*

IX. *Vitia hominum*, quæ *in quamvis civitatis speciem* cadunt, ſunt; ſi, quibus imperii adminiſtratio incumbit, officio ſuo negligenter aut prave funguntur; & ſi cives, quibus ſola obſequii gloria relicta eſt frænum mordent. *Vitia hominum in quavis forma.*

X. Ast *Vitia Status* ſunt, ubi leges aut inſtituta civitatis non ſunt attemperata ad genium populi, aut regionis; aut ubi eadem cives diſponunt ad turbas internas, aut ad juſta vicinorum odia incurrenda; aut ſi eoſdem ineptos reddunt ad obeundas functiones, quæ reip. ſervandæ ſunt neceſſariæ: puta, ſi per leges civitatis non poſſint non in imbellem ſegnitiem reſolvi, aut inidonei ad pacem ferendam reddi; aut ſi leges fundamentales ita ſint diſpoſitæ, ut per eas negotia publica non poſſint non tarde aut difficulter expediri [a]. *Vitia ſtatus nonnulla notata.*

XI. Morbidis ejuſmodi rebuſpubl. multi peculiaria quoque vocabula adplicant; ita ut vitioſa Monarchia vocetur *Tyrannis*; vitioſus ſtatus paucorum *Oligarchia*; vitioſus ſtatus popularis *Ochlocratia*. Etſi frequenter contingat, ut multi per iſthæc vocabula *non tam morbum reip. quam ſuum affectum aut diſplicentiam* in præſentem ſtatum, imperanteſve exprimant. Sæpe enim, cui vel Rex vel ſtatus Monarchicus diſplicet, Tyrannum aut Dominum ſolet vocare etiam legitimum & bonum principem, præſertim ubi is leges ſevere exſequitur. Sic & cui dolet Senatu ſe excludi, *Tyrannis, Oligarchia, Ochlocratia, quæ? c. v. § 11,*

[a] Ut in *Poloniâ*, ubi in concilio (quod *Diet* appellant) omnium ad unum conſenſus requiritur, ut quidam ratum ſit.

Cap. 8. cum tamen aliis senatoribus inferiorem sese hautquaquam arbitretur; per contemtum & invidiam ὀλίγους illos vocat, q. d. paucos quosdam, qui cum nulla re cæteros emineant, in pares tamen aut meliores non sine fastu imperium exerceant. Denique superbo homines ingenio, & quibus æqualitas popularis invisa est, ubi in Democratia pari omnes jure de republ. suffragia ferre vident cum tamen in quavis civitate plebis maximus sit numerus; Ochlocratiam id vocant, q. d. statum, ubi vilis turba rerum potitur, nec egregiis viris, quales ipsi se ducunt, aliqua prærogativa relinquitur.

Reipublicæ irregularis variæ species. c. v. § 14, 15.

XII. *Respublica irregularis* est, in qua non ita perfecte unio illa, in qua essentia civitatis consistit, deprehenditur; idque non per modum morbi, aut vitii in administratione reip. hærentis; sed ut publica lege aut consuetudine ea velut legitima sit recepta. Cum autem aberrationum a rectitudine infiniti esse modi queant, non possunt etiam irregularium rerump. certæ & definitæ species constitui. Indoles tamen ejus ex uno aut altero exemplo plane potest intelligi. v. g. Si in aliqua republica senatus & populus summo utrinque jure

[3] Hic autem recte notat Otto non ideo labe aut vitio adspergi remp. quod irregularis est. Irregularis forsan vocabitur regni Britannici forma, (quippe quod in eo suprema potestas regi, optimatibus & populo conjunctim attribuatur) quam tamen optimè constitutam esse compertum fuit. Ipse Cicero remp. tripliciter temperatam optimè constitutam judicavit. Sic

jure negotia publica tractent, ita ut neuter alteri obnoxius ſit. Aut ſi in regno aliquo procerum potentia ita invaluerit, ut regi deinceps non alio modo, quam inæquales fœderati ſubſint[3]. Cap. 8.

XIII. *Syſtemata civitatum* vocamus, ubi plures perfectæ civitates aliquo peculiari vinculo ita connectuntur, ut ipſarum vires fere pro unius civitatis viribus haberi queant. Exſurgunt autem ſyſtemata *duplici* potiſſimum *modo*: uno per communem Regem, altero per fœdus. *Syſtema civitatum duplex.* c. v. § 16.

XIV *Mediante communi Rege ſyſtema* emergit, quando plura ſeparata regna vel ex conventione, vel ex occaſione matrimonii, hæriditatis, aut victoriæ, unum & eundem habent regem: ita tamen ut ideo in unum regnum non coaleſcant, ſed ſingula juxta ſuas leges fundamentales a communi rege adminiſtrentur. *Aliud emergens ex communi rege;* c. v. § 17.

XV. *Altera ſpecies ſyſtematum* provenit, quando plures civitates vicinæ *perpetuo fœdere* ita connectuntur, ut aliquas partes ſummi imperii, quæ præcipue defenſionem contra extraneos ſpectant, non niſi conſenſu omnium exercere velint, ſalva manente de cætero ſingularum civitatum libertate & independentia[4]. *Aliud ex plurium perpetuo fœdere* c. v. § 18.

Sic enim ſcribit *de Rep.* apud NONIUM: *Statuo eſſe optime conſtitutam remp. quæ ex tribus illis generibus, regio optimatum & populari confuſa modicè, nec puniendo irritet animum, immanem ac ferum, nec omnia prætermittendo licentia cives deteriores reddat.*

[4] Ut in *Belgio Fœderato*, cujus ſingulæ provinciæ propriam remp. conſtituunt; & omnes in rebus communis defenſionis contra extraneos conjunguntur.

CAP.

CAP. IX.

De Affectionibus Imperii Civilis.

Imperium civitatis summum est. L. VII. c. vi.

I. HABET hoc omne imperium, quo universa aliqua civitas regitur in qualibet reip. forma; ut sit *summum*, i. e. in sui exercitio a nullo homine tanquam superiore dependens, sed ex proprio judicio & arbitrio sese exserens, sic ut ejusdem actus a nemine tanquam superiori queant irriti reddi [1].

Adeoque in terris independens. c. vi. § 2.

II. Inde etiam est, quod idem imperium sit ἀνυπεύθυνον [2], seu *nemini mortalium obstrictum ad reddendas rationes* eo cum effectu, ut si eas alteri non adprobaverit, pœnis humanis aut coercitioni, velut a superiore profectis, eo nomine sit obnoxium [3].

[1] Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. I. c. iii. iv.
[2] Aristot. *Polit.* L. IV. c. x.
[3] Conf. Hobbes. *De Cive*, c. vi. § 14.
[4] Illud imperatorem præclarè admonet Claudianus. *De Cons. Honor.* iv. 296.

In commune jubes si quid, censesque tenendum,
Primus jussa subi; tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Authorem parere sibi: componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.

III. Cui

III. Cui conjunctum est, ut idem summum imperium *legibus humanis & civilibus*, ut talibus, *sit superius*, iisdemque adeo directe non obstringatur. Istae enim leges a summo imperio tam in origine, quam in duratione dependent. Inde fieri non potest, ut per istas idem obligetur; cum alias idem seipso superius foret. Etsi ubi summus imperans quaedam civibus lege injunxerit, quorum materia in ipsum quoque cadit, decorum sit & ad autoritatem legi addendam proficuum, ut ad eadem iste ultro sese componat [4].

Legibusque civilibus superius: c. vi. § 3.

IV. Habet denique & peculiarem *sanctimoniam* summum imperium, ut non solum ejus jussis legitimis resistere nefas sit, sed & ejusdem asperitas, non secus atque a probis liberis parentum morositas, a civibus sit patienter ferenda. Quin & ubi atrocissimas injurias intentaverit, singuli potius fuga sibi consulent, aut quantamcunque calamitatem sustinebunt, quam ferrum in durum quidem, sed tamen parentem patriae stringent [5]

Sanctumque, cui resistere nefas. c. vi. § 5.

V. Prae-

---

5 Regem timendum & honorandum esse omnes boni fatentur & suadent; etiam malum & injuriosum diu tolerandum, nec facile tentanda ultima remedia. Itaque nequaquam audiendi sunt, qui summos imperantes, quoties imperio suo male utuntur, protinus coercendos esse docent. Non videtur autem omnino negandum jus populi ad injurias propulsandas; sed distinguendum est cum Barbeyraccio (ad Grotium, *De Jure B. & P.* L. I. c. iv. § 2.) inter injurias *dubias & tolerabiles*, & *manifestas* ac *intolerandas*. Quae prioris generis sunt, eas pati quisque debet, non propter principem,

Cap. 9.

Summum imperium alibi absolutum; c. vi. § 7.

V. Praeterea summum imperium, in Monarchiis potissimum & Aristocratiis, alicubi *absolutum*, alicubi *limitatum* deprehenditur. *Absolutum imperium* monarcha habere dicitur, qui illud administrare potest proprio ex judicio non ad normam certorum ac perpetuorum statutorum, sed prout praesens rerum conditio videtur exigere, quique adeo proprium ad arbitrium salutem reipubl. prout ejusdem tempora postulaverit, procurat.

Alibi certis limitibus circumscriptum. c. vi. § 9.

VI. Verum quia unius hominis judicium ab erroribus non est immune, & voluntas in prava

---

principem, qui ne quidem minimam injuriam inferendi jus habet, sed ne societas civilis turbetur. Posterioris autem generis nemo pati tenetur; easque repelli finis ipse civitatum constitutarum postulat: tantum abest ut vetet. Confitentem habemus ipsum Grotium, fortissimum regiae majestatis & inviolabilis sanctimoniae assertorem, casus summae necessitatis tacitam habere exceptionem, & in gravissimo & certissimo discrimine legem de non resistendo nos non obligare; adhibitâ tantùm cautione, in tali periculo personae regis parcendum. Qui se hostem populi totius profitetur, (verbis Grotianis utor) is eo ipso abdicat regnum. *De Jure B. & P.* L. I. c. iv. § 7, 11. Similiter Buddeus: Cum imperans hostilem erga rempublicam induit animum, atque in tyrannum degenerat, omnino ut illi resistatur, par est. Hoc natura & finis civilis societatis postulat, in quam homines coiverunt, non ut perderentur sed ut conservarentur. Multo magis hoc tum licet, si imperantis limitata sit potestas, atque status aut ordines regni in consortium summi imperii quodammodo veniunt. In eo tamen citra controversiam fallitur Grotius, dum populo jus puniendi principem seu summum imperantem tribuit. Cum enim Populus summo

prava flexilis, in tanta cum primis libertate; quibusdam populis consultum visum, ejus *imperii exercitium certis limitibus circumscribere* [6]. Id quod factum, dum ad certas leges circa administrationem partium imperii in delatione regni regem adstrinxerunt; & si quando negotia summam rerum spectantia, quæque in antecessum definiri nequeunt, inciderent, voluerunt ea suscipi non nisi præsciente & consentiente populo, aut ejusdem deputatis in comitia convocatis, ut eo minor occasio regi præbeatur a salute regni aberrandi. Cap. 9.

---

summo imperanti resistere potest, hoc fit per modum belli, non per modum judicii & pœnæ, quæ superiorem supponit. Populus autem non est superior summo imperante. Interim etiam quoad facultatem resistendi, quam populo tribuimus, certi observandi sunt gradus. *Primo* enim, cum summi imperantes aliquid jubent, quod legibus divinis adversatur, fas est non obedire. *Act* 4. 9. Sed non statim vim usurpare licet. *Deinde*, si ipse imperans vim addat, incipiatque sævire in innocentes, sed, ut hactenus remp. directè non pessundet, quidvis potiùs præsertim religionis causâ tolerandum, quam violenter resistendum est, exemplo christianorum primitivæ ecclesiæ. *Denique*, si non tantum in innocentes sæviat, sed leges etiam fundamentales violet & cuncta conturbet, tum demum ei ut hosti resistere licet. *Theol. Moral.* P. II. c. iii. S. 7. §9. Ut paucis dicam; urgente tantum summâ necessitate, i. e. cùm respublica aliter servari nequeat, supremo magistratui resistere licet.

[6] Manifestum est igitur id iniquè admodum statutum esse ab HOBBESIO, *Summum imperium neque viribus civitatis neque ullâ aliâ limitandum.* De Cive, c. vi. § 18.

VII. SOLET

Cap. 9

Regna habentur in patrimonio vel usufructu. § 14.-16.

VII. Solet denique in regnis occurrere aliquod discrimen circa *modum habendi* regnum, qui non in omnibus æqualis deprehenditur. Quidam enim reges dicuntur regnum suum habere *in patrimonio*, ita ut illud pro libitu dividere, alienare, transferre possint, in quemcunque voluerint. Quod potissimum continget illis, qui armis regnum sibi quæsivere, ac suum sibi populum ipsi fecerunt. Reliqui autem reges, qui ultro a populo sunt adsciti, etsi summo jure imperium exerceant; regnum tamen pro libitu dividere, alienare, aut transferre nequeunt; sed in eo ad successores demittendo legem fundamentalem, aut consuetudinem in populo receptam sequi tenentur; eoque a quibusdam certo respectu cum *usufructuariis* comparantur[7].

CAP. X.

De Modis adquirendi Imperium, *imprimis* Monarchicum.

Imperii adquirendi duplex modus: L. VII. c. vii.

I. Quanquam ad quodvis Imperium legitimum constituendum *consensus* subjectorum requiratur, is tamen non ubique

[7] Similiter Grotius: "Summum imperium dictator Romanus habebat jure *temporario*: Reges plerique tam qui primi eliguntur, quam qui electis legitimo ordine succedunt, jure *usufructuario*: at quidam reges *pleno jure* proprietais, ut qui justo bello imperium quæsiverunt, aut in quorum ditionem " populus

que pari modo elicitur. Interdum enim per *violentiam bellicam* aliqui adiguntur in victoris imperium consentire; interdum *ultro* ad aliquem principem constituendum cives accedunt[1]. Cap. 10.

II. *Modus* adquirendi imperii *violentus* solet vocari *occupatio*, quando scilicet aliquis, justa bellandi causa subnixus, favente vi armorum ac fortuna, populum aliquem eo redigit ut ipsius deinceps imperio sese subjicere cogatur. Cujus imperii legitimus titulus non inde solum deducitur, quod victor, si rigore belli voluisset uti, vitam plane victis adimere potuisset, atque sic, dum minore istos incommodo defungi patitur, clementiæ insuper laudem nanciscatur: sed & quod cum altero in bellum descendens, quem ipse antea læserat, & cui æquam satisfactionem præbere renuit, omnes suas fortunas aleæ martis exponat, sic ut jam in antecessum tacite consenserit in quamcunque conditionem, quam eventus belli ipsi est assignaturus.

Violentus per occupationem, ejusque titulus: c. vii. § 3.

III. *Ultroneo* autem *consensu* populi paratur regnum interveniente *electione*, qua populus constituendus, aut jam constitutus, ultro certum hominem, suo judicio imperii capacem, designat; cui quando decretum populi fuerit

Consensu, per electionem a populo factam. c. vii. § 6.

" populus aliquis, majoris mali vitandi causâ, ita se " dedidit ut nihil exciperetur. " *De Jure B. & P.* L. I. c. iii. § 11. Ubi rectè notat Barbeyraccius, re verâ nullum omnino regnum esse in *patrimonio*, nisi ex consensu expresso vel tacito populi.

[1] Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. vii

sig-

Cap. 10. significatum, idque ille acceptaverit, promisso populi obsequio imperium confertur.

Interregnum, ejusque incommodum. c. vii. § 7.

IV. Electionem in civitate jam constituta, siquidem illa suscipiatur rege priore defuncto, antecedere solet *interregnum*. In quo licet ad imperfectam formam recidat civitas, dum cives primo tantum pacto inter se connectuntur: multum tamen firmitatis ei adhuc addit nomen & affectus communis patriæ, civiumque plerorumque fortunæ isti loco fere affixæ; quæ bonos cives subigunt, ut ultro tantisper pacem inter se colant, & quantocyus ad plenum imperium instaurandum incumbant. Etsi magnopere ad incommoda, ex interregnis oriri apta, evitanda faciat, si in antecessum constituantur, penes quos solio vacante interim reip. administratio esse debeat [a].

Successio constituta arbitrio regis vel populi. c. vii. § 11.

V. Cæterum alicubi quidem singulis monarchis defunctis nova instituitur electio. Alicubi autem regnum ea lege in alterum confertur, ut citra novam intervenientem electionem in alios per successionem transeat. Illud jus successionis constituitur vel *arbitrio ipsius regis*, vel *arbitrio populi*.

In priori disponit monarcha pro libitu.

VI. *Reges*, qui regnum suum habent in patrimonio, pro libitu *super successione* possunt *disponere*; quorum dipositio æque ac privatorum testamentum observabitur, præsertim ubi abs aliquo regnum fuerit conditum ac partum. Ubi licebit ipsi, si placuerit,

---

[a] Ubi regnum hæreditarium est, non datur interregnum: unde vox illa in Britanniâ valet, *Regem non mori*.

regnum

regnum inter plures liberos dividere, etiam filiabus non exclusis; imo & hæredem instituere filium adoptivum, naturalem, aut qui nulla plane cognatione ipsi est junctus. Cap. 10.

VII. VERUM ubi ejusmodi rex super sua successione nihil peculiariter disposuit, *præsumitur*, Primo, eum nequaquam regnum suum secum exspirare velle, sed ut omnino in liberos suos propter communem mortalium affectum id devolvatur. Dein ut post ipsum monarchica forma conservetur, quippe quam ipse suo exemplo comprobavit. Tum ut regnum maneat indivisum; quippe cum divisio cum regni juxta & familiæ regiæ convulsione sit conjuncta. Præterea ut inter pares gradu mas præferatur fœminæ, primogenitus deinceps genitis. Denique ut liberis deficientibus ad proximum quemque sanguine regnum devolvatur.

Si nihil dispofuerit, quid præsumendum?

VIII. IN illis autem regnis, quæ ab initio ultronea populi voluntate fuit constituta, *ordo successionis originarie ab ejusdem populi voluntate* dependet. Qui ubi in regem una cum imperio jus quoque successoris constituendi contulerit, succedet quem hic voluerit. Ubi hoc non fuit factum, id jus populus sibi reservasse intelligitur. Cui si placuit in electum regem hæreditario jure regnum conferre, *ordinem succedendi* vel *simplicibus hæreditatibus consimilem*, quantum salus regni admittit, effecit; vel *peculiari* ipsum *ratione* temperavit.

Populus quando & qualem successionem definiat? c. vii. § 12.

IX. UBI *simpliciter populus regem jusserit hæreditario jure regnum obtinere*, nec quid peculiariter addiderit; voluit quidem, ut regnum

In hoc successionis genere nonnulla notanda.

Cap. 10. num eo ordine devolvatur, quo privatæ hæreditates; ſed non ſine aliquo temperamento. Nam in hiſce fere ut a privatis hæreditatibus diſcedat ſucceſſio in regnis, ſalus civitatum requirit, I. Ut regnum ſit individuum. II. Ut ſucceſſio ſtet intra eos, qui a primo rege deſcendunt. III. Ne ſuccedant, niſi qui nati ſunt ſecundum leges patriæ, non nothi tantum, ſed & adoptivi. IV. Ut in pari gradu mares præferantur fœminis, etiam majoribus natu. V. Ut ſucceſſor regnum agnoſcat tanquam beneficium populi, non tanquam beneficium anteceſſoris [3].

Succeſſio linealis in quo conſiſtat? c.vii.§ 13.

X. Verum quia facile inextricabiles controverſiæ oriri poterant, uter ex familia regnatrice nuper defunctum proxima cognatione contingeret, ubi ab autore ſtirpis longius diſceſſum fuerat; inde multos apud populos *ſucceſſio linealis* introducta eſt. Quæ in hoc conſiſtit, ut prout quiſque ab autore ſtirpis regnatricis deſcendit, ita lineam velut perpendicularem conſtituat; & inde quilibet ad regnum vocetur, prout ipſius linea alias præcedit; nec de una linea in alteram fiat tranſitus, quoad ex priore aliquis adhuc ſuperſit; licet forte exiſtat, qui propiore gradu proxime defunctum regem attingat [4].

Species ejus duæ, cognatica & agnatica.

XI. Successionis linealis uſitatiſſimæ ſunt

[3] Has regulas ex Grotio tranſtulit noſter. *De Jure B. & P.* L. II. vii. § 14—18.

[4] Talis ordo ſuccedendi in Britanniâ præſcriptus eſt.

ſpecies

species *Cognatica*, & *Agnatica*. In illa fœminæ non excluduntur, sed postponuntur maribus in eadem linea, ita ut etiam ad ipsas fiat regressus, si mares potiori aut pari gradu defecerint. Hæc autem fœminas, & ex hisce natos etiam mares in perpetuum excludit [5]. Cap. 10

XII. UBI super successione in regno patrimoniali controversia oriatur, optimum fuerit ad arbitros ex familia regia ire. Si successio fuerit voluntate populi constituta, declaratio populi dubium tollet. *Lites super successione à quo dirimendæ?* c. vii. § 15.

CAP. XI.

DE OFFICIO SUMMORUM IMPERANTIUM.

I. QUIBUS præceptis Officium Summorum Imperantium constet, ex indole ac fine civitatum, nec non expensis summi imperii partibus, perspicue colligitur. *Officia summi imperantis:* L. VII. c. ix.

II. UBI ante omnia requiritur, ut imperantes ipsi diligenter *discant, quæ ad plenam ejus officii cognitionem* pertinent; cum nemo laudabiliter exercere possit quod non probe *Ante omnia quid sui officii sit, bene novisse.* c. ix. § 2.

---

[5] Sic in Galliâ fœminæ ab imperio excluduntur ex lege *Salicâ*; quæ (teste GRONOVIO) exinde nomen sortita est, quod in terrâ *Salicâ* nulla portio hereditatis mulieri veniat; sed ad virilem sexum tota terræ hereditas perveniat.

 didicit.

Cap. 11. didicit. Unde principi sequestranda illa studia, quæ ad huncce finem nihil faciunt. Circumcidendæ quoque voluptates, oblectationes, vanæque occupationes, quatenus istum finem intercipiunt. Ideo & in familiaritatem admittendi viri cordati, rerumque humanarum periti: adulatores, nugatores, & qui præter inania nihil didicerunt, procul arcendi. Enimvero, ut generalia prudentiæ rectricis præcepta rite adplicare norit; quam penitissime ipsi conditio sui status, subjectique indoles populi est cognoscenda [1]. Illisque præterea virtutibus cumprimis studendum, quarum usus in tantæ molis administratione maxime conspicitur; moresque ad tanti fastigii dignitatem componendi [2].

Salutem populi summam legem habere. c. ix. § 3. III. Generalis lex summorum imperantium est hæc, *Salus populi suprema lex est* [3]. Ea enim intentione in istos imperium est collatum, ut per id procuraretur finis, ob quem civitates sunt institutæ. Inde credere iidem debent, nihil sibi privatim expedire, quod non idem expedit civitati.

Disciplinæ publicæ cives assuefacere. c. ix. § 4. IV. Ad internam civitatum tranquillitatem requiritur, ut voluntates civium ita temperentur, & dirigantur, prout saluti civitatis

[1] "Senatori est necessarium (inquit Cicero) nosse "rempublicam; id quod latè patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos socios habeat, quos "amicos, quos stipendiarios, quâ quisque sit lege, con"ditione, fœdere; tenere consuetudinem decernen"di, nosse exempla majorum." *De Leg.* III. xviii.

expedit.

expedit. Inde summorum imperantium est non solum idoneas ei fini *leges* præscribere; sed & *publicam disciplinam* ita sancire, ut non tam metu suppliciorum, quam assuetudine, cives ad legum præscripta sese componant. Ad quem finem quoque facit curare, ut doctrina Christiana, pura illa & sincera, in civitate vigeat; ac in scholis publicis talia dogmata tradantur, quæ cum fine civitatum conveniunt 4. Cap. II.

V. AD eundem finem expedit, perscriptas habere *leges perspicuas & planas* circa negotia, quæ frequentissime inter cives versari solent. Non tamen plura legibus civilibus sancienda sunt, quam ad bonum civitatis & civium conducunt. Nam cum de eo, quod facere vel non facere debent, sæpius per rationem naturalem, quam per scientiam legum homines deliberare solent; ubi plures leges sunt, quam ut facile memoria comprehendi queant; & per eas prohibeantur ea, quæ ratio per se non prohibet; necesse est, ut per ignorantiam sine ulla prava intentione incidant in leges, tanquam in laqueos. Quo ipso civibus per imperantes supervacuum incommodum conciliatur; quod est contra finem civitatum 5.

Leges claras nec nimis multas, ferre. c. ix. § 5.

---

[2] Vid. BARBEYRACC, ad opus majus. L. vii. c. ix. § 2. 3. qui ibidem plurima pulchra ac utilia de principum officiis collegit.

[3] CICER. *De Leg.* III. iii.

[4] Vid. *supra*, c. xii. § 8.

[5] *Corruptissima rep. plurimæ leges.* TACIT. Ann. III. xxvii.

Cap. II.

Exsecutionem, etiam per pœnas, procurare. c. ix. § 6.

VI. QUIA autem frustra feruntur leges, si impune eas violari tolerent Summi Imperantes; igitur horum est *exsecutionem* earundem procurare; utque quivis suo jure potiatur, citra lentas moras, elusiones atque vexationes, efficere: *pœnas* quoque sumere pro cujusque facti conditione, transgressorisque intentione & malitia: nec sine sufficiente causa veniam indulgere; cum iniquum sit & ad irritandos civium animos efficacissimum, æqualiter meritos, cæteris paribus, non æqualiter tractare [6].

Pœnas ad usum civitatis temperare. c. ix. § 7.

VII. UTI autem nihil pœnis sanciendum quod non ad usum civitatis facit: item *pœnæ* quoque sunt temperandæ, ut ad finem istum proportionem habeant, utque adeo cives non plus afflictionis, quam resp. utilitatis inde ferat. De cætero si scopum suum debent obtinere pœnæ, adparet eas eousque esse intendendas, ut acerbitas earundem præponderet lucro & delectationi, quæ ex facto legibus vetito redundare potest [7].

Civium inter se injurias prohibere. c. ix. § 8.

VIII. QUIA porro hoc fine in civitatem coiverunt homines, ut securitatem adversus injurias aliorum obtinerent; Summorum Imperantium est eo severius *civium inter se injurias prohibere*, quo faciliorem perpetua cohabitatio

[6] Conf. BUDDEI *Philos. Pract.* P. III. c. v. S. 5.

[7] Vid. *supra*, c. vii. § 3.

[8] Præclare de hâc re CICERO. "Nihil est exitiosius civitatibus, nihil tam contrarium juri & legibus,

bitatio occasionem ad lædendum præbet. Nec discrimina ordinum ac dignitatum eo valere debent, ut potentiores tenuioribus pro libidine insultare possint. Sed & scopo summi imperii adversatur, ut cives, quas sibi factas arbitrantur injurias, privata violentia exsequantur [a].

Cap. 11.

IX. PRÆTEREA quanquam ad omnia civitatis amplioris negotia immediate obeunda unus princeps non sufficiat, sic ut necessario *Ministri* in partem curarum sint vocandi: tamen uti hi omnem a summo imperante potestatem mutuantur; ita & bene & male ab ipsis gestorum imputatio ultimo demum in istum redundat. Quam ob rationem, & quia prout ministri sunt, ita recte aut prave negotia expediuntur; summi imperantes tenentur ad munia civitatis adhibere viros probos, & idoneos, & in eorum acta subinde inquirere; eos denique, prout rem gessisse deprehenduntur, præmiis vel pœnis mactare: quo cæteri intelligant, non minore fide ac diligentia publicam quam propriam rem tractandam. Sic & cum pravi mortalium ad scelera perpetranda spe impunitatis alliciantur; quæ ipsis præbetur facillima, ubi *Judices* corruptionibus patent; Summorum imperantium est, in ejusmodi judices, tanquam fautores scelerum, queis secu-

Ministros aptos, & prudentes, adhibere. c. ix. § 9.

" bus, nihil minùs civile & humanum, quam compo-
" sitâ & constitutâ rep. quicquam agi per vim. Parere
" jubet intercessori, quo nihil præstantius: impediri
" enim bonam rem melius, quàm concedi malæ."
De Leg. III. xviii.

Cap. 11. ritas civium abrumpitur, severe animadvertere. Præterea licet ordinaria negotiorum expeditio ministris credenda sit: summi tamen imperantes querelis ac desideriis civium patienter aurem præbere nunquam det[illegible]bunt [9].

Tributa ad necessitatem imperare. c. ix. § 10. X. CUM ad *Tributa* & alia onera ferenda cives nullo alio nomine teneantur, quam quatenus ista necessaria sunt ad sumtus civitatis belli pacisque tempore tolerandos; igitur summorum heic imperantium officium erit, non plus extorquere, quam necessitates, aut insignes reip. utilitates requirant; & quantum fieri potest, ita onera temperare, ut quam minime cives iisdem affligantur. Deinde ut justa in proportione describantur; nec aliquibus civibus immunitates concedantur in fraudem & oppressionem reliquorum. Tum quæ collecta fuerunt, in usus reip. impendantur: non per luxuriam, largitiones, superfluam ostentationem, aut inania dissipentur. Denique providendum, ut erogationes reditibus respondeant, & qua hi non pertingunt, a parcimonia & circumcisis sumtibus non necessariis subsidium petendum [10].

Rei familiari civium providere. c. ix. § 11. XI. QUANQUAM autem summi imperantes subditos alere non teneantur, (nisi quod eorum, qui per immeritam aliquam calamitatem seipsos sustentare non possunt, peculiarem curam agere caritas jubeat;) tamen quia non solum ex bonis civium colligendi sunt

9 Conf. BUDDEI *Philos. Pract.* P. III. c. v. S. 6.
10 Conf. [illegible]ADEUM *ubi supra.* S. 7.

sumtus,

fumtus, civitati confervandæ neceffarii; fed etiam robur civitatis in virtute & opibus civium confiftit: igitur illis, quantum in fe, providendum erit, ut *res familiaris civium* glifcat. Ad hunc finem facit cives difponere, ut quantum fieri poteft, uberem proventum ex terra & aquis capiant; ut, quæ apud ipfos proveniunt, materiis induftriam adhibeant; aut quem ipfi commode laborem obire poffunt, ab aliis non redimant: quod fit, fiquidem artes mechanicæ foveantur. Maximi quoque eft momenti mercaturam, & in regionibus maritimis navigationem excolere. Nec ignavia folum profcribenda, fed & ad parcimoniam revocandi cives per *leges fumtuarias*, queis fuperfiui fumtus prohibeantur, imprimis illi, per quos opes civium ad exteros transferuntur. Etfi majorem heic, quam quævis leges, efficaciam obtinent fummorum imperantium exempla [11].

Cap. 11.

XII. QUIA etiam fanitas ac firmitas interna civitatum ex *unione civium* provenit, quæ quo accuratior fuerit, eo majore cum efficacia vis imperii per univerfum fefe civitatis corpus difpenfat: igitur fummis imperantibus incumbit providere, ne in civitate *factiones* oriantur; neve quidam cives inter fe peculiaribus pactis connectantur; neve omnes aut aliqui ab ullo alio, five intra five extra civitatem conftituto, fub quocunque obtentu, facro aut profano, magis dependeant, quam a legitimo fuo

Omne factionum genus præcavere. c. ix. § 12.

[11] Conf. BUDDEUM, *ubi fupra*. S. 8.

Cap. 11. suo principe; & in nemine plus sibi præsidii, quam in eodem repositum arbitrentur.

Armis securitati civium prospicere. c. ix. § 13.

XIII. Denique cum status civitatum inter se sit pax satis infida; summorum imperantium est curare, ut *virtus civium, peritiaque armorum* alatur; & omnia, quæ ad vim repellendam requiruntur, mature parentur, munita loca, arma, milites, &, rerum gerendarum nervus, pecunia [12]. Ultro autem etiam posita justa belli causa nemo lacessendus, nisi tutissima arriserit occasio, & conditio civitatis commode id ferat. Eundem quoque ob finem consilia & molitiones vicinorum accurate exploranda & observanda sunt; nec non amicitiæ & fœdera prudenter contrahenda.

CAP. XII.

De Legibus Civilibus in Specie.

Legum civilium descriptio. L. VIII. c. i.

I. DISPICIENDUM quoque jam restat de partibus summi imperii in specie, & quæ circa eas peculiariter observanda occurrunt. Ubi primum locum occupant *leges civiles*, quæ sunt *decreta summi imperantis civilis*,

[12] Vid. *supra*, L. I. c. xiv.

[1] Conf. Grot. *De Jure B. & P. Proleg.* § 15.

[2] Istæ vero minùs propriè leges *civiles* vocantur; sunt enim præcepta juris *naturalis*.

[3] Vim & observantiam legibus naturalibus addere possunt civiles, propterea quod quorundam tam iniqua sit

lis, per quæ civibus injungitur, quid in vita civili facere, quidve omittere debeant [1]. Cap. 12.

II. Dicuntur autem leges civiles duplici potissimum respectu; vel *respectu autoritatis*, vel *originis*. Priori sensu leges civiles vocari possunt omnes leges juxta quas in foro civili jus redditur, undecunque demum illæ originem suam trahant [2]. Posteriori sensu leges civiles dicuntur, quæ primo a voluntate summi imperii civilis profectæ sunt, atque circa ea versantur, quæ jure naturali ac divino definita non sunt, sed ad peculiarem utilitatem singularum civitatum faciunt.

Duplici respectu eæ dicuntur tales.

III. Cæterum uti legibus civilibus nihil est sanciendum, quod non *ad commodum reip.* referatur: ita cum vitæ civilis decori & tranquillitati maxime expediat, legem naturalem a civibus probe observari; hinc summis imperantibus incumbit, isti vim atque efficaciam legis civilis impertiri. Nam apud plurimos mortalium tanta deprehenditur malitia, ut neque manifesta legis naturalis utilitas, neque metus divini Numinis ei reprimendæ sufficiat. Quo igitur utcunque vitæ civilis honestas servari queat, summum imperium efficere potest, legibus naturalibus vim legum civilium tribuendo [3].

Legi naturali adduunt vim & efficaciam;

---

sit indoles, ut plus pœnas hujusce vitæ quam futuræ metuant. Sed non ideo sequitur (quod malè statuit Hobbesius *De Cive*, c. xiv. § 9, 10.) legibus naturalibus totam obligandi vim à civilibus accedere, & magistratum omnino ex suo arbitrio definire posse, quid honestum & turpe sit, quid furtum, adulterium, homicidium, &c. Vid. *supra*, L. I. c. iii. § 1.

IV. Con-

Cap. 12.

Per adjectam scil. sanctionem pœnarum:

IV. Consistit autem *vis legum civilium* in hoc, ut præceptis de faciendo vel omittendo addatur *sanctio pœnalis*; sive ut definiatur, quæ pœna in foro civitatis sit mansura eum, qui facienda omiserit, aut fecerit omittenda. Qua sanctione pœnali quæ destituuntur leges naturales, in foro humano impune violantur, salva tamen vindicta tribunalis divini.

Et accommodatam ad eam actionem in foro.

V. Præterea quia vitæ civilis indoles non fert, ut quod quisque sibi deberi arbitratur, propriam per violentiam exigat: inde & in eo legi naturali subveniunt leges civiles, quod ad ea, quæ ex illa debentur, hæ *actionem* accommodant, cujus vi ista in foro civili per subsidium magistratus exigi possunt. Quam vim quæ per leges civiles non acceperunt, ab invitis extorqueri non possunt, sed solo debentium pudore & conscientia stant. Solent autem leges civiles illis potissimum obligationibus actionem accommodare, quæ per expressa pacta inter homines contractæ sunt. Cæteris, quæ ex indefinito aliquo officio legis naturalis debentur, fere actionem denegarunt, ut esset materia, qua virtutem suam exercerent probiores mortalium; insignemque pararent laudem, si citra coactionem recte fecisse videntur 4. Sæpe etiam tanti non fuit visum negotium, ut ideo prætor fatigaretur.

Legem naturæ adplicant & explicant.

VI. Cum etiam multa lege naturali indefinite

4 Hoc modo Cicero. "Aliter leges, aliter philo-"sophi; leges quatenus manu tenere possunt; philoso-"phi, quatenus ratione & intelligentia." *De Offic.* III. xvii. Similiter Seneca: "Multa legem non

nite præcipiantur, adplicatione in cujusvis arbitrio relicta; inde lex civilis ad decus & tranquillitatem civitatis ejusmodi *actionibus tempus, modum, locum & personas* assignare, aliasque circumstantias determinare, quandoque & præmiis homines ad eas suscipiendas allicere solet. Si quid etiam in lege naturali obscuri sit, legis civilis est *explicare*. Quam explicationem in agendo sequi cives tenentur; utut fortasse privata ipsorum opinio in diversum abeat. Cap. 12.

Negotiis per se liberis formam dant.

VII. Cum etiam plurimæ actiones per legem naturalem cujusque judicio & arbitrio sint relictæ, quas tamen in civitate uniformi modo temperari tranquillitatis & decoris publici interest: inde leges civiles ejusmodi actionibus & negotiis *certam formam* solent assignare; uti contingit in ultimis voluntatibus, in contractibus, & multis aliis. Ob eandem causam etiam leges civiles exercitium eorum jurium, quæ naturaliter competunt, circumscribere sueverunt.

Lex civilis conscientiam obligat.

VIII. Debent autem cives legibus civilibus, quatenus aperte juri divino non repugnant, *obtemperare*, non velut ex nudo pœnæ metu, sed ex intrinseca obligatione, per ipsum jus naturale confirmata: quippe inter cujus præcepta quoque est, legitimis imperantibus esse parendum [5].

IX. De-

" habent, nec *actionem*, ad quæ consuetudo vitæ huma-
" næ lege omni valentior dat aditum." *De Benef.* v. 21.

[5] Quæstio in scholis notissima est, *Utrum leges humanæ conscientiam obligent?* i. e. Utrum ita astringant aliquem ad

Cap. 12.

Peculiari jussui imperantis quibusque obediendum. c. i. § 6, 7, 8.

IX. DENIQUE non minus *peculiaribus jussis* summorum imperantium, quam legibus communibus cives obtemperare debent. Ubi tamen observandum est, utrum summus imperans civem quid jubeat facere tanquam *actionem civi propriam*; an vero mandet suscipere nudam *executionem actionis*, quæ propria imperantis esse debeat [6]. Nam posteriori casu necessitate ab imperante adhibita, citra proprium peccatum potest aliquid agere civis, quo patrato ipse imperans peccat [7]. Sed ut civis velut proprio nomine peccatum legi naturali & divinæ repugnans perpetret, fieri recte non potest. Inde est, quod si in bello etiam injusto civis jussu summi imperantis arma gerat, non peccet [8]. Sed si ejusdem jussu aliquis innocentem damnet, falsum testimonium dicat, calumniam alicui intentet, utique peccat. Nam civis militat nomine publico; sed proprio nomine judicat, testatur, accusat.

C A P.

---

ad obediendum (SANDERSONI verbis utor) ut si non pareat, non solum pœnæ temporali, aut legibus constitutæ, aut ex superioris arbitrio inferendæ obnoxius sit, sed & à propriâ conscientiâ velut neglecti officii contractæque inde offensionis Dei reus meritò redarguatur? Idem partem affirmativam acutè defendit. Vid. *De Obligatione Conscientiæ*, Præl. 5tam.

[6] Hæc distinctio negotium haud expedit. Nequit cogi voluntas, & Deo potius obediendum quam hominibus; unde ne minimum quidem malum patrandum est, ut bonum exinde eveniat.

[7] Nequaquam hoc admitti debet, si subdito constet actionem esse illicitam.

[8] Rectius judicat GROTIUS milites, si quidem constat ipsis injustam esse belli causam, abstinere omnino debere.

CAP. XIII.

De Jure Vitæ ac Necis.

I. SUMMO imperio civili in *vitam civium duplici modo jus* competit; *indirectè* vel *directè*: illud quidem *ad defensionem civitatis*. hoc autem *ad compescenda delicta* [1]. *Jus imperantis in vitam civium:* L. VIII. c. ii. iii.

II. Cum enim sæpe vis exterorum per vim sit repellenda, aut jus nostrum violenter ab ipsis vindicandum; licet utique summo imperio cives ad hoc negotii compellere: ubi de industria non id agitur, ut cives vitam amittant, sed duntaxat periculo mortis eorum vita exponitur [2]. Qualibus in periculis ut strenue & dextre sese cives gerere possint, summum imperium exercere eos & præparare debet. Nulli autem civi ejus periculi metu ad munia militaria sese inutilem reddere licet [3]. *Indirectum, periculo eam exponendi;* c. ii. § 1, 3, 4.

---

debere. *De Jure B. & P.* L. II. c. xxvi. § 2. Quod si dubitent utrum bellum sit licitum necne, principi parendum est; & nil obstat regula à Grotio allata, *quod dubitas ne feceris.* Vid. *supra,* L. I. c. i. § 6. not. *n.*

[1] Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. xx. Buddei *Phil. Pract.* P. II. c. v. S. 1.

[2] Hoc sequitur ex fine civitatis; qui duplex est. 1. Ut avertantur mala. 2. Ut compescantur delicta.

[3] *Augustus* (referente Suetonio, c. xxiv.) equitem Romanum, quod duobus filiis adolescentibus causâ detrectandi sacramenti pollices amputasset, ipsum bonaque subjecit hastæ. Et ad hoc flagitium reprimendum plurimæ leges latæ sunt ab imperatoribus, *Trajano, Theodosio, Constantino,* aliisque. Conf. Puf. *De Jure N. & G.* L. VIII. c. ii. § 3.

Et

Cap. 13. Et qui militiæ est adscriptus, hautquaquam assignatam stationem ex formidine deserere, sed ad extremum potius spiritum pugnabit, nisi intelligat imperantis voluntatem esse, ut potius vitam, quam locum conservet; aut locus iste tanti non sit civitati, quam vita istorum civium [4].

Directum adimendi per modum pœnæ. c. iii. § 1. III. Directe autem vitam civibus adimere potest summum imperium ob atrocia delicta, & per modum *pœnæ*; quæ tamen & in alia hominis bona cadit. Quo loco de natura pœnæ quædam in universum erunt exponenda.

Pœnæ rationem quænam habere possint. c. iii. § 4. IV. Est igitur Poena *malum passionis quod infligitur ob malum actionis* [5]; seu malum aliquod molestum, quod per modum coactionis

---

4 Hoc in loco meritò quæri potest, utrùm *civem innocentem liceat hosti ad certam mortem tradere, ut evitetur imminens reip. ruina?* Partem negativam tuetur noster in opere majori, L. VIII. c. ii. § 5. "Ut civitas "(inquit) eum in tyranni manum tradat aut ut eundem cogat quo seipsum dedat, neque fas esse neque "necessarium arbitror." Rectius (ut opinor) pro parte affirmativâ stat Grotius. Caritas & amor patriæ id à cive exigit, ut seipsum tradat; quoniam utilitati omnium plusquam unius alicujus aut suæ consulendum est. Quod si id facere tenetur, ad id recte cogi potest. "Superior (teste Grotio) cogere potest ad ea, quæ virtus quælibet præcipit, quia in "jure proprio superioris, qua superior est, hoc est "comprehensum. Sic in magna frumenti penuria cives cogi possunt, quod habent, in medium conferre: "quare & in nostra illa controversia verius videtur "cogi posse civem, ut id faciat, quod exigit caritas."

De

nis & pro imperio, intuitu antegressi delicti, alicui imponitur [6]. Licet enim sæpe alicui pœnæ loco imperentur quædam actiones; in iis tamen spectatur id, quod laboriosæ, & facienti molestæ sint, quodque agenti passio quædam per eas inferatur. Invitis autem pœna est infligenda, quia alias illa non obtineret finem suum, qui est, acerbitate sua homines a peccatis deterrere. Quem effectum non habent, quæ quis lubens admittit. Denique pœnæ rationem non habent mala, quæ in bello pugnave inter repugnandum inferuntur; quia non pro imperio: Neque quæ per injuriam quis patitur; quia non intuitu antegressi delicti inferuntur [7]. Cap. 13.

V. Si-

De Jure B. & P. L. II. c. xxv. § 3. Porro notandum est, ubi hostis potentior certos sibi cives *obsides* ad pacta quævis firmanda postulaverit; eos ad hoc onus suscipiendum adigi posse. Quod si illius, quicum paciscimur, aut nostræ civitatis nihil interest, è civibus quis obses fuerit; præcidendis querelis aptissimum erit sortem adhibere. *De Jure N. & G.* L. VIII. c. ii. § 6.

5 Definitio ex Grotio petita. *De Jure B. & P.* L. II. c. xx. § 1.

6 *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est.* Augusti Retr. I. ix.

7 Par in parem non habet imperium, ideoque pœnam propriè dictam ex auctoris definitione infligere non potest. Eadem ratione in statu naturali nemo pœnis humanis obnoxius esse potest, quoniam non datur superior. Hanc autem nostri doctrinam improbat Barbeyraccius, & longâ verborum ambage probare aggreditur pœnam à paribus in pares infligi posse. Eodem modo bellum *punitivum* esse posse statuit Grotius; & libertatem saluti suæ perpœnas consulend initrio

Hh penes

Cap. 13.

Imperanti competit jus puniendi. c. iii. § 7.

V. SICUTI autem libertas naturalis hoc habet, ut qui in ea constitutus præter Deum neminem habet superiorem, divinis tantum pœnis sit obnoxius: ita cum introducto inter homines imperio hoc quoque imperantibus salus societatum attribuit, ut ipsi malo repræsentato malitiam subjectorum coercere queant, quo plures homines securi invicem possint vivere.

In pœnis humanis respicienda utilitas: c. iii. § 8.

VI. ETSI autem in eo nihil videatur iniqui, ut malum patiatur, qui male egit: in pœnis tamen humanis non simpliciter respiciendum est, quodnam malum sit perpetratum; sed & quæ *utilitas ex pœna* possit provenire. Sicuti & nequaquam eo fine pœnæ exercendæ, ut læsus animum pascat, & voluptatem capiat ex dolore & supplicio lædentis; quippe cum hæc voluptas plane sit inhumana, & socialitati repugnans [a].

Aut peccantis, aut læsi, aut omnium. c. iii. § 9.

VII. *Genuinus pœnarum humanarum finis* est præcautio læsionum & injuriarum; quæ

---

penes singulos fuisse. *De Jure B. & P.* L, II. c. xx. § 40. Sed rectius, me judice, decernit noster; in eo quod facultatem delinquentes puniendi paribus non concessit. Proculdubio licita est defensio per violentiam contra injurias, licitum est bellum in eos, qui jura nostra violarunt; non autem per modum pœnæ, sed defensionis. Jure naturali, nemini alterius actiones dirigendi nedum puniendi competit facultas, in quem non habet imperium. Qui delictum aliquod admisit, pœnas luere debet; sed ab eo solo, cujus leges migravit. Neque adeo gens gentem punire recte potest, quoniam par est utriusque conditio; unde *bellum punitivum* GROTII figmentum recte haberi potest.

pro-

provenit, si vel in melius emendetur, qui peccavit; aut alii ejus exemplo, ne deinceps velint peccare; vel si ita coerceatur qui peccavit, ut non posset deinceps nocere. Id quod etiam ita potest exprimi; quod in pœnis respiciatur vel utilitas ejus, qui peccavit; vel ejus cujus intererat non fuisse peccatum, quique adeo per peccatum læsus fuit; vel indistinctim quorumlibet. Cap. 13.

VIII. Primum igitur in sumenda pœna respicitur *utilitas ejus, qui peccavit*, dum dolore pœnæ ipsius animus emendatur, & peccandi libido per eundem exstinguitur [9]. Quale genus pœnæ etiam in plerisque civitatibus in suos domesticos exercere patribus-familias relictum. Eo solo tamen fine ad mortem procedi posse non videtur; cum qui mortuus est, emendari nequeat [10]. *Quomodo utilitas peccantis?*

IX. Deinde in pœna versatur *utilitas ejus, qui læsus fuit*, ne tale quid in posterum ab eodem aut aliis patiatur. Quorum prius obtinetur, si vel tollatur, qui peccavit; vel vi- *Quomodo utilitas læsi?* c. iii. § 11.

---

[8] Scitè cecinit Claudianus, *Conf. Manlii* ver. 223.

Qui fruitur pœnâ, ferus est, legumque videtur
Vindictam præstare sibi: Diis proximus ille est,
Quem ratio non ira movet; qui facta rependens
Consilio punire potest———

[9] " Castigatio sincera & cum ratione aliquando ne-
" cessaria est. Non enim nocet, sed medetur specie
" nocendi. Ingenia vitio prava dolore corporis ani-
" mique corrigimus. Seneca de Ira. L. I. c. v.

[10] Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. xx. § 7.

Cap. 13. res nocendi, salva vita, ipsi adimantur; vel si malo suo dedoceatur delinquere. Posterius autem obtinetur pœna aperta & conspicua, cujusque adparatus ad terrorem aliis incutiendum aptus sit [11].

Quomodo utilitas omnium? c. iii. § 12.

X. DENIQUE in pœna *utilitas* quoque *omnium* quæritur, dum nempe id agitur, ut ne, qui uni nocuit, aliis deinceps noceat, vel ut exemplo territi cæteri a similibus patrandis abstineant. Quod pari modo atque prius obtinetur [12].

Pœnis humanis exempti actus interni: c. iii. § 14.

XI. QUOD si porro tum fines pœnarum tum conditionem generis humani consideremus; adparet, *non omnia peccata esse ejusmodi indolis, ut in foro humano ea puniri* omnino conveniat. Inde pœnis humanis eximuntur *actus mere interni*, i. e. cogitatio delectabilis de peccato aliquo, cupiditas, desiderium, destinatio citra effectum; etsi postea per subsequentem confessionem ad notitiam aliorum perveniant. Nam cum ejusmodi motu interno nemini noxa inferatur, nullius quoque hominis interest, ut ob eundem quispiam puniatur [13].

Et lapsus minutissimi:

XII. DURUM quoque nimis foret pœnis humanis subjicere *minutissimos lapsus*, quos in isthac

---

[11] Ibid. § 8.

[12] Ibid. § 9. Add. SELDEN, *De Jure Nat.* L. I. c. iv.

[13] Id tamen non obstat (teste GROTIO) quò minùs actus interni quatenus in externos influunt, in æstimationem

isthac naturæ conditione non datur effugere, quantamcunque attentionem quis adhibere instituat [14]. Cap. 13.

XIII. PRÆTEREA multos actus dissimulant leges humanæ *ob tranquillitatem civitatis*, aut *alias ob rationes:* puta, si splendidior futurus sit actus, ubi ex intuitu pœnæ non videatur susceptus; aut ubi operæ pretium non sit judices inquietari, aut si obscurissimæ res sit disceptationis, aut si inolitum plane malum citra convulsionem civitatis tolli nequeat. *Et quæ ferre jubet civitatis tranquillitas:*

XIV. DENIQUE & a pœna humana eximi necesse est illa *vitia animi, ex corruptione mortalium communi resultantia*, quæ ita frequentia reperiuntur, ut defuturi essent, quibus imperaretur, si severis ista pœnis plectere velis, quousque in enormes actus non eruperunt: ut est ambitio, avaritia, inhumanitas, ingratus animus, hypocrisis, invidia, superbia, iracundia, simultas, & similia. *Aut communis hominum corruptio.*

XV. NEQUE tamen si quæ peccata sint patrata pœnis humanis idonea, semper necessum est pœnam exigi. Quin aliquando contingit, ut delinquentibus recte peccati *Venia* fieri possit. Id quod tamen citra graves causas fieri non debet. Inter quas sunt, si fines pœnarum in certo casu non videantur necessarii; aut si venia majorem quam pœna producere *Venia quibus casibus recte fiat?* c. iii. § 15.

---

tionem veniant non sui propriè, sed actuum externorum, qui inde meriti sui accipiunt qualitatem. *Ibid*, § 18.

[14] Ibid. § 19.

Cap. 13. utilitatem ſit idonea; aut ſi fines pœnarum alia via commodius obtineri poſſint. Item ſi qui deliquit alleget ſua aut ſibi conjunctorum eximia in rempubl. merita, peculiari præmio digna; aut ſi ab alia quapiam inſigni re commendetur, puta, a raro aliquo artificio; aut ſi ſpes ſit fore, ut peccatum illud egregiis factis eluatur; præſertim ubi aliqua ignorantia, licet non plane inculpabilis, intervenerit, aut ſi particularis ratio legis in aliquo facto ceſſaverit. Sæpe quoque ob multitudinem peccantium venia eſt danda, ne ſuppliciis civitas exhauriatur [15].

Delicti gravitas unde ſit æſtimanda? c. iii. §18-22.

XVI. *Gravitas* autem *delictorum* æſtimatur ex objecto in quod peccatum fuit, prout illud nobile & pretioſum habetur: item ex effectu, prout multum aut parum damni in remp. inde redundat: & denique ex pravitate intentionis, quæ ex variis indiciis colligitur; puta, ſi facile potuit reſiſtere cauſis, quibus quis ad peccandum fuit impulſus; aut ſi præter communem rationem peculiaris quædam acceſſit, quæ a peccando debebat abſterrere; aut ubi circumſtantiæ ſingulares factum aggravant; aut ſi animum quis habuerit idoneum ad reſiſtendum

[15] Ibid. § 21, &c.

[16] Ordinem delictorum quoad objecta ſic inſtituit noſter. 1. Præ cæteris maximè deteſtanda habetur actio quæ directe in Dei contumeliam tendit. 2. Quæ univerſam hominum ſocietatem tangit. 3. Quæ publicum civitatis ordinem perturbat. 4. Quæ ſingulos homines tangit. Ubi in foro civili primo loco ſtatuitur vita, quæ eſt fundamentum omnium bonorum temporalium; tum

dum peccatorum illecebris. Sed & conside- Cap. 13.
rari solet, primus quis, an aliorum exemplo seductus; semel, an sæpius, & post consumtas frustra admonitiones quis peccaverit [16].

Unde definiendum pœnæ genus & quantitas? c. iii. §23, 24.

XVII. Quod tamen *pœnæ genus* & *quantum* præcise singulis peccatis sit infligendum, penes summum imperium civile est definire; quod heic unice utilitatem reipubl. præ oculis habere debet. Unde fieri potest & solet, ut eadem pœna imponatur duobus delictis inæqualibus. Nam quæ æqualitas judicibus circa reos observandos præcipitur, illa intelligenda est de reis, qui idem specie delictum commiserunt: hactenus, ut quod in uno vindicatur delictum, alteri citra gravissimam causam condonari non debeat. Etsi autem quantum fieri potest, homo in hominem lenior esse debeat: interdum tamen pœnas exasperari salus civitatis, & securitas civium jubet; puta, si contra gliscentia vitia asperiore medicina opus sit, aut ubi delictum aliquod reip. sit perniciosissimum. Id autem omnino observandum circa magnitudinem pœnarum, ut illæ tantæ sint, quantæ sufficiant ad reprimendam libidinem mortalium, qua feruntur in peccatum, in quod pœ-

---

tum membra non vitalia, citra quorum usum vita nisi miserrima trahi non potest, quæ pro nobilitate sui usus æstimantur. 5. Quæ familias privatorum, quarum fundamentum est matrimonium, perturbat maculatve. 6. Quæ perdit aut avertit alias res expetibiles, vitæ necessitatibus aut commoditatibus inservientes; idque vel directè vel indirectè dolo malo causam damni dando. 7. Denique quæ famam aut existimationem civilem destruit. *De Jure N. & G.* L. VIII. c. iii. § 18.

Cap. 13. næ constituentur. Tum etiam, ne exigantur graviores pœnæ, quam legibus definitæ sunt; nisi atrociores circumstantiæ factum aggravent [17].

In hoc attendenda persona peccantis: c. iii. § 25.

XVIII. Quia tamen eadem pœna non omnes æque afficit, adeoque apud omnes non parem effectum producit circa reprimendam peccandi libidinem; inde tam in generali pœnarum designatione, quam earundem ad singulos adplicatione, respicienda est *persona ipsius delinquentis*; & in eadem illæ qualitates, quæ sensum pœnæ augere vel minuere possunt; puta ætas, sexus, status, opes, vires, & similia [18].

Ob delictum alienum nemo puniendus: c. iii. § 23.

XIX. Porro uti ob alienum delictum in foro humano pœna proprie dicta nemo potest affici: ita si *ab universitate aliqua delictum sit admissum*, eo non tenebitur, qui in id non consenserit. Atque inde isti dissentienti nihil poterit eripi, quod nomine & beneficio universitatis non obtinebat. Etsi ex occasione punitæ universitatis & innocentes incommodum sentire soleant. Exspirant quoque delicta universitatum, quando nemo amplius superest eorum, queis consentientibus & cooperantibus illud delictum fuit patratum.

XX.

---

[17] Vid. *supra*, c. vii. § 3. not. 5.

[18] Huc spectat illud Juvenalis *Sat.* VIII. 140.

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò major qui peccat habetur.

[19] Non autem pœnas sed infortunium subeunt. Unde facile intelligi potest, quâ ratione Deus (salvâ ejus justitiâ

XX. Id tamen frequenter contingit, ut *alienum delictum occasionem præbeat*, ex qua in alios incommodum proveniat, aut bonum antea speratum intercipiatur. Sicuti bonis parentum ob delictum confiscatis ad paupertatem rediguntur etiam innocentes liberi[19]. Et reo aufugiente fide-jussor exsolvere multam cogitur, non ex delicto, sed quia in talem eventum ultro sese obligavit[20].

Cap. 13. *Etsi id occasionem incommodi præbere possit.*

CAP. XIV.

De Existimatione.

I. Existimatio in genere est valor personarum in vita communi, secundum quem aptæ sunt aliis personis exæquari aut comparari, eisque vel antehaberi, vel postponi[1].

Existimatio in genere quid? L. VIII. c. iv.

II. Dividitur illa in *simplicem* & *intensivam*. Utraque consideratur vel inter eos qui *in naturali libertate*, vel qui in *statu civili* invicem degunt.

Quotuplex in duplici statu?

III. *Existimatio simplex inter eos, qui in naturali libertate vivunt*, in hoc potissimum con-

Simplex in libertate naturali in quo sita? c. iv. § 3.

---

titiâ) damnum posteris ob delicta majorum infligat. *Ferretne* (inquit Cicero) *ulla civitas latorem istiusmodi legis, ut condemnetur filius aut nepos, si pater aut avus deliquisset?* De Nat. Deor. III. xxxviii.

[20] Vid. Grot. *ubi supra*, § 13, &c.

[1] Conf. auctoris Dissertat. Acad. *de Existimatione*. p. 795.

sistit,

Cap. 14. ſiſtit, ut quis talem ſe ferat, & pro tali habeatur, quicum agi queat tanquam cum viro bono, & qui cum aliis ad præſcriptum legis naturalis vivere ſit paratus.

Ea quamdiu maneat integra? c. iv. § 3. IV. Atque iſthæc *integra* tamdiu habetur, quoad quis nondum per malitioſum aut enorme facinus ſciens volenſque dolo malo legem naturæ adverſus alios violavit. Inde & naturaliter quilibet pro bono viro habetur, donec contrarium probetur [2].

Quibus factis diminuatur? c. iv. § 4. V. Eadem exiſtimatio *diminuitur* per facinora enormia contra legem naturalem malitioſe patrata; quæ efficiunt, ut majore circumſpectione opus ſit, ſi quis cum tali agere velit. Ea tamen macula elui poteſt, præſtita ultro damni dati reparatione, & edito feriæ pœnitentiæ documento [3].

Quibus penitus exſtinguatur? c. iv. § 5. VI. *Conſumit* eandem penitus vitæ genus & inſtitutum directe ſpectans ad aliis promiſcue nocendum, & rem ex manifeſtis aliorum injuriis faciendam. Cujus farinæ homines quamdiu reſipiſcere nolunt, tanquam communes hoſtes poſſunt tractari ab omnibus, quos ipſorum malitia ullo modo poteſt tangere [4]. Reparare tamen hi exiſtimationem poſſunt, ubi præſtita refuſione damni, aut obtenta condonatione, honeſtum vitæ genus, vitioſo ejurato, ſubierint.

---

[2] Iniquè igitur ſtatuit Hobbesius omnes in ſtatu naturali degentes pro malis habendos eſſe. *De Cive*, c.i.

[3] Vid. *ſupra*, L. I. c. v. § 17.

[4] Quales ſunt latrones, piratæ, ſicarii, & id genus tenebriones.

VII.

VII. *Existimatio simplex intra civitates degentium* est, qua quis juxta leges & mores civitatis pro vitioso ejusdem membro non fuit declaratus, & aliquo numero esse intelligitur. Cap. 14. *Simplex in civitate quæ?*

VIII. Isthæc in civitate *deficit* vel *ex mero statu*, vel *ex delicto*. Prius contingit *duplici* modo: vel ut status ille in se naturaliter nihil turpe habeat; vel ut cum vitio, aut saltem ejus opinione, sit conjunctus. Illud contingit in quibusdam civitatibus, ubi servi nullo numero sunt [5]. Hoc circa lenones, meretrices, & similes obtinet; qui quamdiu publice tolerantur in civitate, communi quidem defensione fruuntur, honestorum tamen hominum consortio excludendi. Quod idem contingit quibusdam circa fœda aut vilia, licet naturaliter non vitiosa, occupatis [6]. *Ea quomodo deficiat ex mero statu?* c. iv. § 6.

IX. Ex *delicto* autem eadem plane deficit, quando quis juxta leges civiles ob certum delictum *Infamia* notatur: idque ut vel morte simul plectatur, & sic memoria ejus notatur; vel ut civitate expellatur; vel ut in civitate retineatur tanquam infame & putridum membrum. *Quomodo ex delicto per notam infamiæ?* c. iv. § 7.

X. Id autem manifestum est, existimationem simplicem, seu *naturalem honestatem non posse alicui eripi ex mero arbitrio* summorum imperantium. Cum id nullo modo ad utilitatem civitatis facere, adeoque in ipsos nullo *Naturalis honestas arbitrio imperantis non subest.* c. iv. § 9.

---

[5] Quam vilis fuerit eorum conditio apud Romanos, omnibus notissimum est. Vid. L. XVIII. tit. v. l. 6. *ad L. Jul. de Adult.*

[6] Quales sunt carnifices, lictores, fornicarii, &c.

modo

Cap. 14. modo collatum, intelligi possit. Sicuti ne vera infamia videtur contrahi posse, dum quis jus civitatis per modum nudi ministri exsequitur.

Existimatio intensiva, itemque honor. c. iv. § 11. XI. *Existimatio intensiva* est, secundum quam personæ, alias quoad existimationem simplicem æquales, sibi invicem præferuntur, prout uni præ altero insunt, queis aliorum animi ad exhibendum honorem permoveri solent. Est autem *Honor* proprie significatio judicii nostri de alterius præstantia.

Varia ad ejus intelligentiam notanda. XII. Hæc existimatio intensiva considerari potest vel *inter eos, qui in naturali vivunt libertate*, vel *inter cives ejusdem reipublicæ.* Deinde expendenda sunt ejusdem *fundamenta*, & quidem prout producunt vel *aptitudinem* duntaxat ad honorem ab aliis exspectandum, vel *jus stricte dictum* quo idem ab aliis tanquam debitus postulari queat.

Fundamenta intensivæ existimationis quæ? c. iv. § 12. XIII. *Fundamenta intensivæ existimationis* in genere censentur omnia illa, quæ insignem perfectionem & præstantiam habent, aut eandem judicantur arguere, & quidem talem, cujus affectus cum fine legis naturalis aut civitatum congruit. Uti sunt perspicacia mentis, & capacitas varias scientias & artes addiscendi, acre judicium in rebus gerendis, animus firmus & per externa inconcussus, illecebrisque ac terroribus superior; eloquentia, forma &

---

[7] Malè igitur Hobbesius honorem in potentiâ fundavit. *Consistit honor* (inquit) *in solius potentiæ existimatione.* Leviath. cap. x. p. 47.

dex-

dexteritas corporis, bona fortunæ, & imprimis res egregie gestæ [7]. Cap. 14.

XIV. Hæc tamen omnia non producunt nisi *jus imperfectum*, seu aptitudinem ad habendum ab aliis honorem & venerationem. Unde si quis eundem aliis etiam bene meritis denegaverit, non injuriam facit, sed duntaxat ob inhumanitatem & velut incivilitatem male audit. Sed *jus perfectum* ad habendum ab altero honorem, aut ejus insignia, provenit vel ex imperio, quod quis in istum obtinet; vel ex pacto cum eodem ea super re inito; vel ex lege per communem dominum lata aut approbata.

Jus ad honorem imperfectum, perfectum. c. iv. § 14.

XV. *Inter principes* autem & integros populos pro eminentia & *præcedentia* solet allegari potissimum antiquitas regni & familiæ; amplitudo & opulentia ditionum, & potentia, qualitas potestatis, qua quis imperium in suo regno obtinet, & splendor tituli. Quæ tamen omnia per se non pariunt jus perfectum ad præcedentiam adversus alios reges populosve, nisi pacto aut concessione horum istud quæsitum fuerit.

Jus ad præcedentiam inter principes unde? c. iv. § 15, 16.

XVI. *Inter cives* autem *gradus dignitatis designare summi imperantis* est; qui tamen heic recte cujusque præstantiam, & ad conferenda in remp. merita aptitudinem respicit. Quem autem iste civi dignitatis gradum assignaverit, eum recte hic contra concives suos tuetur; nec minus eodem ipse adquiescere debet [8].

Gradus dignitatis civilis a quo designandi? c. iv. § 23.

---

[8] Conf. Buddei, *Philos. Pract.* P. II. c. iv S. 13 § 31.

CAP.

CAP. XV.

DE POTESTATE SUMMI IMPERII IN BONA CIVITATE CONTENTA.

Jus imperantis in bona civium triplex. L. VIII. c. v.

I. QUemadmodum ubi *Bona* ab summis imperantibus in cives profecta sunt, in istorum arbitrio est, quid hi in ea juris obtineat: ita in ea bona, quæ cives propria sibi industria, aut alio modo plene quæsiverunt, *triplex* potissimum *jus*, ex indole civitatum resultans, & ad harum finem necessarium, summis imperantibus competit.

Leges ferendi circa eorum usum; c. v. § 3.

II. PRIMUM jus in eo consistit, ut civibus isti possint *leges præscribere* circa usum eorundem ad utilitatem civitatis adtemperandum [1], aut circa modum, qualitatemque possessionum [2]; uti & rationem transferendorum in alios bonorum, & quæ sunt ejus generis alia [3].

III.

[1] Quales sunt leges *sumptuariæ*, leges contra *aleam* latæ, &c.

[2] Qualis erat Romæ lex Licinia, ne quis ultra D agri jugera, neque pecoris majoris ultra C, minoris ultra D capita haberet. Vid PAUL. *Manut. de LL. Rom.* ex *Macrob. Sat.* L. III.

[3] Quales sunt leges circa modum donationum, legationum, &c. & quæ vetant pecunias, vel certas quasdam merces extra civitatem exportari.

[4] Hanc vocem *Dominium eminens*, vel *supereminens*, primus usurpavit GROTIUS (*De Jure B. & P.* L. II, c. xiv. § 7.) de qua superiori sæculo litem moverunt eruditi

III. ALTERUM jus in hoc consistit, ut possit particulam aliquam de ipsorum bonis *Tributi* aut *Vectigalis* nomine decerpere. Cum enim civium vita & fortunæ per civitatem sint defendendæ, oportet ut hi conferant, unde sumtus ad eum finem necessarii tolerentur. Sic ut valde impudens sit, qui defensione quidem & commoditate civitatis frui vult, & tamen nihil operæ aut rei ad eandem servandam conferre. Etsi heic merito prudentes sese rectores ad querulum vulgi ingenium adtemperent, & ut quam minimo cum sensu ista corrogari queant, laborent, imprimis æqualitatem observando, & modica potius, ac varia, quam grandia ac uniformia exigendo.

Cap. 15. *Decerpendi de eis vectigalia & tributa;* c. v. § 4.

IV. TERTIUM jus est *Dominium eminens*[4], quod in eo consistit, ut urgente reip. necessitate bona subditi cujuspiam, quibus præsens tempus maxime opus habet, ad usus publicos arripi & adplicari queant; licet ista longe superent ratam partem, quam iste ad sumtus reip. conferre tenebatur. Ob quam tamen

Casu necessitatis ad usus publicos applicandi. c. v. § 7.

---

ruditi. Vid. *supra*, BUDDEI *Hist. Jur. Nat.* § 53. Non operæ est pretium de verbis contendere, cum facultatem ipsam imperantibus competere manifestum sit: quæ tamen non nisi urgente necessitate exerceri debet. *Ut id fiat* (inquit GROTIUS *loc. citat.*) *ex vi supereminentis dominii, primum requiritur utilitas publica; deinde ut si fieri potest compensatio, fiat ei qui suum amisit, ex communi.* Minimè licet principi aliquem pro arbitrio bonis suis spoliare: nec id concedendum esse HOBBESIO permittimus, *cives non ita proprium habere quicquam, in quod non habeat jus ille, qui habet imperium summum.* De Cive, cap. vi. § 15.

rationem

Cap. 15. rationem isti civi, quod excedit, de publico aut ex collatione cæterorum civium, quantum ejus fieri potest, refundi debet.

Jus principis in fiscum atque ærarium. c. v. § 8.

V. Præter hæc tria jura in multis civitatibus dantur peculiaria *bona publica*, quæ patrimonium reip. aut regni solent adpellari. Quod alicubi iterum distinguitur in *patrimonium principatus*, & *reipublicæ*, seu in *Fiscum* & *Ærarium*. Quorum prius destinatum est ad sustentationem regis, ejusque familiæ: posterius ad publicas utilitates regni. Circa prius rex habet usumfructum, & de fructibus inde provenientibus pro suo arbitrio disponere potest. Circa posterius autem administratoris munus obit, idemque usibus, quibus destinatum est, adplicare debet. Neutrum nisi consensu populi alienare potest.

In remp. totam vel ex parte, alienandam. c. v. § 9—11.

VI. Multo minus autem, qui regnum non habet in patrimonio, totum regnum, aut ejus partem *alienare* potest, nisi accedat consensus populi, & posteriore casu etiam peculiariter consensus partis alienandæ. Sicuti nec vice versa membrum aliquod a civitate invita sese abrumpere potest, nisi per vim externorum hostium in eam sit redactum conditionem, ut aliter nullo modo salvum esse queat [s].

---

s Qualis lex olim fuit apud Argivos. Ovid. *Met.* XV. 28.

——Prohibent discedere leges
Pœnaque mors posita est, patriam mutare volenti.

C A P.

CAP. XVI.

De Bello et Pace.

I. QUANQUAM id legi naturali maxime sit conveniens, ut homines pacem invicem agitent, ultro ea præstando, quæ debebant; imo pax ipsa sit status homini, quatenus a brutis distinguitur, peculiaris [1]: aliquando tamen ipsi quoque homini *bellum* [2] sit licitum, & quandoque necessarium; quando nempe per alterius malitiam nostra servare, aut jure nostro potiri citra vim adhibitam ne- *Bellum & justum & prudens esse debet.* L. VIII. c. vi.

[1] Hinc plane patet, quicquid nonnulli criminantur, auctorem à statu naturæ *Hobbesiano*, qui status belli est, prorsus abhorruisse.

Ad hanc rem satis scitè & commodè scripsit QUINTILIANUS vel quisquis erat. *Declam.* IX. "Natura præter cætera animalia induit nostris pectoribus quandam societatem, quæ mutuo gaudere congressu, contrahere populos, condere urbes edocuit, & cum mentibus nostris varios imposuerit motus, nullam profectò meliorem benevolentiâ tribuit affectum. Quid enim foret humano genere felicius, si omnes esse possent amici? Non bella, seditiones, latrocinia, lites, cæteraque mala, quæ hominibus ex seipsis nata sunt, fortunæ accessissent."

[2] Bellum CICERO dixit *certationem per vim.* Offic. I. xi. GROTIO placuit, ut non actio sed status eo nomine indicetur, ita ut sit bellum *status per vim certantium, qua tales sunt.* De Jure B. & P. L. I. c. i. § 2.

Cap. 16. quimus [3]. In quo ipſo tamen prudentia & humanitas ſuadet, ut ne ad arma eamus, ubi ex injuriarum noſtrarum perſecutione plus mali in eos noſtroſque quam boni ſit redundaturum [4].

Belli defenſivi & offenſivi juſtæ cauſæ. c. vi. § 3.

II. *Juſtæ cauſæ*, ob quas bellum ſuſcipi poſſit, huc redeunt, ut nos & noſtra ſervemus ac tueamur contra injuſtam aliorum invaſionem: aut ut quæ nobis debita ab aliis exhiberi renuuntur aſſeramus; aut injuriæ jam illatæ reparationem, & cautionem in poſterum obtineamus. Ob priorem cauſam quod geritur *bellum defenſivum:* quod ob poſteriores *offenſivum* dicitur [5].

Prius ſemper tentanda via amicitiæ. c. vi. § 4.

III. Neque tamen confeſtim, ubi quis ſeſe læſum arbitratur, ad arma eſt decurrendum, imprimis ubi adhuc dubii aliquid circa jus aut factum occurrit: ſed tentandum, num amici

---

3 Bellum eſſe licitum ſequitur ex ſtudio illo naturali, quod hominibus ineſt, *ſeipſos conſervandi*. "Etenim, "cum gentes integræ (ut Buddei verbis utar) in ſtatu "quippe naturali conſtitutæ, communem judicem non "habeant, omnium tamen ſalus legum naturalium ob"ſervationem requirat, Deuſque ipſe, ut *ſeipſam* qua"libet *conſervet*, velit; nihil aliud ſupereſt, quàm ut "vim illis opponant, qui migratis naturæ legibus vi eas "opprimere aggrediuntur. Accedit quod Deus in S. "Literis bella paſſim approbet, quod evidentiſſimum "nobis documentum præbet, jure naturæ bellum ge"rere neutiquam nefas eſſe." *Philoſ. Pract.* P. II. c. v. S. 2. Conf. *ſupra*, L. I. c. v.

4 Conf. Grot. *De Jure B. & P.* paſſim. Buddei *Phil. Pract.* P. II. c. v. S. 2.—7.

5 Si ſtrictè loquamur, omne bellum ob juſtas cauſas ſuſceptum eſt *defenſivum*; nemini enim licet alterum *offendere*

amica via res possit componi; puta, colloquio inter partes instituto, provocatione ad arbitros facta, aut re sorti commissa. Præcipue autem hæc via tentanda illi, qui petit; quippe cum possessionem cum aliquo titulo favor utique comitetur [6]. Cap. 16.

Injustæ belli causæ quæ & quales? c. vi. § 5.

IV. *Injustæ* porro bellorum *causæ* vel *aperte* tales sunt, vel *colorem* aliquem licet dilutum admittunt. Illæ ad duo potissimum capita referuntur, avaritiam & ambitionem, seu habendi, & dominandi libidinem. Hæ variæ sunt; puta, metus ex opibus & potentia vicini, utilitas jure destituta, amor sedes meliores parandi, denegatio eorum quæ ex simplici aliqua virtute debebantur, stoliditas possessoris, cupido extinguendi jus alterius legitime quæsitum, quod nobis paulo molestius videtur; & similia [7].

---

fendere, vel nocere. Adjungit Grotius bellum *punitivum*, quod verò minus propriè dictum est; quoniam gentes inter se sint æquales, & *pœna* non nisi a superiori infligi possit. Vid. *supra*, c. xiii. § 4. not. 7.

[6] Vid. *supra*, L. I. c. v. § 7.

[7] Utut bella ob has causas suscepta justitiæ specimen & colorem præ se ferre possunt, tamen vere justa causa belli suscipiendi nulla esse alia potest, nisi injuria. Itaque ad tot classes bellorum causæ commodè referri possunt, quot sunt injuriarum genera. Vid. *supra*, L. I. c. vi. Dividitur autem dupliciter à Grotio causa belli (quæ & *principium* vocatur) in *justificam*, sc. & *suasoriam*; illa est, quæ movet sub ratione justi, & bellum justum reddit; hæc vero, quæ sub ratione utilis suadet. *De Jure B. & P.* L. II. c. i. & c. xxii. § 2.

Cap. 16.

Dolus absque perfidia in bello licitus. c. vi. § 6.

V. ETSI autem *modus agendi in bello* maxime proprius sit vis & terror: non minus tamen adversus hostem fraude ac dolo uti licet, modo fides data non lædatur. Inde hostem licet decipere sermone assertivo, seu per fictas narrationes: nequaquam autem per promissa aut pacta [8].

Vis in bello adhibendæ moderamen. c. vi. § 7.

VI. CIRCA vim, quæ in bello adhibetur adversus hostem ejusque res, distinguendum est inter id, *quod hostis sine injuria pati potest*, & *quod ipsi salva humanitate nos inferre possumus*.

---

[8] Vid. *supra*, L. I. c. x. § 5. not. 7. Conf. GROT. *De Jure B. & P.* L. III. c. i. § 6. 7. 17. qui hoc argumentum ibidem plenè & accuratè tractavit.

9 Hanc rem fusè exposuit GROTIUS (L. III. c. iv. —viii.) cujus doctrinam paucis complectitur BUDDEUS. " In Bello licet hostem *interficere*: finis enim belli cæteroquin obtineri non posset. Non tamen in infinitum excurrit hæc interficiendi licentia. Nec infantes, nec fœminæ, nec captivi, nec supplices, nec qui seipsos dedunt, per se interfici possunt, nisi forte exinde singulare aliquod momentum ad finem belli conferatur. Quin omnis vis, in quantum hoc non facit, plane illicita est. Unde & nunquam sine horrendo & inexpiabili scelere stupra inferri fœminis possunt; cum ad finem belli nulla ratione hoc quicquam faciat, & à plusquam barbarâ libidine procedat. Qui autem justè interfici possunt, recte interficiuntur in *solo* proprio, hostili, nullius: neutiquam autem in territorio tertii, quocum nihil nobis est negotii propter jus, quod illi in suum territorium competit. *Veneno* an hostem interficere liceat, non adeo expeditum videtur, certe moribus quarundam gentium hoc repugnat. Naturæ tamen lege permissum est, hosti quocunque modo nocere, modò finis habeatur

mus. Qui enim hostem sese mihi declaravit, cum in hoc ipso sit professio extrema mala mihi intentandi, eo ipso quoque, quantum in se, mihi indulget facultatem adversus se in infinitum. Humanitas tamen jubet, ut quantum armorum impetus patitur, non plus mali hosti inferamus, quam defensio aut juris nostri vindicatio, & in posterum securitas requirit[9]. Cap. 16.

VII. Solet bellum dividi in *solenne* & *minus solenne*. Ad illud requiritur, tum ut geratur autore utrinque eo, qui summum habet

Bellum solenne, minus solenne.

c. vi. § 9.

" beatur ratio. An ergo & spicula & fontes & aquas " veneno inficere liceat, hinc itidem est definiendum. " Quoad *percussores* omnino cum H. Grotio distinguo " inter eos, qui fidem expressam vel tacitam violant; " & qui eam non violant. Tales percussores, qui hosti nullo modo sunt obstricti, immittere, haud prorsus " illicitum videtur; cum perinde sit, sive pauci, sive " plures hosti noceant. Ast de illis qui fidem violant, " secus est sentiendum. Si vitam hostium corpusque " lædere, multò magis *res* vastare, eisque eripere licet. " Nec excipio *res sacras* aut religiosas, quippe quæ " ejus sunt, qui summum imperium habet. Nec tamen " in rerum vastatione ultra limites progrediendum. " Si enim rerum vastatio ad finem belli pacemque accelerandam nihil conferat, eam jure naturæ illicitam " esse omnino assero. Stultum sane non minus ac " impium est nullo suo bono nocere alteri. Quarum " rerum vastatio itaque nobis nec necessaria nec ullo " modo utilis est, eam intermittere ratio jubet. Sic " cùm rarò admodum sit necessarium templa, statuas, " ædificia tum publica tum privata post victoriam corrumpere, iisdem parcere naturæ leges jubent." *Philos. Pract.* P. II. c. v. S. 5. § 4 —10. Conf. Ejusdem Differt. *de Jure Belli circa res sacras.*

Cap. 16. imperium; tum ut præcesserit *indictio* [10]. Minus solenne est, quod denunciatum non est, aut quod in privatos geritur. Quo etiam pertinent bella civilia.

Jus bellum movendi penes imperantem est. c. vi. § 10, 11.

VIII. *Jus bellum movendi* in civitate, uti est penes eum, qui summum habet imperium, ita istud usurpare citra delegatam ab illo facultatem, supra mensuram magistratus est; etiam ubi hic conjicit, summæ potestati, si consuleretur, placiturum heic & nunc bellum geri [11]. Etsi omnibus, qui alicui provinciæ aut loco munito cum copiis militaribus præficiuntur, ex fine muneris sui id quoque injunctum intelligatur, ingruentem hostem quovis modo a locis sibi commissis repellere: ut tamen

10 A nonnullis alio nomine vocatur *jus feciale.* " Belli quidem æquitas sanctissimè *feciali* populi Romani " *jure* perscripta est: ex quo intelligi datur nullum " bellum esse justum, nisi quod aut rebus repetitis ge" ratur, aut denuntiatum ante sit & indictum." Cic. *De Offic.* I. xi. Indictionem vero solennem non ex jure naturæ sed ficto quodam jure gentium requiri contendit Grotius: (L. III. c. iii. § 6.) quæ distinctio mihi omnino inutilis & vana videtur. Rectius [ut opinor] Buddeus: " Cum præcipiat [jus naturæ] ut " omnia priùs ad lites componendas tentemus, quàm " arma arripiamus; fine dubio etiam præcipit, ut alter " quem ut hostem invadere constituimus, hâc de re " certior reddatur, ut hoc quoque modo illi occasio " bellum evitandi subministretur. Atque cum omnes " res bellicæ ad summum imperantem spectent, ab eo " quoque indictionem fieri debere nemo inficiatus fu" erit.

" Estque hæc belli indictio vel *conditionata*, quæ " cum rerum repetitione est conjuncta, & alias *clarigatio*

men non temere bellum in ditionem hostilem transferant. Cap. 16.

IX. Cæterum ut qui in naturali libertate vivit, ob injurias tantum abs se patratas bello potest peti: ita in civitate sæpe bello *invaditur rector civitatis*, aut *tota civitas*, etsi iste autor injuriæ non fuerit. Sed ut recte hoc fiat, necessum est, ut injuria ista aliquo modo in illum transierit. Ac rectores quidem civitatum ex injuriis per antiquos cives, aut qui recens ad eos confugiunt, patratis participant, si *passi* fuerint eas patrari, aut si *receptum* præstent. Ut patientia sit culpabilis, requiritur, ut quis & sciat delinqui, & possit prohibere. Sciri autem a rectore civitatis præsumuntur,

Quæ privata injuria fundet justum bellum?

c. vi. § 12.

" *tio* dicitur, & tum maxime locum habere videtur, " cum nihil antea de litibus amice finiendis actum fu- " it: vel *pura*, qua simpliciter alterius amicitiæ & soci- " etati renunciamus, eumque hostem nostrum declara- " mus, quæ & speciali quadam ratione & per eminen- " tiam *indictio* dicitur.

" Habet autem indictio sive denunciatio saltem lo- " cum in bello, quod vocant, *offensivo*; in quo semper, " etiam cum legati violati fuerint, usurpanda est. In " *defensivo* autem supervacua videtur, cùm ibi res ip- " sa doceat, invasorem constituisse armatâ manu jus " quod se habere putat, prosequi. Cum indictione " tamen non confundenda est belli *promulgatio*, qua " subditis significatur hunc vel illum à nobis pro hoste " haberi, & nihil nisi hostilia nos ab eo expectare posse." *Philos. Pract.* P. II. c. v. S. 4. § 9—11.

" Quod si ita præsens sit periculum (utì recte nos monet Grotius) ut tempus non ferat eum consuli, qui supremum in civitate jus habeat: hic necessitas exceptionem porriget. *De Jure B. & P.* L. I. c. iii. § 4.

Cap. 16. quæ a civibus aperte & frequenter fiunt. Facultas prohibendi semper præsumitur, nisi ejus defectus manifeste probetur. Ut tamen, qui noxium ad se confugientem pœnæ duntaxat declinandæ causa recipit & protegit, bello peti possit; id magis ex peculiari pacto inter vicinos & socios, quam communi aliqua obligatione provenit; nisi iste profugus apud nos hostilia in eam civitatem quam deseruit machinetur [12].

Repressaliæ, præludia bellorum c. vi. § 13. X. Sed & illud inter gentes receptum, ut pro debito civitatis proprio, aut quod justitiam requisitam non administrando in se derivavit, singulorum civium bona teneantur hactenus, ut extranei, quibus debetur, istis apud se deprehensis manus injicere queant: Ita tamen ut civibus, quibus hoc modo sua eripiuntur, refusio sit procuranda ab illis, qui debitum contraxerunt [13]. Quales exsecutiones solent vocari *Repressaliæ*, quæ frequenter sunt bellorum præludia [14].

Pro altero bellum gerere qui possint? c. vi. § 14. XI. Bellum gerere potest non solum *quilibet pro se*, sed & unus *pro altero*. Quod tamen ut recte fiat, requiritur in eo, pro quo bellum geritur, justa causa; in auxiliatore autem

---

[12] Sed rationi ideoque juri naturali consonum videtur, ut qui noxium defendat, criminis se reddat participem, & ob hanc causam recte bello petatur: unde peculiari pacto nihil opus esse videtur. Conf. Grot. L. II. c. xxi, § 4.

" [13] Licebit *repressalias* usurpare, ita quidem ut alte-
" rius reip. cives capiat, si ipsius subditi in altera civi-
" tate detineantur; bona autem, si bona fuerint prius
" capta: sin bona haberi nequeant, nihil obstat quo
" minu

tem probabilis ratio, cujus intuitu pro isto in alium hostilia exercere queat. Inter eos autem, pro quibus non solum possumus, sed & debemus arma sumere, primo loco sunt subditi nostri non universi solum, sed & singuli; modo ex hocce civitas non evidenter majoribus malis sit involvenda. Sequuntur socii, in quorum fœdere id comprehensum est: Qui tamen non modo civibus nostris cedunt, ubi ipsi eodem tempore auxilio opus habent; sed & apud eosdem justa belli causa, & aliqua prudentia in bello suscipiendo præsupponitur. Hos excipiunt amici, etsi peculiariter id ipsis non sit promissum. Denique ubi nulla alia ratio est, vel sola communis cognatio sufficere potest, ut injuste oppressum, nostra auxilia implorantem, quantum commode facere possumus, defensum eamus [15]. Cap. 16.

XII. *Licentia in bello* eousque se extendit, ut quamvis quis cædes patrando aut res vastando atque eripiendo, ultra quam humanitas admiserit, sit grassatus: Gentium tamen opinione pro infami, & quem honesti viri aversari debeant, non habeatur. Nisi quod cultiores gentes modos quosdam nocendi ho- *Licentia in bello quousque pateat?* c.vi. § 16.

" minus ipsi homines capiantur." Buddei *Phil. Pract.* P. II. c. v. S. 3. § 9. Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. III. c. ii.

[14] " Nonnulli huc referunt ἀνδροληψίαν Græcis " quondam maximè frequentatam, qua alterius civita- " tis homines propter homicidam nec deditum nec pu- " nitum capiebant & detinebant, donec alterutrum " impetrarent." Buddeus, *ibid* § 5.

[15] De causis belli pro aliis suscipiendi, vid. Grot. L. II. c. xxv.

stibus

Cap. 16. stibus viles habent; puta, veneno uti, aut alterius cives militesque in dominorum cædem corrumpere [16].

Res bello captæ quibus cedant? c. vi. §21.

XIII. *Res* mobiles in bello tunc demum *captæ* intelliguntur, quando persecutionem hostilem effugerunt: immobiles autem, quando ita à nobis detinentur, ut hostem inde arcendi sit facultas. Etsi ut prioris domini jus ad eas res recuperandas plane extinguatur, necessum sit, ut per subsequens pactum omni prætensioni renunciaverit. Alias enim vi partum vi licebit iterum eripere. Cæterum uti milites autoritate civitatis belligerant: ita quæ ipsi hostibus eripiunt, proprie civitati, non sibi adquirunt. Etsi passim receptum, ut mobilia, præsertim quæ non sunt magni pretii, militibus qui ceperunt relinquantur per conniventiam, aut præmii, vel quandoque stipendii loco; aut ut alliciantur, qui citra necessitatem sanguinem suum locare velint. Quando autem res captæ iterum hosti eripiuntur, immobiles quidem ad antiquos dominos redeunt; nec minus mobiles debebant; etsi

---

[16] Vid. *supra* § 6. *not.* 9.

[17] Conf. GROT. L. III. c. vi. BUDDEI *Phil. Pract.* P. II, c. v. S. 6.

[18] Iis quæ dicta sunt de rebus ex hoste captis, quædam addenda sunt de *postliminio*, quod argumentum fusè tractavit GROTIUS. L. III. cap. ix. Est aut POSTLIMINIUM (ex GROTII Def.) *jus quod nascitur ex reditu in limen*, id est, fines publicos. Et leg. 19. ff. de capt. POSTLIMINIUM *est jus amissæ rei recuperandæ ab extraneo, & in statum pristinum restituendæ inter nos*

Cap. 16.

etsi apud plerosque populos & hæ militibus in prædam concedantur [17].

XIV. Solet denique *bello adquiri* etiam *imperium* tam in singulos, quam in integros populos victos. Quod tamen ut fiat legitimum, & conscientias subjectorum stringat, necessum est, ut victi victoribus fidem dederint, & hi hostilem statum animumque adversus illos exuerint [18].

Imperium eo quæsitum qui fiat legitimum? c.vi.§.24.

XV. Suspenduntur actus bellici per *inducias*, quæ sunt conventio, per quam ad tempus, manente belli statu ac lite ex qua bellum fuit ortum, bellicis actibus offensivis est abstinendum; quibus elapsis, ni interea pax coiverit, citra novam indictionem ad hostilitatem redditur [19].

Induciæ bellum suspendunt. L.VIII.c. vii. § 3.

XVI. Possunt autem *induciæ dividi* in eas, quæ ineuntur subsistentibus in expeditione exercitibus, retentoque utrinque bellico adparatu; quæ ad modicum fere tempus sumuntur: & eas, quibus adparatus bellicus utrinque dissolvitur. Hæ in satis longum tempus iniri possunt & solent, & plenæ pacis

Variæ earum notatæ species.

---

nos ac liberos omnes populos ac reges legibus ac moribus constitutum. Et Festus *ex Gallo Ælio*, lib. i. signif. Postliminio receptum, ait esse eum, *qui liber ex qua civitate in aliam civitatem abierat, in eandem civitatem redit, eo jure, quod constitutum est de postliminiis. Item qui servus à nobis in hostium potestatem pervenit, postea ad nos redit, in ejus potestatem cujus antea fuit, redit. In jure postliminium equi & muli & navis eadem ratione.* Conf. Buddeum, *ubi & supra.* S. 6. § 26.

[19] Conf. Grot. L. III. c. xxi. § 6, &c. Budd. P. II. c. v. S. 7. § 14.

faciem


Cap. 16. faciem gerunt, ac aliquando etiam pacis vocabulo insigniuntur cum adjectione certi temporis. Nam alias regulariter omnis pax æterna est, seu in perpetuum extinguat controversias, ob quas bellum conflatum erat. Quæ autem solent vocari induciæ tacitæ, nullam continent obligationem; sed partes ibi pro lubitu utrinque quiescunt, & ad actus bellicos quandocunque placitum fuerit, procurrere iterum possunt [20].

Pacis natura, conditiones, firmitas. L. VIII. c. viii.

XVII. Penitus autem *tollitur* bellum, sancita per summos utrinque imperantes *pace*: cujus leges & conditiones definire, uti est penes paciscentes; ita illæ fideliter & *convento* tempore exsecutioni dandæ & servandæ sunt. In cujus rei firmitatem non modo *jusjurandum* solet interponi, & obsides dari; sed & sæpe alii, imprimis qui paci *conciliandæ* interveniunt, ejus observationem præstandam recipiunt, auxilio promisso ei, qui contra leges pacis ab altero læsus fuerit [21].

---

[20] Conf. Grot. Lib. III. c. xxi.
[21] Conf. Grot. L. III. c. xxii——xxv.



C AP.

CAP. XVII.

DE FOEDERIBUS.

I. BELLI juxta ac pacis temporibus inserviunt *fœdera*, seu pacta inter summos utrinque imperantes inita. Isthæc *intuitu materiæ possunt dividi* in ea, quæ constituunt de aliquo officio invicem præstando, quod jam antea lege naturali præcipiebatur; & quæ officiis legis naturalis aliquid superaddunt, aut saltem eadem ubi indefinita videntur, ad certi quid determinant. *Fœdera amicitiæ, vel specialis præstationis.* L. VIII. c. ix.

II. AD priorem classem referuntur fœdera, quibus de simplici duntaxat humanitate exercenda, aut noxa non inferenda convenitur. Quo pertinent & ea, quibus simplex duntaxat amicitia citra peculiarem præstationem sancitur. Aut quibus jus hospitii, aut commerciorum, quatenus id naturali lege debetur, stabilitur [2]. *Istorum præcipua quædam capita.*

III. POSTERIORIS classis fœdera sunt vel *æqualia*, vel *inæqualia*. Illa sunt, quæ utrinque eodem se modo habent; seu quando non solum æqualia utrinque promittuntur simpliciter, aut observata proportione virium; sed *Hæc æqualia aut inæqualia: & quæ illa?* c. ix. § 3.

---

[1] Conf. GROT. *De Jure B. & P.* L. II. c. xv. Cujus vestigia in hoc capite auctor maxime insequitur.
[2] Vid. *supra*, L. I. c. xv..

&

Cap. 17. & æquali modo, ita ut neutra pars præ altera ſit deterioris conditionis, aut alteri obnoxia.

Inæqualia quando, & a quibus, contrahantur? c. ix § 4.

IV. INÆQUALIA ſunt, quando vel inæquales præſtationes invicem exhibentur, vel altera pars eſt deterioris conditionis. Promittuntur atuem inæqualia vel à fœderato digniore, vel à minus digno. Prius fit, ſi potentior auxilia promittat alteri, nec reſtipuletur; aut ſi majori proportione quam alter promittat. Poſterius contingit, ſi fœderatus inferior plura teneatur præſtare, quam ab altero recipit.

Summum imperium aut minuunt, aut non.

V. EORUM, quæ à fœderato inferiore præſtantur, quædam ſunt *conjuncta cum imminutione ſummi imperii*; puta, ſi conventum ſit ne inferior ſocius partem aliquam ſummi imperii exerceat, niſi cum conſenſu ſuperioris. Quædam autem *ſummum imperium non diminuunt*, licet adjunctum habeant aliquod onus tranſitorium, ſeu quo ſimul & ſemel licet defungi; puta, ſi ex fœdere pacis alter teneatur ſtipendium ſolvere alterius militibus, belli ſumptus reſtituere, certam ſummam pecuniæ ſolvere, mœnia diruere, obſides dare, naves, arma tradere, &c. Imo nec quævis perpetua onera ſummum imperium diminuunt. Qualia ſunt; eoſdem cum altero amicos & hoſtes habere, ſed non reciproce; ne ad certa loca navigare, &c. Item ſi unus ſociorum alterius ſocii

[3] Conf. LIV. L. XI. c. v.

Non poſſum non mirari, auctorem nihil omnino de *legatis* dixiſſe, quorum ſanctimonia, privilegia, jura tam notabilia ab iis, qui juri naturæ & gentium operam dant,

cii majeſtatem comiter teneatur colere, ſeu reverentiam quandam ipſi exhibere, & ſeſe ad ejuſdem placitum modeſte adtemperare. Cap. 17.

VI. CÆTERUM fœdera tam æqualia quam inæqualia varias ob cauſas ſolent contrahi: inter quas arctiſſimam fœderum ſpeciem producunt, quæ ad conjunctionem aliquam perpetuam plurium civitatum ſpectant. Frequentiſſima autem ſunt, quæ ad auxilia in bello defenſivo aut offenſivo præſtanda, aut ad commercia regenda pertinent. *Fœdera politica, bellica, commerciorum.*

VII. CELEBRIS quoque eſt diviſio fœderum in *Realia* & *Perſonalia*. Quorum hæc ſunt, quæ cum rege intuitu perſonæ ipſius ineuntur, eoque defuncto ſimul exſpirant. Illa vero ſunt, quæ non tam ipſius regis, populive rectorum ut talium, quam reipubl. & regni intuitu contrahuntur, ac perdurant, iſtis licet mortuis, qui eorundem autores fuerant. *Fœdera quæ realia, quæ perſonalia?* c. ix. § 6.

VIII. CONJUNCTÆ fœderibus ſunt *Sponſiones*, quæ proprie vocantur iſta pacta quæ a miniſtro ſummæ poteſtatis circa negotia ad eandem ſpectantia ſine ipſius mandato ineuntur. Quibus uti ſummus imperans non tenetur, niſi poſtquam eadem rata habuerit: ita ſi miniſter eaſdem abſolute contraxerit, & ratihabitio ſecuta non fuerit; ipſe viderit, quo modo ſatisfaciet illis, qui ejus fidem ſecuti inanibus pactis decepti ſunt [3]. *Sponſiones fœderibus conjunctæ quales?* c.ix. § 12, 13.

C A P.

---

dant, proculdubio negligi non debent. Quoniam verò ſolent fœdera ut plurimum iniri operâ legatorum; de hiſce quid naturæ leges præcipiant, haud inutilem operam me acturum eſſe duco, ſi hic paucis exponam. Liceat

CAP. XVIII.

De Officiis Civium.

Officium civis, generale, speciale.

I. OFFICIUM *Civium* est vel *generale* vel *speciale*. Illud oritur ex communi obligatione, qua isti imperio civili sunt subjecti

---

ceat autem verbis cl. Buddei uti, qui quidem omnia cùm perite & scienter tum breviter & presse dixerit.

" Summa (inquit) huc redit: *legatos non esse lædendos*. " Eorum enim operâ & bella finiuntur, & pax & tran- " quillitas inter gentes conservatur. Sed cum lex na- " turæ in genere dictitet, neminem esse lædendum, " legati tamen in eo præcipuum quid præ cæteris habent, " quod ne belli quidem tempore & inter armorum stre- " pitum lædi debeant. Idque ideo, quia humani ge- " neris, gentiumque omnium salus hoc requirit. Deus " ergo qui omnia ea præcipit facienda, quæ ad hunc " finem conducunt, legatos etiam non lædendos præ- " cipit. Qui enim vult finem, media etiam huc du- " centia approbare censetur.

" Præcipue quidem hoc ad illos legatos pertinet, qui " belli aut pacis causa mittuntur. Nec tamen illis qui " commerciorum causa, aut ad amicitiam ineundam, " vel firmandam, stabiliendamque, splendido hocce " munere funguntur, sanctitas deneganda. Etenim ut " commercia floreant, ut amicitia & concordia fovea- " tur, hominum omnium, gentiumque maximopere " interest, Saltem humanitatis leges palam migraret, " qui ejusmodi legatos læderet.

" Læditur autem legatus, primo si non sine præg- " nanti causa *admittatur*: deinde, si in corpore, bonis, " existimatione, famulis, sanctitas ejus *violetur*.

" Quod ad *admissionem* attinet, possunt aliquando non " admitti

subjecti. Hoc vero ex peculiari munere & functione, quæ per summum imperium singulis est injuncta. Cap. 18.

II. Officium generale civium respicit vel *rectores civitatis*, vel *totam civitatem*, vel *con-cives*. *Generale triplex.*

III. *Rectoribus civitatis civis debet* reverentiam, fidelitatem, & obsequium. Cui conjunctum est, ut idem præsenti statu adquiescat, neque *Erga rectorem civitatis quod?*

" admitti, si prægnans hoc jubeat ratio: qualis est; si
" mittens callida legationis simulatione nos antehac
" decepit, & nunc similes fraudes metuantur; item si
" is qui mittitur, perfidia, aut alio crimine atrociori
" erga eum ad quem mittitur, se obstrinxerit, ut & si
" constet legatum non venire ut agat id quod præ se
" fert, sed ut ad seditiones concitet populum, arcana
" nostra exploret, prodatve, &c.

" Admissum non esse lædendum, satis patet. Idque ne jure talionis quidem licet, cum qui legatum admisit, juri isti, si quod habuit, renunciasse merito existimetur. Cætera facile definiri possunt, si ad finem & naturam *legationum* attendatur. Ergo tanta est legatorum sanctitas & inviolabilitas, quantam legationum finis requirit. Hinc concludo legatum ab eo, ad quem mittitur, non posse puniri. Nunquam enim summus imperans per legatum se alterius imperio subjicit. Per legatum enim ut æqualis cum æquali, non ut inferior cum superiori agere voluit. Atque id natura negotiorum, quæ à legatis tractantur exigit. Ergo legatis immunitas ab omni imperio est concedenda.

" Quod si ergo delinquerit, non ut cum subdito, sed ut homine alterius imperio subjecto agendum, hoc est, si res tanti sit, ut reparationem damni dati, vel pœnam à legato exigi nostrâ intersit, dominus legati adeundus est, sique is petitioni nostræ satisfacere

Cap. 18. neque ad res novandas animum adjiciat, neque alteri cuivis adhæreat magis, eundemve admiretur & veneretur; atque bene ac honorifice de iisdem, & eorum actionibus sentiat, atque loquatur [r].

Erga civitatem totum quod? IV. *Erga totam civitatem officium boni civis* est, ut ejus salute & incolumitate nihil habeat carius; ut vitam, opes, fortunasque suas ad eandem servandam libenter offerat; ut ad

---

" renuat, ea omnia nobis licent, quæ in principem, " subditorum delicta punire nolentem, concessa sunt. " Quod si res nullam ferat moram, ut hostis capi, cus- " todiri, & pro periculi magnitudine interfici potest. " Finis enim legationum neutiquam requirit, ut quid- " vis à legatis patiamur.

" Nec legatorum sanctitas eousque se extendit, ut " si per territorium hostis ejus, ad quem mittuntur, tran- " seant, non debeant violari. Finis enim legationum " sine hocce jure obtineri potest. Nec obstat, quod " summum imperantem referant. Namque & ipsi " summi imperantes ab hoste lædi possunt; ergo multo " magis qui eos repræsentant legati, nisi lex specialis, " aut conventio, intercedat.

" Quod de ipso legato dictum, illud certa ratione " etiam de *comitibus famulisque* ejus est intelligendum. " Hi ergo si deliquerint, postulari à legato potest, ut " eos dedat: si hoc facere renuat, ipse se crimine ob- " stringit, adeoque locum habebunt, quæ antea de le- " gati delicto diximus. Ipse legatus autem eos punire " nequit, cum finis & natura legationis facultatem pu- " niendi comites, aut servos, non requirat, legatoque " adeo non concessa videtur ab eo ad quem mittitur. " Bona ejus per judiciorum ordinem pignoris causa ca- " pi nequeunt, cum hoc arguat vim superiorem, à " qua legatum immunem esse, demonstravimus. Si " solvere debita nolit, eodem modo, ut in delictis pro- " cedendum.

" Ut

ad eandem illustrandam, ejusque commoda promovenda omnes ingenii & industriæ nervos intendat [2]. Cap. 18.

V. *Erga concives civis officium* est amice & pacifice cum illis vivere; commodum sese ac facilem præbere, nec morositate aut pervicacia sua turbas dare; cæterorum commodis non invidere, aut eadem intervertere [3]. *Erga concives quod?*

VI.

" Ut vero legato jus asylum in ædibus suis constituendi, & quosvis eo confugientes recipiendi conceditur, natura & indoles legationum nullatenus requirit. Quod si autem simile quid concessum fuerit, nullam tamen rationem video, quo minus imperans, si salus civitatis suæ hoc exigat, istud revocare possit. Unde quid de lite inter Galliæ regem, & Romanum pontificem, hac super re agitata, censendum sit, patet. Interim si per consensum imperantium certa jura legatis competant, quorsum & ritus & ceremonias refero, hæc sine prægnanti causa illis denegari nequeunt, cum hoc ipso fama & existimatio eorum lædatur." *Philos. Pract.* P. II. c. iv. S. 5. § 19—37. Conf. Grot. *De Jure B. & P.* L. II. c. xviii.

[1] Hoc officium non minus sacris literis quam rationi convenit. Vid. *Rom.* xiii. 1, &c. 1 *Pet.* ii. 17.

[2] De amore erga patriam multa præclara scripserunt veteres Romani. Audiamus Ciceronem: " Cum omnia ratione animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam ea quæ cum rep. est unicuique nostrûm: cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?" *De Off.* I. xvii.

[3] Ciceroni iterum auscultemus: " Multa sunt civitatibus [f. civibus] inter se communia, forum, fana, porticus, viæ, leges, jura, judicia, suffragia, consuetudines præterea & familiaritates, multisque cum

 " multis

Cap. 18.

Specialium officiorum lex generalis. VI. *Specialia officia* vel per universam sese remp. velut diffundunt, vel circa certam duntaxat partem occupantur. Circa quæ omnia hoc generale præceptum habetur: Ne quis ullum officium in rep. affectet aut suscipiat, ad quod sese ineptum deprehendit.

Consiliariorum principis officia. VII. Qui *consilio* suo rectoribus civitatum adsistunt, in omnes reip. partes aciem mentis convertant[4]; quæ ex usu reip. videbuntur esse, dextre & fideliter citra affectus ac pravos respectus exponant; salutem reip. in omnibus consiliis pro scopo habeant, non proprias opes, aut potentiam; pravis affectibus principum adulando non velificentur; factionibus & coitionibus illicitis abstineant; nihil quod dici oportet dissimulent, nihil quod taceri oportet eliminent; exterorum corruptionibus impenetrabiles sese præbeant; privatis suis negotiis aut voluptatibus publica negotia non posthabeant.

Sacrorum ministrorum officia. VIII. Qui publice constituti sunt ad *sacra obeunda*, in iisdem gravitatem & attentionem adhibeant; vera de cultu Numinis dogmata pro-

" multis res rationesque contractæ. Arctior verò est " combinatio propinquorum. Sanguinis autem con- " junctio & benevolentia devincit homines caritate. " Magnum est enim eadem habere monumenta majo- " rum, iisdem uti sacris, sepulchra habere communia. " Sed omnium societatum nulla præstantior est, nulla " firmior, quàm cùm viri boni moribus similes sunt fa- " miliaritate conjuncti. In quibus enim eadem studia " sunt, eædemque voluntates, in his fit ut æquè quis- " que altero delectetur. ac seipso; efficiturque id, " quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit, " ut

proponant; eorum quæ ipsi docent populo sese conspicuum exemplar exhibeant; nec pravitate morum, muneri suo dignationem, doctrinæ pondus detrahant 5. Cap. 18.

Professorum artium officia.

IV. Queis publice injunctum variarum *scientia* rerum animos civium imbuere, nihil falsi aut perniciosi doceant: vera autem ita tradant, ut auditores iis assentiantur non tam adsuetudine audiendi, quam quia solidas eorundem rationes perspexerunt; omnia dogmata ad societatem civilem turbandam directe fugiant; omnem scientiam humanam inanem habeant, ex qua nulla in vitam humanam & civilem utilitas redundat 6.

Judicum officia.

X. Qui *juri dicundo* præficiuntur, quibusvis facilem accessum præbeant; plebem ab oppressionibus potentiorum protegant; jus æque pauperi & humili, quam potenti & gratioso dicant; lites ultra necessitatem non extrahant; a corruptelis abstineant; in cognoscendis causis diligentiam adhibeant, omnesque affectus sinceritatem judicii corrumpentes seponant; recte faciendo neminem timeant 7.

XI.

" ut unus fiat ex pluribus. Magna etiam illa communitas est, quæ conficitur ex beneficiis ultro citro datis " acceptis; quæ & mutua & grata dum sunt, inter " quos ea sunt, firmâ devinciuntur societate." *Ibid.*

4 " Ad consilium de republica dandum caput est " nosse rempublicam." Cic. *de Orat.* II. lxxxii.

5 De hoc argumento leg. omnino Burnet. *de Curâ Pastorali.* Buddei *Theol. Moral.* P. 2. c. iii. S. 8.

6 Vid. Quintil. *Instit.* L. I. c. ii.

7 " Summovendum utrumque est ambitûs genus, vel " potentibus contra humiles venditandi operam, vel " illud

Cap. 18.

Praefectorum armorum officia. XI. Quibus *armorum* cura commissa, militem diligenter & tempestive exerceant, & ad tolerandos militiæ labores firment; disciplinam militarem sartam tectamque habeant; milites hosti jugulandos temere non objiciant; annonam & stipendium quantum in se promte procurent, nec de eo quidquam intervertant; milites semper ut reip. faveant curent, nec unquam eos sibi adversus rempubl. concilient.

Militum officia. XII. *Milites* contra stipendiis suis contenti sint; ab expilandis & vexandis paganis abstineant; labores pro tuenda rep. libenter & strenue obeant; pericula per temeritatem non arcessant, per ignaviam non defugiant; fortitudinem in hostem, non in commilitones, ostentent; stationem assignatam mascule defendant; honestam mortem turpi fugæ & vitæ præferant.

Legatorum officia. XIII. *Quorum opera civitas apud exteros utitur*, cauti sint & circumspecti; inania a solidis, vera fabulosis discernere callidi; secretorum tenacissimi, pro utilitate suæ civitatis adversus quaslibet corruptiones obstinati[8].

Præfectorum rei nummariæ officia. XIV. Qui *opibus civitatis colligendis* aut dispensandis præsunt, cavenat ab omni non necessaria acerbitate; nec ob proprium quæstum, aut per petulantiam vel malignitatem

" illud etiam jactantius minores utique contra dignitatem attollendi. Non enim fortuna causas vel justas vel improbas facit." Quintil. *Instit* L. XII. c. vii.

[8] De legatorum jure & privilegiis, vid. *supra*, cap. xvii. § 8. not [3].

animi,

animi, oneris quid adjiciant; publici nihil intervertant; quibus de publico quid solvendum, illis citra moras non necessarias satisfaciant. Cap. 18.


XV. *Durat* autem civium speciale officium, quamdiu in ea functione, ex qua illud profluit, sunt constituti; qua ubi abeunt, & illud exspirat. Generale itidem durat, quamdiu cives sunt. *Cives* autem *esse desinunt*, vel si consensu expresso aut tacito civitatis discedant, & alibi sedem fortunarum figant; vel si ob delictum in exilium ejiciantur, & jure civitatis priventur; vel si hostica vi oppressi in victoris ditionem concedere adigantur.

Officium civis quousque duret?

L.VIII.c. xi.

F I N I S.





INDEX Rerum*.

A.

* Primus numerus librum, secundus caput, tertius paragraphum, Pr. auctoris præfationem, not. notam designat.

Athe-

Non

M.

N.

O.

P.

Pax.

R.

S.

Sui.

FINIS INDICIS.

